Cocus
Censura
1623

Locus Censura 1623

STC 5490

CENSVRA QVORVNDAM SCRIPTORVM, QVÆ SVB NOMINIBVS SANCTO-rum & veterum Auctorum, à Ponti-*ficijs (in quæſtionibus potiſsimùm* hodie controuerſis) citari ſolent.

In qua oſtenditur, ſcripta illa, vel eſſe ſuppoſititia, vel dubiæ ſaltem fidei.

Auctore *Roberto Coco* Eccleſiæ Leodienſis, in agro Eboracenſi paſtore, & olim in florentiſſima Academia Oxonienſi, Collegij Ænæi-naſi ſocio.

Omnibus credere, & nulli credere, eſt æquè vitioſum.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field, impenſis Guilielmi Barret.
1623.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI GVILIELMO IAMESIO EPISCOPO DVNELMENSI.

IN iſta pro fide decertatione, quæ nobis hodie intercedit cum Pontificijs, mirum eſt quò procedat aduerſariorum noſtrorum impudentia. Tantò enim inanis gloriæ ſtudio ducuntur, vt nihil eos pudeat vanitatis & fraudum, modò vincere, & victoriam reportare, videri poſſint. Iſtis non placet illud Alexandri Magni, Nolo furari victoriam: *arridet magis illud Poetæ,* Virtus, an dolus, quis in hoſte requirat? *Marte, an arte, nihil curant. Atque hinc eſt, quòd tam multas artes comminiſcantur, quibus* Babylonem *ſuam ornent, vt imperitos rerum adoleſcentulos in fraudem illiciant. Hinc eſt, quòd* libros Apocryphos, *nempe* Machabæor. (*quibus,* Iuſtinum Hiſtoricum *anteponendum cenſuit* Sigonius) *ſub venerando nomine* Scripturæ Canonicæ *obtrudunt: &* Pontificum Romanorum decreta, *ſub ſpecioſo nomine* Eccleſiæ: & Conuentus priuatos, *ob priuatam rem coactos, ſub ampliſſimo nomine* generalis Concilij: *& veterum* hęreticorum & recentium Monachorum ſomnia, *ſub nominibus* antiquorum & ſanctorum Patrum. *Per has, & eiuſcemodi fraudes, multum incommodarunt*

Lindan præf. Panopliæ.

Apud Poſſeu. in Biblioth. lib. 4. c. 13.

Nos per Eccleſiam intelligimus Pontificem Romanum, inquit Gretzerus to. 1. defenſ. Bellar. pag. 1450.

Eccleſiæ Chriſti: at per nullam magis, quàm dum partus infœlices claſsicis ſcriptoribus ſupponunt, & in nomen & familiam doctiſsimorum Patrum aſcribunt. Hanc fraudem ſic patefecerunt apud nos, Iohannes Iuellus, beatæ memoriæ Epiſcopus: & orbis ſcientiarum (quo hic orbis non erat dignus) Iohannes Rainoldus, vt ſcripta quæ ferebantur ſub nomine Dionyſij Areopagitæ, Abdiæ, Martialis, Amphilochij, Conſtantini, & veterum Romanorum Pontificum, ac apud auos noſtros magno in precio habebantur, iam nobis nauſeam faciant, & prudentioribus etiam inter ipſos Pontificios riſum moueant. Quorum ſtudijs dum ego plurimùm delectabar adoleſcẽs, colligere cœpi in vnam quaſi Synopſin, omnia ſpuria & adulterina ſcripta, quæ mihi inter legendum per multos annos occurrebant, eaq́ in meos vſus ſeponere. Quæ iam ſeneſcens, amicorum ſuaſu & conſilio, in lucem & conſpectum prodire patior, idq́ tuo nomine, (reuerendiſſime Præſul) vt habeant adoleſcentes minus in hac ſpirituali militia exercitati, quo frangant animos aduerſariorum, & obturent ora, dum venenata ſua dogmata ex commentitijs & ineptiſſimis ſcribliginibus ſtabilire conantur: & Dominatio tua intelligat, me eundem eſſe quem quondam noſti, Eccleſiæ Dei beneuolentem, & pietatis tuæ qua olim in florentiſſima Academia Oxonienſi ſtudia mea recreata ſunt, non immemorem.

Dominationis tuæ obſequentiſſimus

Robertus Cocus.

Præfatio

Præfatio ad Lectorem.

QVod ab improbis hominibus ſub Lege tentatum eſt,
vt qui [a] *pecuarij fuiſſent à iuuentute, villoſam togam* a Zachar. 13.4.
induerent, vt in virorum Dei & prophetarum numero
haberentur; hoc ipſum etiam, *Euangelio* Chriſti pro-
mulgato, ſæpius vſu venit, vt impoſtores verſuti, *Aſpi-*
dum oua Aquilarum alis ſupponerent, & degeneres
infœlicis ingenij ſui fœtus nobiliſſimorum authorum
nomine venditarent. In ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordijs, *falſos Apo-*
ſtolos, & doloſos operarios, qui *Pauli* nomine literas conſcripſerunt, inde
conſtat extitiſſe, quòd diſertè [b] monet *Theſſalonicenſes* Apoſtolus, *Ne ſu-* b 2. Theſſ.2.3.
bitò à mente dimouerentur, aut terrerentur, neque per ſpiritum, neque per
ſermonem, neque per Epiſtolam, tanquam à ſe ſcriptam: creſcente verò dein-
ceps Eccleſia, & latiùs diſſeminato Euangelio, conſimiles ludos fecerunt
alij veteratores. [c] *Ariani* ſcripſerunt literas ad *Conſtantinum*, ſub nomine c Athanaſ.apol.ad Conſtantin.
Athanaſij, qui eo ſeculo [d] *orbis oculus* eſt habitus, & *fundamentum fidei*. d Nazia.ep.74.
[e] *Eutychiani* ſcripſerunt Epiſtolam in *Cyrillum Alexandrinum* iam defun- e Baron.annal. ad an.553.
ctum, ſub nomine *Theodereti*, acerrimi hæreticorum impugnatoris. [f] *Ma-*
nichæi multa ediderunt volumina, quorum alia *Adamo*, noſtri generis pa- f Poſſeu. appar. Adam.
renti, *Apoſtolis* alia, alia ipſi *Domino noſtro Ieſu Chriſto* adſcripſerunt. His au- g Caſſiod. lect. diuin.c.8.
tem artibus vſi ſunt, [g] *vt res vitioſas generoſi nominis authoritate defende-*
rent: vt [h] *authoritas nominis poſſit commendare quod per ſeipſum recipi non* h Aurhor com. in 2.Theſſ.2.ſub nom. Ambr.
poteſt; vt [i] *ementitis titulis fidem authoritatemq́; erroribus ſuis conciliarent*.
Cæterùm iſtis fucis ac fraudibus, nullo vnquam ſeculo magis impudenter i Sixt.Senenſis Bibl.l.2. præfat.
illuſum eſt humano generi, ac noſtro, quo viuimus. Nam licet [k] *Eraſmus* k Declar. 91. ad cenſu.Theolog. Pariſ.
verè dixit de temporibus, in quibus *Synodus 7. generalis* celebrata fuit, *Li-*
bris falſo celebrium virorum titulo commendatis vndique ſcatere omnia: de
noſtris tamen multo verius dici poteſt. Vix enim vllus eſt ex antiquis
patribus, in cuius nidum alieni pulli, ijque deformes, non ſunt ſuppoſiti: in
cuius nomen alieni partus, ijque infœlices, non inuaſerunt: ſub nomine
Martiæ, Iacobi, Dionyſij, Abdiæ, Lini, Clementis, Martialis, Ignatij, Iuſtini, Cy-
priani, Athanaſij, Baſilij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli, & aliorum
huiuſmodi illuſtrium Patrum, multa *barbara, inſulſa*, addo etiam *hæreti-*
ca ſcripta diuulgarũt; quæ hodierno die, pro claſſicis & probatiſſimis ſcrip-
toribus obtruduntur & (quod de mercibus vitioſiſſimis faciunt circumfo-
ranei) laudibus quàm fieri poteſt maximis, publicè exponuntur. *Hoc ſcrip-*
tum *eſſe* [l] clamitat, *ab viro 72. diſcipulorum*: *aliud, ab eo qui Chriſtum in* l Hardin ad Iuelli prouoc. art.1.
carne viderat: [m] *Aliud, ab homine potente & verbis, & factis, cuius nuda ſine* m Alanus Card. Suffrag. pro defunct. cap.5.
omni argumento aſſeueratio, omnes iſtos puſillos Proteſtantes in vnum conglo-
batos proſterneret. His autem artibus tantum primo congeſſu hominibus
im-

imperitis, & *Romanarum* fraudum inſcijs, terrorem incutiebant, vt conqueſti ſint nonnulli cum *Elizæi* ſeruo, quando ciuitatem, in qua cum domino ſuo commorabatur, hoſtili exercitu obſeſſam videbat, [n] *Eheu domine, quid faciemus?* Ad eximendum hunc terrorem imperitis rerum adoleſcentulis, patres noſtri huic militiæ aſſuefacti, perinde tractarunt cohortes *Italicas*, ac *Ageſilaus* olim barbarorum copias: vt enim ille quos in bello ceperat captiuos veſtibus exuendos [o] curauit, nudoſque militibus ſuis intuendos expoſuit, & ſic qui veſtiti hoſtibus formidabiles erant, exuti, tanquam pumiliones ab omnibus deridebantur. Sic duces noſtri in hac de fide contentione, cum *Hardingum, Dormannum, Stapletonum*, & alios animaduerterent, ingentes Doctorum exercitus ex vniuerſo terrarum orbe contrahere, & commentitijs titulis, laudibuſque immeritis inſignitos, tanquam terricula palam oſtentare; veſtibus ſpoliarunt, & detractis laruis nudos proiecerunt exercitui *Iſraelis*, manifeſtum facientes ex ijs quæ ipſis exciderunt, non eos eſſe ipſos quorum præ ſe ferebant ſpeciem, ſed *aſinos* Leonum pellibus indutos, *bubulcos* Prophetarum pallijs amictos, *ſpuria* denique & *hæretica commenta*, nobilium & antiquorum authorum nominibus commendata; & ita tandem re explorata, ludibrio, & contemptui, omnibus expoſuerunt. Et tamen, quæ eſt impudentia *Italicarum* legionum præfectorum, *Pigmæos* iſtos & *nanos* in aciem adducere denuò non erubeſcunt, & pro lectiſſimis, fortiſſimiſque *Iſraelis* viris, ipſis *regibus*, ſpectatique iudicij viris commendare, vt ex noſtratium Sacrificulorum *petitione ad sereniſſimum Britanniæ regem* abundè patet. Producuntur enim ibi tanquam ſolennes teſtes & omni exceptione maiores, ad fidem faciendam doctrinæ Pontificiæ, *Conſtitutiones Apoſtolicæ, Dionyſij Areopagitæ Hierarchia, Anacleti & Alexandri Epiſtolæ: Origenes in Leuiticum & Pſalmum* 37. *Ambroſij precatio ad Miſſam, Commentarij in Apocalypſin, Auguſtinus de tempore, de Sanctis, de viſitatione infirmorum, de rectitudine Catholicæ conuerſationis, de vera & falſa pœnitentia, Paulinus in vita Ambroſij, Euſebius Cremonenſis*, & alij huius generis, quos *aſinos* eſſe ex auribus, iamdudum deprehenderunt noſtri, & hodierno die fatentur ipſi aduerſarij, qui ſunt in hac militia exercitatiſſimi. Quamobrem operæpretium duxi, *pumiliones* iſtos palantes paſſim, & à ducibus noſtris (vbi in eos inciderunt) denudatos, & à ſuis ipſorum iudicibus vagorum more ſtigmatibus aduſtos, & Collumbari affixos, in vnum colligere, adeòque quod [p] *Lex* poſtulat, ad perpetuam eorum infamiam, in publicas tabulas referre, ne *Petrus Warbeckus* pro *Richardo duce Eboracenſi*, ſordidiſſimi errones, pro locupletiſſimis ciuibus, obſcuriſſimi nebulones, pro nobiliſſimis ſcriptoribus, & perniciosiſſimi hæretici, pro ſanctis Patribus, diutiùs celebrentur.

Contra hoc inſtitutum, *Romaniſtarum* progenies, plenis (quod aiunt) buccis intonabit, vtpotè quod eorum impudentiam & inſaniam omnibus patefaciat: clamabit [q] vnus, *Hæc nimirum euaſio eſt, ſed omnium miſerrima, & à ratione & conſuetudine doctiſſimorum alieniſſima*; clamabat [r] alius, *Viam ſcilicet tenetis facilem & expeditam, modò ſtrenuè pergatis, reſpuite omnes authores, qui contra vos faciunt, & ſuppoſititios eſſe dicite, ita nempe par eſt patronos impudentes, pudendam cauſam, pudendis vijs modiſq; defendere.* Excipiet

n 2. Reg. 6. 14.

o Plutarch. in vita Ageſilai.

p Acta Parliam. an. 39. Eliz. c. 4.

q Harding. ad Iuelli prouoc. art. 1.

r Hartus in Colloquio cum Io. Raino[l]do, c. 8. diuiſ. 3.

piet poſtremò [f] alius, *Peruulgatam hanc eſſe technam hæreticorum, inprimis verò hæreticorum horum temporum, qui cum antiquitatem ſibi omnem obſeruent aduerſariam, alios omnes coguntur audacia, vel impudentia potius ſuperare.* Quamobrem Eccleſiæ Chriſti has ego propono inſtituti mei rationes, tanquam *globulos picis & lini*, draconum faucibus inijciendos, ne noceant. Primò, dum *vile à precioſo* ſeparamus, & ſcripta adulterina à genuinis diſtinguimus, nihil conamur aliud, quàm quod nos *B. Apoſtolus* monuit, quod ab antiquis Eccleſiæ Patribus in mandatis habemus, quod ipſi Patres antiquiſſimi factitarunt, quod nos ſummi *Italicarum* legionum duces, ſuo exemplo docuerunt, & quod ipſi aduerſarij, vt æquum & iuſtum approbarunt.

f Anglo Rhem. an. not. in Act. 17. 34

Primum luculenter patet ex 2°. ad Theſſal. 2. 1. *Rogamus vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne citò à mente dimoueamini, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos ſcriptam.*

Secundum patet ex Patribus in Concilio Niceno 2. congregatis, ſic enim illic concluſum eſt, [t] *Decet omnem Chriſtianum cum libros aliquot adulterinos audit, aut legit, reſpuere: nec omninò animum adhibere.*

t Actio 6. to. 5. Epit. Caranzæ.

Tertium patet ex *Serapione Epiſcopo Antiocheno, Auguſtino Hipponenſi*, & alijs. Sic enim [u] *Serapion, Nos Petrum & reliquos Apoſtolos, ſicut Chriſtum recipimus, quæ autem ſub eorum nomine falſa ab alijs conſcripta ſunt declinamus.* Sic [x] *Auguſtinus: Proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim quod volunt, credunt: Sed ea caſtitas canonis non recipit. Non quòd eorum hominum qui Deo placuerunt reprobetur authoritas, ſed quòd iſta non credantur eſſe ipſorum.* Sic & [y] *Beda, Liber Enoch inter Apocryphas ſcripturas ab Eccleſia deputatur, non quia dicta tanti Patriarchæ abijci vllatenus poſſint, aut falſa debeant affirmari, ſed quia ille liber, qui ſub nomine eius affertur, non verè ab illo ſcriptus, ſed ſub titulo nominis eius, ab alio quodam editus videtur.*

u Euſeb. hiſt. eccleſ. l. 6. c. 10. Ruffino interp.
x De ciuit. Dei. l. 18. c. 38.
y Comment. in epiſt. Iudæ.

Quartum patet ex ordinaria praxi Pontificiorum: nam licet aliqui eorum aliquando dicunt, *miſerrimum eſſe confugium, aſſerere librum aliquem eſſe ſpurium & ſuppoſititium*, coguntur tamen ſæpiſſimè hoc *miſerrimo confugio* vti.

Eleutherius in Epiſtola ad *Lucium Britanniæ regem* dicit, *Regem eſſe Dei vicarium in regno ſuo.* Quid ad hoc Pontificij? *Multa ſunt in illa Epiſtola quæ probabiliter ſuadent confictam eſſe*, inquit [a] Parſonius. *Illa Epiſtola ad Lucium, magis refert miniſtrum Anglicanum, quàm Epiſcopum Romanum*, inquit [b] alius.

a Tripl. conuer. Angl. par. 1. c. 8.
b Apolog. cauſæ Cathol. cap. 5.

Athanaſius in Synopſi reijcit libros Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, Sap. & Machab. è Canone Scripturæ. Quid ad hoc Pontificij? *Eiúſne ſit à quibuſdam dubitatur?* inquit [c] Serarius. *Demonſtret prædicans Athanaſium eſſe authorem eius libelli, qui Synopſis inſcribitur*, inquit [d] Gretſerus.

c Cōm. in Iudith. prol 4.
d Lib. 1. cap. 10. defen. Bel. 10. 1.

In principio libri de *Aleatoribus* apud *Cyprianum*, ſignificat author, *ſe vniuerſali Eccleſiæ præſidere, & Apoſtolatum gerere ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, & Chriſti vicariam ſedem obtinere, & ſibi traditas eſſe claues ligandi & ſoluendi*, &c. Quid ad hoc Pontificij? *Liber ille non videtur Cypri-*

ani,

ani, ſed alicuius Romani Pontificis, inquit [e] Bellarminus.

e Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 250.

In Epiſtola *Liberij* Papæ, ipſo ferme ſuæ ſedis ingreſſu conſcripta, quæ habetur in libro ſub titulo *S. Hilarij de rebus geſtis in Concilio Ariminenſi*, ſignificat Author, *ſe habere pacem cum omnibus Orientalibus*, nempe Arianis: *Athanaſium verò pronunciaſſe ab omni communicatione alienum.* Cui mox iſta ſubijciuntur ex eodem volumine titulo *Hilarij* inſcripto. *Quid in his literis non ſanctitatis, quid non ex metu Dei eueniens, &c.* quibus Athanaſij condẽnatio, per Liberium facta, probari videtur ab Hilario. Quid ad hoc Pontificij? *Quòd Epiſtola illa Liberij ſit, nihil eſt quod affirmare cogat, & plurima ſunt quæ negare compellunt*, inquit [f] Baronius. Et non eſſe Hilarij verba iſta, quibus probatur Athanaſij condemnatio, per Liberium facta, ſed Ariani potiùs, inquit [g] idem.

f Annal. to. 3. ad an. 352. nu. 15.
g Nu. 13.

In *Baſilij quæſtionibus compendio explicatis*, quæſt 1. & 95. videtur Author *damnare traditiones*, item q. 4. 293. videtur *tollere de medio diſcrimen peccati mortalis, & venialis.* Quid ad hoc Pontificij? *Baſilij quæſtiones compendio explicatæ non ſunt indubitatæ*, inquit [h] Bellarminus. Et alibi, *Valde probabile eſt eas quæſtiones editas eſſe ab homine parum probatæ fidei*, inquit [i] idem.

h Lib. de ſcript. Eccl ad an. 370.
i Lib. 1. de amiſ. gratiæ, cap. 13.

Hilarij Epiſtola ad *Apram* filiam, teſtatur *Hilarium Epiſcopum Pictauienſem* fuiſſe maritum Quid ad hoc Pontificij? *Niſi magna laboraſſes penuria claſſicorum authorum, & admodum impudens in mala cauſa propugnanda fuiſſes, nunquam mentionem feciſſes tam putidæ & fictæ ſcriptionis*, inquit [k] Hardingus in reſponſione ad Iuellum Epiſcopum Sariſburienſem.

k Ad Iuelli replic. contra ſacrificium Miſſæ, ſect. 11. p. 173.

Inter Epiſtolas [l] *Ambroſij*, habetur vna ſub nomine *Damaſi Pont. Rom.* in qua dicit, *ſibi non poſſe competere formam iudicandi, quandoquidem huiuſmodi fuerit Concilij Capuenſis iudicium, vt finitimi, Bonoſo, eiuſq; accuſatoribus iudices tribuerentur.* Quid ad hoc Pontificij? *Illa Epiſtola non eſt Damaſi*, inquit [m] Bellarminus.

l Epiſt. 79.
m Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 24.

Tom. 1. operum *Chryſoſtomi* habetur ſer. in Pſal. 14. qui incipit, *Pulcher eſt Pſalmus*, in quo legimus, *Vna ſola virtus iuſtificat, fides, quæ eſt virtutum faſtigium.* Quid ad hoc Pontificij? *Hanc homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chryſoſtomum agnoſco*, inquit [n] Nobilius Flaminius.

n Notation. in B. Chryſoſt. ad finem to. 5.

To. 2. operum *Chryſoſtomi*, habetur *Opus*, quod dicitur, *imperfectum in Matthæum*, in cuius homilia 49. legimus, *Eccleſiam non cognoſci niſi tantummodo per ſcripturas.* Quid ad hoc Pontificij? [o] Bellarminus agnoſcit *credibile eſſe, Authorem fuiſſe Catholicum*: & confitetur *opus ipſum doctum eſſe & minime ſpernendum*, ſed non videtur eſſe Chryſoſtomi, inquit ille. Et, *haud æquo animo pati poſſumus, adſcriptas fuiſſe ſanctiſſimo viro, eius titulo hactenus conſignatas, quinquaginta quatuor homilias, quas Opus imperfectum, in Matthæum nominant. Quis enim non iure commoueatur, cum videt adſcribi ſanctiſſimo viro, ab incerto authore, ſed certo hæretico hæreticorumq; deterrimo, compoſitas homilias illas purulentas, hæreſium ſcatentes vermibus, quæ ne pilum quidem Chryſoſtomi vel in dictione, vel in ſententijs, vel in dogmatibus habent, ſed ſparſas hæreſes Manichæorum, Montaniſtarum, Arianorum, ac Donatiſtarum continent: atque plane in omnibus ſe prodat auctor longe longius ab Eccleſia Catholica alienum, &c.* inquit [p] Baronius.

o De ſcript. Eccleſ. ad an. 398.
p Annal. to. 5. ad an. 407. nu. 11.

Extitit

Extitit in *Bibliotheca Florentina*, temporibus [p] *Petri Martyris*, Epiſtola *Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum*, in qua ſcriptum fuit, *Panem poſt conſecrationem non vocari amplius panem, licet natura panis in eo permaneat.* Quid ad hoc Pontificij? *Nihil huiuſmodi ſcripſit Chryſoſtomus, neque enim in toto Chryſoſtomi opere, vllus eſt liber, vel Epiſtola ad Cæſarium Monachum*, inquit [r] Bellarminus.

q Loc.comm.

r Lib.2.de Euchar. cap.22.

Extat *Libellus* ſeu *Epiſtola*, ſub nomine *Gregorij Nyſſeni*, qua totus in eo, eſt, vt improbet ad loca ſancta peregrinationem. Quid ad hoc Pontificij? *Baronius* quidem *legitimum eum Gregory partum* agnoſcit Annal. To.4. ad An. 386.nu.39. verùm [f] Bellarminus, *fortè non eſſe Nyſſeni* ait, & ſine *forte*, hæretici librum hunc ſub nomine Gregorij Nyſſeni ſuppoſuerunt, inquit [t] Poſſeuinus.

f Lib. 3. de cultu Sanct. cap.8.

t Præt. ad Lect. to. 1. Apparat.

Epiphanius in epiſtola 60. inter opera *Hieronymi* dicit, *ſe ſcidiſſe velum pendens in foribus Eccleſiæ, tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cuiuſdam.* Quid ad hoc Pontificij? *Illa epiſtola non eſt Epiphanij*, inquit [u] Dureus. *Verba illa non ſunt Epiphanij, ſed ſuppoſititia*, inquit [x] Sanderus. *Sunt potiùs alicuius Iconoclaſtarum figmentum quàm Epiphanij germanum ſcriptum*, inquit [y] Baronius.

u Cont. Whita.p. 389.

x De Imag.l.2.

y Annal.ad an.392. nu.59

Aug. ad Oroſium q. 49. dicit, *vniuerſam Eccleſiam accepto Chriſti ſanguine, dicere Amen.* Quid ad hoc Pontificij? *Reſpondeo*, inquit [a] Bellarminus, *librum illum non eſſe Auguſtini, vt eruditi fatentur.*

a De Miſſa, l.2.c. 12.

Valentinianus Imperator contulit Eccleſiæ Rauennati, ob decôrem Apoſtolicæ dignitatis, honorem pallij, & omnis decôris pontificalis vſum, ſicut cæteri fruuntur Metropolitæ, vt legimus in *Reſcriptis Valentiniani*, ad *Ioannem Rauennatem*. Quid ad hoc Pontificij, qui dicunt *Pallium non niſi à Romanis Pontificibus, Archiepiſcopis ſolitum fuiſſe impartiri, ab Imperatoribus nunquam? Hoc Reſcriptum vafrum commentum eſt, & ſpuriũ*, inquit [b] Baronius.

b Annal. to.5. ad an.432.nu.96.

Inter Epiſtolas *Leonis*, habetur vna, cuius titulus eſt, *Dominis fratribus meritò beatiſſimis &c. Leo, Victorius, Euſtathius, Epiſcopi.* Cuius ſubſcriptio eſt, *Leo epiſcopus ſcribit, Victorius epiſcopus ſcribit, Euſtathius epiſcopus ſcribit.* Quid ad hoc Pontificij, qui loquuntur de Rom. Pontifice, quaſi eſſet in Eccleſia, quod *anima in corpore, totus in toto, & totus in qualibet parte? Hanc epiſtolam non eſſe Leonis Papæ, titulus & ſubſcriptio indicant*, inquit [c] Binnius.

c Notæ to.1.Conc. p. 999.

Leo in Epiſtola 2. ad Conſtantinum dicit, *Honorium Epiſcopum Romanum fuiſſe hæreticum in ſexto Concilio generali condemnatum.* Quid ad hoc Pontificij? [d] Biſciola dicit, *Literas Leonis confictas, & ſuppoſititias, multis argumentis coargui ab authore Annalium.*

d Epito. Annal. Baro.ad an.683.

Fulgentius de fide ad Petrum, citatur à *Bertramo contra tranſſubſtantiationem.* Quid Reſpondent Pontificij? *Ratio conuincit non eſſe Fulgentij, neque aliquid authoritatis habet, quod Bertramus ex hoc verba quædam citat Fulgentij nomine*, inquit [e] Poſſeuinus.

e Apparat.Petr. Diaconus.

Gelaſius contra Eutychen dicit, *Non deſinit eſſe ſubſtantia panis & vini in Sacramento.* Quid ad hoc Pontificij? *Liber ille non eſt Romani Pontificis*, inquit [f] Bellarminus. *Orthodoxi vnâ fermè ſententia, opus illud Gelaſij eſſe negârunt* inquit [g] Baronius.

f De Sacram. Euchar.l.2.c.27.

g Annal. ad an. 496.nu.1.

Theodorus Studita in epiſt. 38. vocat *Concilium Nicenum 2. non Oecumenicum, ſed Locale.* Quid ad hoc Pontificij? *Certe quidem cum eam Epiſtolam legi, in eam exiſtimationem adductus ſum, vt exiſtimarem non ipſius Theodori, vtpote indignam quæ vel cuilibet homini, Catholico adſcribatur, in qua tot adeò aperta mendacia proferuntur,* inquit [h] Baronius.

h Annal. ad an. 787.

Taraſius in *Epiſtola* ad *Hardrianum* Papam, accuſat illum *Simoniæ: fraternitas veſtra, & ſacerdotalis dignitas, magna laborat infamia, &c.* Quid ad hoc Pontificij? *Certè quidem qui eam primus edidit Theodorus Balſamo, Ro. Eccleſiæ acerbiſſimus hoſtis, in ſuſpicionem adducitur Impoſturæ, vtpote ſchiſmate ſciſſus homo, nihil magis ſcribendo laborat, quàm vt Eccleſiæ Romanæ notam inurat, eamdemq; contemptibilem reddat,* inquit [i] Baronius,

i Ibid.

Extant *quatuor libri* ſub nomine *Caroli Magni contra Imagines:* Quid ad hoc Pontificij? *Fictitius eſt Carolus, Pſeudo-Carolus,* & *adulterinus liber,* inquit [k] Copus. *Caroloſtadius commentum ſuum aduerſus cultores imaginum ſub nomine Caroli Magni de cultu Imaginum emiſit,* inquiunt [l] Poſſeuinus, & [m] Sixtus Senenſis. *Dico eos libros non eſſe Caroli, neque eiuſmodi quibus fides aliqua adhiberi poteſt,* inquit [n] Bellarminus.

k Dial. 4. cap. vlt.
l Præfat. ad Lect. to. 1. Apparat.
m Præf. in Bibl. ſanctam.
n Lib. 2. de Imag. cap. 15.

Extat, inter *Orthodoxographa, Epiſtola ad Nicolaum Papam,* ſub nomine *Vdalrici Epiſcopi Auguſtani,* in qua multa habentur contra Cœlibatum ſacerdotum. Quid ad hoc Pontificij? *Dico, eam Epiſtolam videri confictam, & confictam ab aliquo imperito defenſore coniugij Eccleſiaſticorum,* inquit [o] Bellarminus. *Magis redolet Vdalricum Huttenum nouum Euangelicum, quàm S. Vdalricum Auguſtanum Epiſcopum,* inquit [p] Piſanus. *Non eſt fœtus Vdalrici, ſed illius nomine à corruptore aliquo ſuppoſitus,* inquit [q] Florimondus.

o Lib. 1. de Clericis, cap. 22.
p Lib. de continentia, cap. 14.
q Idem fab. Ioannæ, cap. 17.

Extat liber *de corpore & ſanguine Chriſti,* ſub nomine *Bertrami Monachi Corbienſis Cœnobij,* in quo multa contra Tranſubſtantiationem. Quid ad hoc Pontificij? *Suppoſititius eſt,* inquit [r] Gretſerus. *Aliquis Berengarianæ hæreſis fautor libellum hunc confinxit poſt mortem Bertrami, & nomine illius ſuppoſuerunt,* inquit [ſ] Parſonius. *Oecolampadius contra diuinam Euchariſtiam ſub nomine Bertrami presbyteri librum ſcripſit ad Carolum Magnum,* inquiunt [t] Poſſeuinus & [u] Sixtus Senenſis.

r Lib. 2. cap. 10. de Iure & more prohibendi libros malos.
ſ Tripl. conuerſ. art. 2. c. 10.
t Præf ad Lect. to. 1. apparat.
u Præf. in Bibl.

Gildas Albanius è regia Britannorum ſtirpe, ſcripſit de *Victoria Aurelij atque Ambroſij,* & *Britannos recepiſſe Euangelium tempore Tiberij Imperatoris,* dicit. Quod ad hoc Pontificij? *Liber eſt ſuppoſititius,* inquit [x] Parſonius.

x Lib. citato, part. 1 cap. 4.

Luitprandus Ticinenſis ſcripſit *libros 6. de rebus geſtis in Europa ſuo tempore,* in quorum poſtremo, refert Ioh. Papam 12, *ordinaſſe ſacerdotes in ſtabulo inter equos: iuiſſe in patris concubinas: cyathum diabolo propinaſſe, &c.* Quid ad hoc Pontificij? *Scimus illa capita cenſeri Luitprandi, cuius ſuperiores libri cenſentur, nec eam rem hactenus in controuerſiam eſſe deductam: veruntamen exiſtimo capita illa potius Appendicem eſſe ad Luitprandum ab auctore adhuc incerto elaboratam, quàm Luitprandi continuatum opus,* inquit [y] Baronius. Atque, *Baronius non ſine cauſa ſuſpicatur, à capite 6. ſexti libri hiſtoriam non eſſe Luitprandi, ſed alicuius anonymi auctoris,* inquit [z] Bellarminus.

y To. 10. annal. ad an. 963. nu. 3.
z Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 946.

Benno

Benno Cardinalis deſcripſit vitam & geſta *Hildebrandi*, qui Rom. Pont. factus, *Gregorius* 7. dictus eſt: atque narrat cur *Gregorius* ille depoſitus fuerit, ac multa miranda de *Benedicto* 9, *Syluestro* 2, *&c.* Quid ad hoc Pontificij? *Fictus ille Benno Cardinalis, Lutheranorum arte & induſtria in lucem prodijt*, inquit [a] Florimondus. *Aliquis Lutheranus eſt huius libri author, & ſub Bennonis titulo edidit*, inquit [b] Bellarminus. a Fabula Ioan. c. 10. p. 88. b De Ro. Pont. l. 4. c. 13.

Conceſſio facta à Leone Othoni Imperatori apud Gratianum diſt. 63. c. 23. ſic habet, *Concedimus atque largimur domino Othoni primo, eiuſq; Succeſſoribus in perpetuum, facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, &c.* Quid ad hoc Pontificij? *Aſcititia eſt conceſſio, impoſtura eſt, & commentitium decretum: Deo gratias quòd Impoſtor inſulſus, ineptus, ſtolidus, talis extiterit, qui adeò affectata mendacia veſtire neſciuerit, ſed opprobrio ſempiterno nudata deridenda reliquit*, inquit [c] Baronius. c Annal. ad an. 774.

[d] *Gratianus* dicit, *Anaſtaſium* 2. *Romanum Pontificem fuiſſe diuino nutu percuſſum, eo quòd communicaſſet Photino hæretico.* Quod ad hoc Pontificij? *Illud caput eſt omnino confictum*, inquiunt [e] Cenſores Gregoriani. d Diſt. 19. c. 9. e Ibid.

Gloſſa in lib. 1. Sexti, titulo de Renunciatione, dicit, *Cyriacum Epiſcopum Romanum, reliquiſſe Papatum, & ſe cætui Vrſulæ, & vndecim millium virginum adiunxiſſe.* Quid ad hoc Pontificij? *Gloſſema hoc nullius eſt momenti, vtpotè quod neque in antiquioribus exemplaribus inuenitur, neque ab authore ipſo, ſed alio quodam, per parentheſin cognoſcitur intextum, & meritò hodie tanquam nothum, in emendatis authoritate ſedis Apoſtolicæ libris ſublatum eſſe reperitur*, inquit [f] Lippolous. f De vita Sanct. to. 4. p. 770. Colon. 1596.

Bernardus lib. 5. ad ſororem dicit, *In turpi voto muta decretum.* Quid ad hoc Pontificij? *Ille liber ab alio quodam monacho conſcriptus eſt*, inquit [g] Dureus. g Cont. Whita. fol. 96.

Franciſcus in Epiſtola ad ſuos fratres, iubet *vnam tantùm Miſſam, vno in loco celebrari.* Quid ad hoc Pontificij? *Hæc Epiſtola non agnoſcitur à fratribus ordinum minorum pro vera Franciſci epiſtola*, inquit [h] Eckius. h In Enchird. teſte Bellar. de Miſſa, l. 2. c. 10.

[i] *Brigitta* dicit *reuelatum ſibi fuiſſe, animam Traiani ex inferis in ſublimem gradum euectam precibus Gregorij magni.* Quid ad hoc Pontificij? *Non fiat vt credam, quid huiuſmodi fuiſſe ſanctiſſimis fœminis reuelatum, vel ab ipſis eſſe conſcriptum, ſed tantùm ipſarum nomine, ab alijs promulgatum*, inquit [k] Baronius. i Reuel. l. 4. c. 13. k Annal. ad an. 604.

Bonifacius 8. ſcribit ad *Philippum regem Francorum, Scire hoc te volumus, te nobis tum in rebus ſpiritualibus, tum in temporalibus ſubiectum eſſe.* Et Philippus rex Francorum reſcribit, *Sciat tua maxima fatuitas, nos alicui non ſubeſſe, &c.* Quid ad hoc Pontificij? *Paulus Æmilius eſt in ea opinione, vt Epiſtolas iſtas, inter regem & Pontificem, ſuppoſititias eſſe putet*, inquit [l] Stapletonus. l Cont. Hornum Epiſc. Winton. lib. 3. cap. 28.

Concilium Eliberinum c. 36. ſtatuit, *Picturas in Eccleſia eſſe non debere.* Quid ad hoc Pontificij? *Suſpicor in illo canone impoſturam: In eam ſuſpicionem adducor vt aliquis Claudij diſcipulus eiuſdem canonis author fuerit, & talis impoſturæ egregius concinnator*, inquit * Baronius. * To. 1. Annal. ad an. 57. nu. 121.

Synodus Frankfordienſis * reiecit *Pſeudoſynodum Græcorum, quam pro adorandis Imaginibus fecerant.* Quid ad hoc Pontificij? *Quemadmodum, ex* * Regino Lib. 2. Anno 794.

Iouis cerebro natam Mineruam fingunt Poetæ, ita hæc Synodus Apologeticorum in Anglia, proles, & commentum eſt, inquit [m] Copus.

m Dialo.5.c.13.p. 648.

Concilium Conſtantinopol.2.c.5. ſtatuit *Epiſcopum Conſtantinopolitanæ ciuitatis habere primatus honorem debere poſt Romanum Epiſcopum.* Quid ad hoc Pontificij? *Hic canon plane addititius eſt atque ſuppoſitus*, inquit [n] Baronius.

n Annal. ad an. 381.nu.35.

In ſexto & ſeptimo Concilio generali, Honorius Papa in albo hæreticorum enumeratur. Quid ad hoc Pontificij? *Acta 6.& 7.Synodorum Parengrapha ſunt, & mininè germana. Nihil dubitamus, Acta illa quæ circumferuntur ſextæ Synodi nomine nunquam verè acta in vlla legitima Synodo, ſed maxima ſui parte commentitia, & mendacia, nec minus ea quoque quæ hoc ipſo penè anno prodierunt Synodi ſeptimæ, in pleriſque certæ falſitatis notis conſperſa fermentataq́ ſunt*, inquit [o] Pighius.

o De Act.6.& 7. Syno.ad Lecto.

Atque vt hoc modo argumentis occurrunt ſæpiſſimè ipſi aduerſarij, ita & eam reſpondendi rationem laudant. Cum *Baronius* premitur teſtimonio ex *Clementis Conſtitutionibus* deſumpto, [p] reſpondet, *ſe vno verbo liberari poſſe ſi Apocryphum eſſe librum exciperet, & eſſe hoc honeſtum confugium.* Cum *Vaſquez* verba facit de Epiſtola *Epiphanij contra Imagines*, & quo modò noſtrates *Copus* & *Sanderus* reſpondeant, verba illa non eſſe Epiphanij, ſed ſuppoſititia, aperte [q] fatetur, *Illam reſpondendi rationem eſſe interdum, præſentaneum & veriſſimum remedium.*

p Annal. to.1. ad an.Chr. 32.nu.18. & 19.

q De adorat.l.2. diſp.5.c.3.

Ex quibus liquet copiarum Italicarum duces non poſſe nobis illud vitio vertere, quòd ſordidum à precioſo, & ſcripta adulterina à genuinis ſeparemus, quin per latera noſtra vulnerent Apoſtolum *Paulum*, qui illud ſedulò monuit faciendum, & antiquiſſimos Eccleſiæ *Patres*, vnà cum præcipuis militiæ ſuæ ducibus, qui illud ipſum factitarunt, & tanquam recte factum Eccleſiæ Dei commendarunt. Quod igitur in alia cauſa *Pelagiano* cuidam dixit [r] *Auguſtinus, Dic huic Ambroſio ſi audes quæ mihi tam petulanter obijcis:* idem ego *Hardingo, Harto, & Rhemenſibus noſtris*: dicite S. Apoſtolo *Paulo*, antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus, *Serapioni, Origeni, & Auguſtino*, Epiſcopis in ſecundo Concilio *Nicæno* congregatis, & lectiſſimis doctoribus veſtris, *Bellarmino, Baronio, Poſſeuino, Parſonio, Dureo, &c.* Dicite inquam iſtis ſi audetis, quæ nobis tam petulanter obijcitis, eos nempe *impudentes eſſe patronos, vias modoſq́ pudendos iniſſe; ad commune hæreticorum aſylum, idque miſerrimum confugere.* Atque hoc vobis dicendum eſt neceſſariò, ſi huic inſtituto meo de adulterinis ſcriptis deprehendendis & coarguendis, amplius reclamare velitis. Quare ſpero vos nobis æquiores futuros impoſterum, quàm vt hæreticorum affines dicatis, dum adulterina ſcripta à genuinis ſecernimus. Cogitantes cum [ſ] *Gretſero* veſtro, *proprium eſſe hæreticorum libros abs ſe fictos magnorum virorum nominibus falſo inſignire, ſuaq́ commenta ſpecioſis præſtantium doctorum titulis decorare*; & cum [t] *Parſonio* veſtro, *Nebulones eſſe perditiſſimos, non ſolum qui opera ſpuria claris adſcribunt authoribus, verùm eos etiam, qui pro veris & genuinis obtrudunt.*

r Contra Iulianum, lib.2.

ſ De iure & more prohibendi lib. mal.l.2.c.5.

t Trip.conuerſ. Angl.pars 1.c.4.p. 86.

Nec hic quicquam iuuabis dicere, quod [u] *Torrenſis* dixit de operibus, quæ falſò *Auguſtini* nomine feruntur, *Eſto, non ſint eorum libri omnes, quorum nomina præ ſe ferunt; at certe quidem æqualium eorum pleraque ſunt, doctorum iuxta ac piorum hominum plane omnia.* Manifeſtum enim eſt, bene mag-

u Præfatio ad Aug.confeſſ.

nam

nam partem eorum quæ falſis nominibus circumferuntur, vel ab hæreticis fuiſſe conſarcinatam, vel ab ijs editam, qui nullo modo, cum ijs quorum nomine feruntur, ſunt comparandi. *Clementis* enim *recognitiones quædam habent incerta, multa fabuloſa, nonnulla inſuper Catholicis dogmatibus aduerſantia,* inquit[x] Sixtus Senenſis. Commentarij in *Iobum*, qui *Origenis* nomine circumferuntur, *doctrinam de Trinitate ſectam*[y] *vocauit & hæreſin, & tres perſonas, tria cornua diaboli.*[z] Quæſtiones nomine *Auguſtini* de veteri & nouo Teſtamento, *Melchiſedechum conſtituunt Spiritum ſanctum*, quod *Auguſtino* Iudice hæreticum eſt. Epiſtola ad *Auguſtinum, de miraculis Hieronymi*, quæ *Cyrillo* Hieroſolymitano adſcribitur, *conficta eſt ab hæretico Monothelita*, vt teſtatur[a] Baron. At qui iſta ſcripſerint, docti ac pij, non fuerunt, nec vllo modo cōparandi cum *Clemente, Origene, Auguſtino, Cyrillo*, quorum titulis decorantur. Præterea, quod ſcribit *Bellarminus* de vno ſcripto commentitio, id quidem poteſt de omnibus non minus verè affirmari,[b] *Hiſtoria Lini verè conficta eſt, ſi conficta eſt, non eſt vllius authoritatis.* Illud igitur concludam de maxima parte ſcriptorum quæ adulterina & ſpuria ſunt, quod[c] *Pererius Ieſuita* de quodam ſtatuit opuſculo, quod *Ioannes Annius Beroſo, Metaſtheni & Philoni* falſò attribuit. *Valeat & in perpetuum valeat hæc Chronologia Anniana, & quæ toties à viris doctis profligata & iugulata eſt, iaceat in poſterum ſempiterna hominum obliuione ſepulta, nec ſit poſthac qui eam exhumare, & ad fidem aliquam atque authoritatem quaſi ad vitam reuocare audeat. Sat ſit adhuc eam, cum non erat bene nota, impoſuiſſe multis: Nunc detectis atque in apertum prolatis fucatis eius mendacijs & fallacijs, ſi quem circumuenerit ac deceperit, nimis profectò ſtupidum & vecordem eum fore neceſſe eſt.* Valeant & in perpetuum valeant ſcripta ſuppoſititia, quæ Patriarchis, Chriſto, Apoſtolis, *Martiali, Dionyſio, Abdiæ, Lino, Melitoni, Clementi,* alijſque antiquis & ſanctis authoribus aſcripta, & quæ toties à viris doctis ſtigmatibus notata, & inuſta ſunt, iaceant in poſterum ſempiterna hominum obliuione ſepulta, nec ſit poſthac quiſquam, qui ea exhumare, & ad fidem aliquam & authoritatem quaſi ad vitam reuocare audeat: ſat ſit ea adhuc cum non erant bene nota, impoſuiſſe multis; nunc detectis eorum fraudibus & fallacijs, ſi quos deceperint, nimis profectò ſtupidos & vecordes eos eſſe neceſſe eſt.

x Bibl. l. 2. Clem.
y Eraſm. cenſur.
z Bellar. de gra. primi hom. c. 3.
a Annal. to. 6. ad an. 420. nu. 46.
b De Rom. Ponti. lib. 2. cap. 9.
c Comment. in Dan. l. 11 p. 541.

INDEX AVCTORVM ALPHABETICVS, IN QVO

qua quiſque ætate vixit: & qua quiſque pagina reperiri poteſt, oſtenditur.

An. Domini. Pag.

A

74. *Abdias Babylonius.* 44
840. *Aimoinus.* 232
109. *Alexander Papa* 1. 31
374. *Ambroſius.* 134
380. *Amphilochius.* 150
95. *Anacletus.* 29
560. *Anaſtaſius Nicenus.* 218
398. *Anaſtaſius Papa.* 110
70. *Andreæ Paſſio.* 55
167. *Anicetus Papa.*
1080. *Anſel. Cantuar.* 233
238. *Antherus Papa.* 36
Apoſtolorum Canones per Clementem. 3
Ariſteas ante Chriſtum natum. 279
285. *Arnobius.* 85
340. *Athanaſius.* 93
420. *Auguſtinus.* 179
70. *Aurelianus.* 57

B

370. *Baſilius Magnus.* 126
700. *Beda.* 229
1130. *Bernardus.* 235
530. *Bonifacius Papa* 2. 114

C

500. *Caſarius Arelatenſis.* 214
444. *Cæleſtinus Papa.* 113
284. *Caius Papa.* 39
221. *Calixtus Papa* 1. 35
99. *Clemens Papa* 1. 16
306. *Conſtantinus Magnus.* 87
254. *Cornelius Papa.* 38
250. *Cyprianus.* 75
430. *Cyrillus Alexandr.* 206
365. *Cyrillus Hieroſol.* 120

D

367. *Damaſus Papa.* 148
71. *Dionyſius Areopagita.* 50
285. *Dorotheus.* 115

E

180. *Eleutherius Papa.* 35
365. *Ephræm.* 125
370. *Epiphanius.* ibid.
1500. *Eraſmus.* 236
440. *Eucherius.* 209
260. *Euſebius Alex.* 83
520. *Euſebius Cremonenſ.* 167
430. *Euſebius Emiſſenus.* 117
309. *Euſebius Papa.* 40
112. *Euariſtus.* 35
430. *Euodius.* 205

F

239. *Fabianus Papa.* 37
273. *Fœlix Papa.* 38

358. Fæ-

An. Domini. Pag.
358. *Fœlix Papa 2.* 108
500. *Fulgentius.* 216

G

370. *Greg. Nazianzen.* 125
380. *Greg. Nyſſen.* 171
600. *Greg. Magnus.* 218

H

160. *Hegeſippus.* 65
44. *Hermas, ſiue Paſtor.* 13
390. *Hieronymus.* 152
154. *Higinus Papa.* 32
220. *Hippolytus.* 69

I

34. *Iacobus Apoſtolus.* 10
800. *Idiota.* 231
32. *Ieſus Chriſtus.* 2
70. *Ignatius.* 59
406. *Innocentius Papa 1.* 111
398. *Ioh. Chryſoſtomus.* 172
730. *Ioh. Damaſcenus.* 230
506. *Ioh. Papa 3.* 114
70. *Ioſeph. Ben Gorion.* 49
630. *Iſidorus.* 226
337. *Iulius Papa 1.* 107
545. *Iunilius Africanus.* 209
150. *Iuſtinus Martyr.* 64
530. *Iuſtinianus.* 217

L

250. *Lactantius.* 92
32. *Lentulus.* 1
440. *Leo Papa 1.* 222
683. *Leo Papa 2.* 228
70. *Linus Papa.* 15
255. *Lucius Papa.* 38

An. Domini. Pag.
400. *Marcus Eremita.* 203
44 *Marcus Euangeliſta.* 8
336. *Marcus Papa.* 106
305. *Marcellus.* 40
297. *Marcellinus.* 39
Mario Virgo. 12
71. *Martialis.* 53
420. *Maximus Taurineſis.* 204
311. *Melchiades. Papa.* 40
150. *Melito.* 67

O

1080. *Oecumenius.* 235
365. *Optatus.*
230. *Origens.* 71

P

44. *Paſtor. vide Hermas.*
420. *Pulinus Nolanus.* 212
35. *Paulus Apoſtolus.* 11
34. *Petrus Apoſtolus.* 7
600. *Petrus Diaconus.* 225
400. *Philo Carpathius.* 202
158. *Pius Papa.* 34
223. *Pontianus Papa.* 36
540. *Primaſius.* 217
44. *Prochorus.* 14
460. *Proſper.* 213

R

390. *Ruffinus.* 169

S

123. *Sixtus Papa 1.* 33
432. *Sixtus Papa 3.* 210
630. *Sophronius.* 227
175. *Soter.* 34

370. Stepha-

An. Domini. Pag.
37. *Stephanus Epiſcopus Mauritaniæ.* 110

T

142. *Teleſphorus Papa.* 33
200. *Tertullian.* 70
180. *Teſt. 12. Patriarch.* 68.
430. *Theodoret.* 207
365. *Titus Boſtrenſis.* 116.
1265. *Tho. Aquinas* 236

An. Domini. Pag.
820. *Turpinus.* 232

V

194. *Victor Papa.* 34
270. *Victorinus Pictanienſis.* 86
400. *Vigilius Trident.* 214
227. *Urbanus Papa.* 36

Z

260. *Zeno Veronenſis.* 84

INDEX CONCILIORVM, QVOrum vel acta, vel Canones, vel Epiſtolæ aliquot dubiæ fidei cenſentur.

An. Domini. Pag.
102. *Antiochenum.* 237
680. *Conſtantinopol. 6.* 245
1439. *Florentinum.* 246
325. *Nicænum 1.* 241

An. Domini. Pag.
325. *Rom. 1. ſub. Sylueſt.* 240
325. *Rom. 2. ſub Sylueſt. ibid.*
347. *Sardicenſe.* 244
303. *Synueſſanum.* 238

CENSVRA QVORVNDAM SCRIPTORVM VETERVM.

Ariſteæ Hiſtoria eſt ſuppoſititia.

IN Bibliotheca Patrum To.7.edit.3. habetur liber inſcriptus, *Ariſteæ de 72. Scripturæ ſacræ Interpretibus ad Philocratem fratrem hiſtoria.* Hic liber citatur à [a] Baronio, vt probet: Iudæos non niſi manibus lotis adorare conſueuiſſe; & à [b] Bell. vt probet: Septuaginta Interpretes peculiari modo Spiritum ſanctum aſſiſtentem habuiſſe, ne qua in re errarent.

Liber Ariſteæ falſus eſt, & ſuppoſititius, inquit [c] Leo Caſtrius, diſputatione de tranſlatione S. Scripturæ.

Circumfertur libellus Ariſteæ nomine de 72. Interpretibus, confictus, vt puto, ab aliquo recentiore, [d] inquit Viues.

Dicendum, libellum illum de 72. Interpretibus inſcriptum Ariſteæ, confictum eſſe, & ab aliquo ex Ioſepho, & Ariſtea vero, & alijs quibuſdam compilatum, inquit [e] Salmeron Ieſuita. Quod & probat pluribus argumentis, quæ apud eum curioſus lector reperiet.

a Annal. Tom.1. ad An.57.Nu.107.

b De verbo Dei lib.2.cap. 6.

c Præfat. in 35. Eſaiæ.

d Comm.in Aug.l. 18. De Ciuit. Dei.c 42.

e Prolegom. 6. in Euang. to.1.

Lentuli Epiſtola eſt ſuppoſititia.

IN [f] monumentis Patrum inter Epiſtolas orthodoxorum Theologorum Latinorum habetur primo loco *Epiſtola Lentuli, Hieroſolymorũ Præſidis, ad S P.Q.R.* Quæ citatur à [g] Ioh. Molano, vt probet: commodè percipi poſſe, qualis fuerit Chriſti forma & ſtatura: Et à [h] Mendoza Salmanticenſi profeſſore, vt probet: Chriſtum capillos habuiſſe paulo prolixiores, & infra aures dimiſſos.

f Impreſſ. Baſil. 1569.tom. 1.

g Lib.4.de Picturis cap. 48.

h Cont.Theol.q.5.

i Annot. in Tertul. Apolog. ca. 12. nu. 184.
k Declamat. cont. Donationem Conſtantini.

Taceo de Epiſtola Lentuli, ne forte à quibuſdam reyciatur,[i] inquit Pamelius. *Epiſtola, nomine Lentuli improbè ementita eſt*,[k] inquit Valla.

l Num. 6. 5.
m Math. 11. 19. & 26. 29.
n Num. 6. 3.
o De Ro. Eccle. Idolo. lib. 2. ca. 3. nu. 24.

In Lentuli Epiſtola deſcribitur Chriſtus capillos ab humeris volitantes habens, & in medio capitis diſcrimen, iuxta morem Nazarenorum. Vbi, ſi putidum commentum de Nazareno diſcrimine, in capitis medio, non ſatis idonea ſuſpicionis cauſa Pontificijs viſa eſt, vt inſulſum aliquem fraterculum aut monachum ſub cucullo Lentuli latere autumarent: at Chriſtum aluiſſe comam & capillos [l] Nazaræorum more, tanquam ex voto fuiſſet Nazaræus, vel inde animaduertere debebant fictum eſſe, quòd Chriſtus [m] vinum biberit, à cuius potione, qui Nazareatus voto obſtricti erant, [n] abſtinebant, [o] inquit magnum illud Oxoniæ decus, Iohannes Rainoldus.

Epiſtola Ieſu ad Abagarum eſt ſuppoſititia.

p To. 1. ad An. 31 Nu. 59.
q Legend. Tho. Apoſto.
r Catal. ſanct. l. 6. chap. 43.

APud Euſebium lib. 1. ca. 13. habetur *Epiſtola Ieſu ad Abagarum Principem Edeſſæ*. Quæ refertur à Cardinale Baronio in [p] Annales ſuos: & cuius meminit, non ſolùm [q] author Legendæ Aureæ, ſed & [r] Petrus de Natalibus, dicentes: *In ciuitate Edeſſæ, nullus hæreticus, Iudæus, vel idolorum cultor viuere poteſt: ſeb nec barbari eam aliquando inuadere potuerunt, ex quo Agabarus rex ipſius vrbis Epiſtolam manu Saluatoris ſcriptam accipere meruit. Si quando gens aliqua contra eandem ciuitatem venit, die qua lecta fuerit Epiſtola per puerum ſuper murum, eadem die hoſtes aut territi fugiunt, aut pacati recedunt.* Hæc illi.

ſ Epiſt. ad lect. præfix. Tom. 4. operum Hiero. impreſſ. Pariſ. 1533.

Quidam quo nugas ſuas, vel peſtifera dogmata lectori commendent, gratioſa prætexunt nomina, ſiue quo magis aliena fruantur infamia, ſiue quo dogmatum virus ſub magni nominis umbra celerius, latiuſque ſerpat in vulgus. Hinc videlicet inſcriptiones illæ impudentiſſimæ, Epiſtolæ Ieſu ad Abagarum, & Abagari ad Ieſum, inquit [ſ] Eraſmus.

Euſebius refert Chriſtum dediſſe literas ad Abagarum regem, ſed neque illæ propria Chriſti manu exaratæ, neque vnquam

ab

ab Eccleſia pro eiuſmodi acceptæ ſunt, [t] inquit Coſterus.

Galaſius Epiſtolam illam ad Abagarum exploſit, inquit [u] Canus.

Canones Apoſtolorum ſunt ſuppoſititij.

TOmo primo Conciliorum impreſſ. Coloniæ, 1530. habentur *canones Apoſtolorum* numero quinquaginta, quorum vltimus ille eſt, in quo agitur de trina in Baptiſmate merſione. Atqui in editione Petri Crabb, 1551. & Laurentij, Surij 1567. & Seuerini Binnij, 1606. habentur canones 84. qui olim diuiſi erant in 85. vt patet ex Concilio Conſtantinopolitano 6. in Trullo, can. 2.

De authoritate horum canonum mirè inter ſe digladiantur Pontificij: quidam ex illis, quinquaginta priores canones tantùm approbant, in quibus ſunt [c] Bellarminus, [d] Baronius, [e] Poſſeuinus: alij verò omnes recipiendos eſſe cenſent, vt [f] Turrianus & [g] Lambertus Gruterus.

Hi Canones citantur paſſim à Pontificijs, Bellarminus citat canonem 1. vt probet: [h] Epiſcopum non niſi à tribus Epiſcopis ordinandum eſſe: can. 3. & 4. [i] pro ritu Altarium, vt ex eo ſtabiliat, Miſſam eſſe ſacrificium propriè dictum. Canonem 12. 13. & 15. [k] pro diſtinctione & nomine Clericorum & Laicorum. can. 27. [l] pro cælibatu eorum qui ſunt ſacris ordinibus initiati. can. 48. [m] pro inſolubilitate matrimonij quoad vinculum. can. 68. vt probet: [n] Quadrageſimale Ieiunium ab Apoſtolis Domini inſtitutum, atque Eccleſiæ vniuerſæ traditum fuiſſe. Stapletonus citat can. 2. vt probet: [o] Presbyterum ab vno ſemper Epiſcopo ordinatum eſſe, & can. 34. vt probet: [p] ad Rom. Pontificem licere ex toto orbe appellare. [q] Alanus Cardinalis canonem poſtremum citat, vt libros Machabæorum canonicos eſſe euincat.

Hos canones ſummis laudibus euehunt multi Pontificij, & pro canonibus Apoſtolorum Eccleſiæ Dei venditant. *Apoſtolorum canones, certò Apoſtolorum*, inquit [r] Lindanus. *Iſtos canones ab Apoſtolis conſtitutos, à beatóque Clemente conſcriptos eſſe, multis & certis argumentis adducor vt credam*, ait

t Enchirid. Controu. cap. 1. de ſacra ſcriptura.
u Loc. com. lib. 11. cap. 6.
c De Rom. Pon. lib. 2. cap. 27.
d An. to. 2. ad. an. 102. nu. 14.
e Appar. verbo Clemens.
f Pro can. Apo. l. 1. c. 21.
g Præfat. Clemēt. Coloniæ. 1569.
h L. 1. de Cler. c. 3. & l. 4. de not. Eccl. c. 8
i De Miſſa. lib. 1. cap. 16.
k De Cler. lib. 1. cap. 1.
l Ibid c 19.
m De matrimo. lib. 1. c. 26.
n De bo. oper. in part. l. 2 c. 14.
o Releɫ. cont. 2. q. 4 art. 3. p. 238.
p Ibid cont. 3. q. 7. Conclu. 1. p. 405.
q De ſuffrag. pro defunct. c. 3. fol. 141.
r Chrono præfix. Panopl.

 Lambertus

f Præfat. Clem. Coloniæ 1569.

[f] Lambertus Gruterus. *Sexta Synodus Conſtantinopolitana illos magna reuerentia commendat,& Iuſtinianus etiam Imperator, magnopere, vt par eſt, veneratur in Authentica*; inquit [t] Bannes. *Non eſt quod Apoſtolorum canones quis eleuet, aut nothos, ſubdititios, & ab alio quouis Impoſtore confictos, non autem ab Apoſtolis quis dicat editos — nam horum canonum authoritatem receptam per Eccleſiam ab ipſis mox Apoſtolorum temporibus probauit Anacletus Petri diſcipulus, Euariſtus, Sixtus, Victor, &c.* inquit [u] Albertus Pighius. *Damaſcenus tantum illis tribuit, vt videatur eos in numerum librorum canonicorum referre*, inquit [x] Alfonſus de Caſtro.

t Com. in 2.2.S. Tho q.1.art.10. concluſio 6. col. 316.

u Hierarch. Eccleſ.l.2.c.10.

x Aduerſ. hær. lib.1.cap.5.

Certo tamen certius eſt, iſtos canones non fuiſſe Apoſtolorum, partim ex confeſſione Aduerſariorum, partim ex teſtimonijs Patrum. Nam de canone 65. [y] Baronius ſic ſcribit, *Magnam Impoſturæ ſuſpicionem facit canon ille 65. In illo enim cùm excommunicatione plectendus ſtatuatur Laicus, & depoſitione Clericus, qui Sabbatho ieiunauerint, quomodò quæſo, tot támque diſertos antiquos Patres, qui de Ieiunio Sabbathi inſtituerunt diſputationem, canon ille præterijt, vt à nemine citatus reperiatur? vel quonam pacto, obſecro, Romana Eccleſia contra omnium Apoſtolorum canonem, Sabbathi ieiunium ſuſcepiſſet, vel eorum Epiſcopus Clemens id fieri permiſiſſet, qui, quod ſtatuiſſent Apoſtoli, & ipſe ſcripſiſſet, perquam optimè ſciret? vel quomodò ex traditione Petri & Pauli Apoſtolorum principum, eiuſmodi diei Sabbathi ieiunij ſibi vendicare eſt ſolita eadem Eccleſia obſeruantiam, quam Apoſtolorum canoni penitus aduerſari noſſet?* In eadem ſententia conſpirant cum Baronio, Bellarminus, Poſſeuinus, & Binnius. *Canon 65. ſuppoſititius videtur*, inquit [z] Bellarminus; *eſt adulterinus*, inquit [a] Poſſeuinus; *non exiſtimo de ieiunio Sabbathi* (id eſt, 65) *fuiſſe Apoſtolicum canonem*, inquit [b] Binnius.

y Annal. To.1. ad annum 102.nu.15.

z De Rom. Pontif.l.2.c.27.
a Appar. verb. Clemens.
b Not. in can. Apoſto. tom.1. Concil p.17.

Canonem 67. non fuiſſe Apoſtolicæ inſtitutionis liberè profitetur Poſſeuinus, loco ſupra citato. Nam verba faciens de Gelaſio, Leone 9. & Iſidoro, qui canones Apoſtolorum tanquam ab hæreticis corruptos ſimpliciter reijciunt, ſic [c] concludit, *Quòd Gelaſius, Leo 9. & Iſidorus hos canones reijciunt, intelligendum erit de libro in quo ſunt 85. canones, idque propter admixtionem canonum adulterinorum, quales ſunt*

c Apparát. Clemens.

ſunt, canon 65. de ieiunio Sabbathi, & 67. de baptizatis ab hæreticis, & alij fortaſſe nonnulli.

Canonem poſtremum 84. vel, vt alij numerant, 85. non fuiſſe ab Apoſtolis conſtitutum, fatentur Bellarminus, Baronius, Lindanus & alij. *Probabile videtur canonem illum 84. non eſſe Clementis*, inquit [d] Bellarminus: *nam inprimis Zepherinus Papa decimus quintus à Petro, in Epiſtola prima tradit, ſolùm 70. fuiſſe canones Apoſtolorum: at iſte eſt canon 84. —Deinde in iſto canone 84. numerantur libri canonici, & omittuntur quidam, qui certiſſimè ſunt canonici, vt libri Eſdræ, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Apocalypſis. —Præterea iſto eodem canone 84. numerantur inter ſacros libros non ſolùm tertius Machabæorum, ſed etiam Epiſtolæ duæ Clementis, & Conſtitutiones Apoſtolicæ eiuſdem Clementis, quos tamen libros Eccleſia pro ſacris nunquam agnouit. At ſi ille canon verè eſſet Clementis, non poſſet Eccleſia ſine magna temeritate hos libros non recipere, &c.* d De verbo Dei l. 1. c. 20.

Quod ad nouiſſimum canonem ſpectat, quo libri canonici recenſentur, ecquis vnquam Latinorum atque Græcorum adnumerare inter canonicos libros præſumpſiſſet Apocalypſin, quam ſciſſet in Apoſtolorum canone prætermiſſam, qui vel ſaltem cauſam aliquam eiuſmodi ſilentij non adduxiſſet? — Vel quid eſt, quod cum de libris canonicis frequens inter Patres oborta ſit controuerſia, nemo penitus reperiatur, qui eiuſmodi Apoſtolorum canonis, vel ſaltem obiter meminerit? inquit [e] Baronius, ſubiungens [f] ibidem, *Quod item ad eundem ſpurium canonem ſpectat, taceo inpræſentiarum dicere de ſacris libris veteris Teſtamenti, vt Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, qui omnes in eo canone omittuntur; cæterùm quis æquo animo ferat, vt eodem canone, inter canonicos libros octo libri Conſtitutionum Clementis, & duæ eius Epiſtolæ recenſitæ habeantur? quis vnquam tam Græcorum quàm Latinorum ſcriptorum, aut quænam ex ſacris Synodis, tam in Oriente quàm in Occidente antiquitus celebratis, qui texuerunt catalogum canonicorum librorum, inter eos adnumerarint Conſtitutiones Clementis? &c.* e Annal. tom. 2. ad an. 102. nu. 15. f Ibid. nu 16.

Illum Scripturarum canonem qui vulgo in canonibus, vti appellantur, Apoſtolicis, cap. 85. circumfertur, ab Apoſtolis non fuiſſe præſcriptum, hinc liqueat, quòd eo multa ſunt comprehenſa,

 quæ

quæ nondum ab Apoſtolis erant ſcripta, vt plurimæ S. Pauli Epiſtolæ, rurſus D. Petri, & Ioannis, nec Euangelium, nec Apocalypſis, &c. inquit [g] Lindanus. *Hic Canon Apocryphus & ſurreptitius eſt,* inquit [h] Binnius, quod ijſdem probat argumentis quibus vſi ſunt Bellarminus & Baronius.

g Panoplia lib. 3. cap. 3.
h Not. in canon. Apoſto. to. 1. Concil. p. 18.

De reliquis ad vnum omnibus idem fuit Iudicium veteris Eccleſiæ. Nam [i] Gelaſius apud Gratianum enumerans libros qui ab hæreticis, ſiue ſchiſmaticis conſcripti fuerunt, quos *nullatenus* (vt loquitur) *recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romana, ſed à Catholicis potiùs vitandos eſſe cenſuit,* recenſet librum canonum Apoſtolorum. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, *Canones,* [k] inquit, *qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamuis in ijs vtilia inueniantur, tamen ab authoritate canonica atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter Apocrypha deputata.* Quod ab eo dictum eſt, non propter admixtionem quorundam canonum adulterinorum poſt quiquaginta priores, quales ſunt can. 65. & 67. & 84. vt ſomniat * Poſſeuinus, ſed propter admixtionem quorundum canonum inter 50. illos priores, quemadmodum colligitur ex Gratiano, qui poſtquam obſeruaſſet *Apoſtolorum canones eſſe quinquaginta,* continuò addit, vt legimus in antiquioribus editionibus: *hos non recipiendos, ſed inter Aprocryphos deputatos, Iſidorus ſcribit, dicens, canones qui dicuntur Apoſtolorum.* — Atque ſanè, ſi quinquaginta illi canones priores eſſent Apoſtolici, tum Apoſtolicam authoritatem obtinuiſſent in Eccleſia, æquè ac Epiſtolæ Apoſtolicæ, & vim haberent hominum conſcientias obligandi in obedientiam: at nemo ita deſipuit (excipio vnum [m] Damaſcenum, quem eo nomine redarguit [n] Baronius) qui illis authoritatem Apoſtolicam impertiendam eſſe cenſuit. Neque quiſquam eſt ex Pontificiorum grege, qui ſe ad horum canonum obſeruantiam aſtringi patietur. Canoni n. 5. Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum coniugium approbanti, repugnat [o] Lex Eccleſiaſtica Synodi Tridentinæ. Canoni 9. præcipienti vt fideles omnes ſacramentaliter communicent, qui in-

i Diſt 15. Sancta Romana.
k Gratian. diſt. 16. Canones.
* Apparat. verb. Clemens.
m De orthodo. fide. l. 4. c. 18.
n To 2. ad. An 102. nu. 10
o Seſſio 24 can. 9.

interſunt ſacris, repugnat [p] Synodus Tridentina probando Miſſas priuatas. Et vt verbo dicam, [q] Michael Medina dicit: *Ex* 84. *Apoſtolicis canonibus, quos Clemens Romanus Pontifex, & eorundem diſcipulus, in vnum coegit, vix ſex, aut octo, Latina Eccleſia nunc obſeruat.* Neque multo ſecus Martinus Pereſius; [r] aſſerit enim, *In illis contineri multa quæ temporum corruptione non plenè obſeruantur, alijs pro temporis, & materiæ qualitate, aut obliteratis, aut totius Eccleſiæ magiſterio meritò abrogatis.*

p Seſſio.22.can.6.
q De ſacr. hominum continentia, lib.5.c.105.
r De traditio.par.3.cap.de author. can.Apoſtolorum. fol.243.

Liturgia ſeu Miſſa Petri eſt ſuppoſititia.

Lindanus anno 1589 excudendum curauit Tractatum quendam ſub hoc titulo, *Miſſa Apoſtolica,* ſeu *diuinum ſacrificium S. Apoſtoli Petri.* Hæc Miſſa citatur à [ſ] Coccio, vt probet: verè contritos & confeſſos, ſi ante præſtitam ſatisfactionem deceſſerint, pœnis Purgatorijs ad definitum tempus torqueri, &, huiuſmodi pœnas Eccleſiæ & amicorum ſuffragijs, orationibus, eleëmoſynis, & ieiunijs mitigari: citatur etiam ab [t] eodem, vt probet; in Euchariſtia ſub ſpecie panis & vni, veram Ieſu Chriſti carnem, ac verum ſanguinem exhiberi.

ſ Tom.2.l.7.de Pœnitent. Art.5. pag.848.
t Tom.2.l.6.de Euchar.art.1. p.605.

Hæc Miſſa non poteſt eſſe S. Petri, nam primò [u] continetur in ea oratio, qua petitur, *vt Petri & Pauli — interceſſione, & precibus concedatur, vt in omnibus diuina protectione muniamur* [x]. Non autem credibile eſt Petrum in inuocando Deum ſua ipſius merita commemoraſſe. Secundò fit mentio *Lini, Cleti, Clementis, Zyſti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmi & Damiani,* [y] *Ignatij, Alexandri, Marcellini, Fœlicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Luciæ, Agnetis, Ciciliæ, Barbaræ, & Iulianæ;* ex quibus quidam in viuis erant, ducentis trecentiſve annis poſt Petri mortem. Quibus adde quòd Bellarminus nullibi citare auſus eſt hanc Miſſam ſub nomine S. Petri, licèt antiquas Miſſas ſæpiuſculè citet. Nec auſus eſt Margarinus de la Bigne eam intexere Bibliothecæ ſuæ, in quam tamen intexuit Miſſas Iacobi, Marci, Baſilij, vt videre licet tomo 6. editionis 3.

u Pag.23.
x ibid.
y P.31.

Quid

z Annotat. in hanc Liturg. p. 44.
a Apologia pro Miſſa Petri. ca. 23. p. 105.

Quid quòd [z] Genebrardus ipſe fateatur, *Initio quædam adiecta, & medio addita, & fini quædam attexta, imò,* [a] *quædam Scribæ oſcitantia, aut negligentia, aut malitia omiſſa?*

Liturgia ſeu Miſſa S. Marci eſt ſuppoſititia.

b De ſacrificio Miſſæ l. 1. c. 4.

c Theſaur. Cathol tom. 2 l. 6. de Euchar. art. 1.

LIturgia ſeu Miſſa S. Apoſtoli & Euangeliſtæ Marci, Diſcipuli S. Petri*, habetur in Bibliotheca vet. Patrum Tom. 6. edit. 3. quæ citatur à [b] Gregorio de Valentia, vt probet: pleraſq; ceremonias verborum atque factorum, quibus hodie vtitur Eccleſia in Miſſa, ab Apoſtolis inſtitutas fuiſſe. Et à [c] Coccio, vt probet: in Euchariſtia ſub ſpecie panis & vini, veram Chriſti carnem, & verum ſanguinem exhiberi, &, de ſacrificio Miſſæ prædixiſſe Malachiam Prophetam.

d Col. 22.

e Col. 19.

f Col. 22.

g Col. 17. & 18.

h Col. 23.

i Col. 24. & 26.

Hæc Miſſa eſt ſuppoſititia: primò, quia [d] precatur pro Martyribus & Patriarchis — obteſtans Deum *horum omnium animabus dare requiem.* Nam hoc redolet errorem eorum, qui crediderunt *animas Sanctorum non viſuras Deum ante diem Iudicij*, à quo S. Marcum longè abfuiſſe, nemo eſt qui dubitat. Secundò, in [e] hac Miſſa habetur oratio in hanc formam, *Protege ciuitatem iſtam propter Martyrem tuũ & Euangeliſtam Marcum, qui nobis viam ſalutis demonſtrauit, &c.* quæ planè demonſtrat, Marcũ Martyrio coronatũ fuiſſe, priuſquàm hæc oratio compoſita fuit. Tertiò, quo tempore hæc Miſſa compoſita fuit, Rex illius regionis in qua author Miſſæ vixit, *Orthodoxus & Chriſtianus* erat, [f] hiſce enim titulis inſigniuntur reges pro quibus precatur. Verùm aliquem extitiſſe regem Orthodoxum & Chriſti amantem, Marci tempore, præſertim vbi Marcus vixerit, inauditum eſt. Quartò, in hac Miſſa [g] author precatur pro *Papa*, pro *Subdiaconis*, pro *Lectoribus*, pro *Cantoribus*, pro *Monachis*: verùm Marci temporibus, id genus Clericorum, & Monachos extitiſſe, ex probatis ſcriptoribus euinci nunquam poteſt. Poſtremò, in hac Miſſa fit mentio [h] *Confeſſorum*, & verbi [i] *Homouſion*, ex quo conſtat, quod paulò inferiùs probabitur, hanc Miſſam non eſſe Apoſtolicam.

Liturgia

Liturgia, ſiue Miſſa S. Iacobi eſt ſuppoſititia.

IN[k] Bibliotheca veterum Patrum habetur liber inſcriptus *Sancti Iacobi Apoſtoli, fratris Domini, & Hieroſolymorum primi Epiſcopi diuina Miſſa*; quæ ſeparatim excuſa eſt Antuerpiæ an. 1560. Citatur à[l] Bellarmino, pro mixtione aquæ & vini in ſacramento, &, [m] pro Miſſæ ſacrificio, & rurſus ab eodem, vt probet; [n] Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium, [o] impetratorium, & [p] pro defunctis in Purgatorio ritè offerri, [q] pro commixtione hoſtiæ, pro vſu ſigni crucis, pro oſculo &c.

k Tom. 6. edit.
l De Euchar. lib. 4. c. 10.
m De Miſſa l. 1. cap. 18.
n De Miſſa lib. 2. cap. 2.
o Ibid. c. 3.
p Ibid. c. 7.
q Ibid. cap. 15.

Hæc Miſſa eſt ſuppoſititia. Nam primò in ea fit mentio *Confeſſorum*, quum tamen *Confeſſorũ* nulla facta fuit mentio in publica Liturgia temporibus Apoſtolorum, quemadmodum fatetur [r] Bellarminus, qui canonis Miſſæ antiquitatem ex eo probat, quia in ea nulla fit mentio Confeſſorum. Nam *certum eſt Martyres cœpiſſe publicè coli ab initio Eccleſiæ, Confeſſores autem multo ſerius hunc honorem in Eccleſia meruiſſe*, inquit ille. Quod & Innocentius 3. confirmat, nam *Eccleſia poſt tempus B. Sylueſtri cœpit ſanctorum Confeſſorum memoriam celebrare*, inquit [ſ] Innocentius.

r De Miſſa l. 2. c. 10.
ſ De Miſterijs Miſſæ l. 3. c. 10.

Secundò, in hac Miſſa reperitur verbum *homouſion*. At qui *conſtat ipſum homouſij nomen longè poſt Origenis tempora enatum*, inquit [t] Sixtus Senenſis.

t Bibl. l. 4. Origenes.

Tertiò. In hac Miſſa virgo Maria dicitur *Deipara*, cum tamen vox *Deipara*, non audita eſt in Eccleſia Dei vſque ad Neſtorij tempora poſt annum 400.

Quartò, In hac Miſſa videtur author eodem errore teneri quo illi, de quibus ſupra, qui animas fideles non viſuras Deum ante diem Iudicij dixerunt: ſic enim precatur, *Memento Domine ſpirituum & vniuerſæ carnis — orthodoxorum, ac rectè de fide ſentientium ab Abel iuſto vſque ad hodiernum diem; fac eos requieſcere in regione viuentiũ, in regno tuo, in delitijs Paradiſi, in ſinu Abrahæ, vbi præſidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget*. Verùm, quum *Hoc tenere ſit Chriſtum mediatorem negare, & alium cum Iudæis Meſſiam expectare*, [u] iudice Hoſio Card. abſit, vt huius Miſſæ S. Iacobum authorem faciamus.

u Confeſſ. Petrik. ca. 58.

x Annal. to. 1. ad An. 63. nu. 17.

Baronius, qui hanc Miſſam S. Iacobi eſſe voluit, [x] fatetur acccidiſſe, *vt alijs ſuperadditis precibus, alijs verò breuiori ſummâ contractis, ritibus nonnihil auctis, aut mutatis, paulò diuerſior ab illa priſtina habeatur.* Quæ eſt opinio ipſius Bellarmini, ſic enim ille, in Indice ſuo ſcriptorum Eccleſiaſticorũ, cum cenſuris, qui manuſcriptus multorum manibus teritur. *De Liturgia Iacobi ſic ſentio, eam aut non eſſe eius, aut multa à poſterioribus eidem addita ſunt; nam in ea iubet fieri mentionem Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & alibi meminit Anachoretarum, & Chriſtianorum damnatorum ad metalla, cum tamen conſtat Anachoretas cœpiſſe à Paulo 1. Eremita, & Chriſtianos cœpiſſe damnari ad metalla poſt tempora Apoſtolorum. Ibidem iubet recitari, Gloria Patri & Filio, &c. quem hymnum compoſitum fuiſſe in Concilio Nicæno communis opinio eſt. Iubet & dici, Sanctus Deus, Sanctus fortis, ſanctus & Immortalis, miſerere nobis, qui diu poſt tempora S. Iacobi inuentus eſt. Multa ſunt alia quæ redolent nouitatem.* Hæc ille.

Extat Liturgia S. Iacobo attributa, quæ tamen à poſterioribus ita locupletata eſt, vt non ſit facile dijudicare, quæ pars eius Liturgiæ S. Iacobum habeat autorem, inquit idem Bellarminus libro de Script. Eccleſ. nouiter recuſo ad An. 34. de S. Iacobo Apoſtolo.

Epiſtolæ Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum, ſunt ſuppoſititiæ.

IN Bibliotheca Sixti Senenſis, lib. 2. verbo Paulus Apoſtolus, habentur quædam *Epiſtolæ* ſub nomine *S. Pauli ad Senecam*, in quas (vt verè ibidem annotauit Sixtus) Iacobus Faber Viennenſis Epiſcopus ſcripſit breues Commentariolos. Hæ Epiſtolæ citantur à [y] Salmerone Ieſuita, vt probet: Senecam vnum fuiſſe ex ijs in Cæſaris familia, qui ſalutarunt fideles Philippi. Et ab alijs etiam citantur, [z] teſte eodem Salmerone, vt perſuadeant S. Paulum plures Epiſtolas quàm 14. ſcripſiſſe. De ijs [a] Salmeron pronunciare non veretur, materiam illarum not multum certè diſtare ab illis Ioannis Euangeli-

y Coment. in Philip. 4. 22.

z Diſput. 3. in Pauli Epiſtolas.

a Ibid.

ſtæ

ſtæ ad electam Dominam, & ad Caium, aut Apoſtoli Pauli ad Philemonem.

Has Epiſtolas ſpurias eſſe cenſuit Eraſmus: ſic enim [b] ille, *Hæ Epiſtolæ falſò inſcribuntur Paulo & Senecæ. Nihil in illis eſt, neque Paulo dignum neque Seneca.* In quo, nec mentitum eſſe Eraſmum, quod perſuaſum lectori valde velit [c] Salmeron, nec calumniatum eſſe, quod dicit [d] Margarinus de la Bigne, patebit ex aliorum ſententijs; quibus, ſi quis Ieſuita, aut Ieſuitaſter, mendacium aut calumniam obijcere audeat, audiet ſine dubio quæ non vellet. Atque primus qui ſententiam dicat, ſit Baronius Cardinalis.

b Schol. in Hiero. de Eccle. Scriptor. Senec.

c Com. in Phi. 4. 22.

d Bibl. vet. Patrum tom. 7. edit. 3. in margine l. 2. Lini de paſſione S. Pauli.

Extat Senecæ nomine Epiſtola ad Paulum de incendio Neroniano: ſed mea ſententia ab alio quopiam potiùs ficta videtur, quàm à Seneca ſcripta, cum tam aperta in ea afferantur mēdacia. — Quamobrem & reliquæ illæ tum ad Paulum conſcriptæ, tum à Paulo ad eum redditæ, æquè nobis ſuſpectæ redduntur, quamuis ſcimus eas non recens eſſe excogitatas, ſed antiquitus ſcriptas, & à S. Hieronymo cognitas atque probatas, inquit [e] Baronius.

e Annal. tom. 1. ad an. 66. nu. 11.

Baronium ſequatur [f] Poſſeuinus: *Sixtus Senenſis, non ſolùm propendet in eam ſententiam, vt Epiſtolæ illæ mutuæ Pauli & Senecæ eorundem fuerint, verùm etiam teſtimonijs Hieronymi, Auguſtini, Lini Pontif. Max. ad id aſtruendum vtitur. Atqui neque Linus is fuit, & Acta Pauli ei ſcripta, reprobata fuerunt vt Apocrypha, nec ipſæ Epiſtolæ ita cohærent, vt eorum aſſeri poſſint quibus tribuuntur, — Quorſum illa Conſulatus adſcriptio in Epiſtolis Pauli & Senecæ, qui in eadem vrbe commorabantur, quiq; ſimplicibus ſchedis vti videbantur ad minuendum colloquij deſiderium? — Mitto dictionem ſeu phraſin parum Senecæ ſtylo reſpondentem, cui Cornelius Tacitus cultum orationis tribuit; minus autem reſpondentem Paulinæ phraſi eam, quæ in Epiſtolis iſtis ei aſcriptis cernitur.* Hæc Poſſeuinus, qui alibi etiam [g] teſtatur, nonnullos alios Catholicos credere *Epiſtolas ſub nomine Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, ad exercendum ingenium ſcriptas fuiſſe, ſicut paucos ante annos ſub Ciceronis nomine prodijt libellus de Conſolatione ad filiam.*

f Apparat. verbo Seneca.

g Apparat. to. 1. in initio, ad Lectorem.

His accedat iudicium Ludouici Viuis. *Epiſtolæ quæ circumferuntur*

cumferuntur Pauli ad Senecam, & huius viciſſim ad illum, non credo ab illis eſſe ſcriptas, inquit [h] Viues.

h Comment. in Auguſt. de Ciuitate Dei lib. 6. c. 10.

Epiſtola Mariæ Virginis ad Ignatium eſt ſuppoſititia.

IN Sixti Senenſis Biblio. l. 2. verbo, *Maria*, & in Biblioth. vet. Patrum Tom. 3. edit. 3. habetur *Epiſtola S. Mariæ virginis ad Ignatium*, quæ citatur à [i] Caniſio, vt probet: Mariam in charitate proximi exercenda inprimis diligentem fuiſſe.

i De Deipara virg. l.5.c.1.

Quod attinet ad duas priores Epiſtolas S. Ignatij ad Ioannem, & ad duas alias ſequentes, alteram Ignatij ad Mariam Deiparam, alteram Mariæ ad Ignatium, tametſi eas vt germanas vindicari ſciamus à pluribus recentioribus, vt D. Bernardo Ser. 7. in Pſal. 9. Marco Michaele Carnotenſi Preſbytero, lib. de viris illuſtribus; Dionyſio Carthuſiano in Comment. ad lib. Areopagitæ de diuinis nominibus; Sixto Senenſi bib. l. 2. in Maria; Petro Caniſio lib. 5. de Maria, cap. 1. & alijs. At cum illarum neque Euſebius, nec Hieronymus, nec Nicephorus, nec vllus veterum ad B. vſque Bernardum meminerint, qui alioqui accuratè ſcripta Ignatij memorauerunt, tutius fuerit eaſdem vel in Apocrypharum ordinem redigere, aut ſaltem, vt non omnino certas, ac genuinas habere, [k] inquit Ioan. Maria ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter. Cuius Cenſura habetur verbatim præfixa Ignatianis Epiſtolis in [l] Bibliotheca veterum Patrum.

k In Indice Rom. lib. expurgandorum, to. 1.
l To. 3. edit. 3.

Eadem eſt ſententia Baronij, ſic enim [m] ille, *Fertur eiuſdem Dei genitricis Epiſtola ad Ignatium reddita, eiuſdemque Ignatij vna ad ipſam ſcripta, duæ verò ad Ioannem Euangeliſtam de eadem ipſa loquentes. Sed Hieronymus, & alij antiquiores qui eiuſdem Ignatij recenſuerunt Epiſtolas, eas non nouerunt.*

m Ann. to. 1. ad an. 48. nu. 25.

Epiſtola

Epiſtolæ Mariæ virginis ad Florentinos & ad Meſſanenſes, ſunt ſuppoſititiæ.

APud [n] Caniſium, de Maria deipara virgine, habetur Epiſtola ſub *Mariæ nomine ad Florentinos*, de qua multum gloriantur Florentini, & quam Hieronymus Ferrarienſis pro Concione explicare non dubitauit, teſte Caniſio. Qui & meminit alterius ad Meſſanenſes apud Siculos miſſæ, quam reuerenter in ſcriptis ſuis aſſeruant. Has ipſe Caniſius citat, vt probet: Virginem Mariam de multorum etiam abſentium longeque diſſitorum ſalute non parum ſollicitam fuiſſe. Quod fecit etiam [o] Ferreolus Locrius, aſſerens *ipſas Epiſtolas verè genuinas* eſſe.

n Lib. 5. c. 1.

o Maria Auguſta lib. 5. c. 37.

Baronius Cardinalis, poſtquam de Epiſtola Mariæ ad Ignatium ſententiam tuliſſet, *Traduntur* [p] (inquit) *& aliæ, ab ipſa ad alias ſcriptæ ciuitates, quas cunctas, cum careant Eccleſiæ authoritate, non niſi in Apocryphorum claſſem reijciendas eſſe, omnes facilè iudicabunt.*

p Annal. to. 1. ad an. 48. nu. 25.

Hermæ opera ſunt ſuppoſititia.

IN [q] Bibliotheca vet. Patrum habentur libri tres inſcripti *D. Hermæ, qui S. Pauli diſcipulus fuit:* qui à Patribus, *Paſtoris*, ſiue *Paſtoralis* nomine inſcribuntur, & citantur, vt ibidem legimus. Hi libri citantur à [r] Coccio, vt probet: quemlibet hominem, & quamlibet orbis terræ regionem, proprium habere Angelum in cuſtodiam; [ſ] Caſtitatem eſſe conſilium Euangelicum; [t] facto inter coniuges diuortio, nulli licere, viuente vno, alteri copulari: & ab eodem etiam, pro [u] Purgatorio.

q To. 5. edit. 3.

r To. 1. l. 4. de Angel. art. 3. p. 352.

ſ To. 2. l. 4. art. 4. p. 391. de vita monaſtica.

t To. 2. l. 9. art. 3. p. 1000.

u To. 2. l. 7. art. 5. p. 849. de pœnitentia.

Scriptura Paſtoris ab omni Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter Apocrypha, falſa & adultera indicatur, inquit * Tertullianus, dum Montaniſta Orthodoxos alloquitur, * Baronio etiam citante.

* Lib. de pudicit.

* Annal. Tom. 2. an. 159. nu. 5.

x Apparat.Paſtor.

Hic qui modò extat liber Hermæ, ſeu Paſtoris, habetur ſuppoſititius à viris doctiſſimis, inquit [x] Poſſeuinus. *Hermæ Pauli diſcipuli libri tres, qui alio nomine liber Paſtoris nuncupatur, propter eius antiquitatem permittitur, verùm tanquam Apocryphus, cuius non liceat dictis & authoritati fidere*, inquiunt [y] Inquiſitores Hiſpanici. *Dubitandum nullo modo eſt, libellum hunc Paſtoris, vt modò ſcriptus habetur, ab Herma Pauli diſcipulo non eſſe conſcriptum, cum & hæreſibus & fabulis ſit oppletus: eum S. Gelaſius in Rom. Concilio inter Apocrypha ſcripta abijcit: Item & S. Proſper nullius authoritatis eſſe pronuntiat*, inquit [z] Ioannes Maria Magiſter ſacri Palatij, cuius Cenſura [a] præfixa eſt his libris: & inſeruit ad detegendam Stapletoni impietatem, apud [b] quem legimus, *Quòd ſi præſens Eccleſia (librum* Paſtoris *) in canonem ſacræ Scripturæ referret, nulla ratio obſtat quin eum pro Canonico admittere debeamus æquè atque Epiſtolam Iacobi.*

y Index Expurg. Hiſpan. fol. 149.

z Rom. Index lib. expurgand. tomo 1. p. 171.

a Tom. 5. vet. Patrum. edit. 3.

b Relectio Princip. fide. doctrinal. cont. 5. q. 2. art. 4.

Hiſtoria Prochori eſt ſuppoſititia.

IN [c] Bibliot. vet. Patrum habetur hiſtoria ſub nomine *Prochori*, cuius inſcriptio ſic habet, *Hiſtoria Prochori Chriſti diſcipuli, de vita, miraculis, & aſſumptione B. Ioannis Apoſtoli.* Hæc citatur à Coccio, vt probet: Chriſti crucis ſignum, vel ſola fidelium manu expreſſum, dæmonibus eſſe terrori, hominibus ſaluti.

c Tom. 7. edit. 3.

Hanc hiſtoriam qui ſcripſit, illuſtri ſibi authoritatem nomine facere voluiſſe videtur, vt non verus ſed Pſeudoprochorus ſit; [*] inquit Lorinus Ieſuita.

* In Act. c. 6.

Hæc hiſtoria de vita Iohannis Apoſtoli falsò adſcribitur S. Prochoro, Diacono de ſeptem primis, & Chriſti diſcipulo; eſt enim Apocrypha, fabuloſa, & prorſus indigna quæ legatur, inquit [e] Magiſter ſacri palatij, cuius cenſura præfixa eſt huic hiſtoriæ tom. 7. Biblio. vet. patrum, & [f] approbatur à Poſſeuino: adde etiam quòd Baronius obiter hanc hiſtoriam attingens, *Pſeudoprochorum* [g] appellat, &, *multa in eo ſcripta eſſe quæ ſunt prorſus commentitia ac fabuloſa, indigna planè quæ chartis ſuis inſerantur*, [h] confidenter aſſerit. *In multis enim*

e Ind. Rom. lib. expurg. to. 1. p. 241

f Apparat. Prochorus.

g Annal. tom. 1. ad an. 99. nu. 4.

h Ibid. ad An. 44. nu. 30.

enim auctor mendaciſſimus fuiſſe conuincitur; nec ſi quæ vera dicit, ea tutò poſſunt affirmari: [*] inquit idem Baronius. [* Ibid. ad an. 92. nu. 1.]

Opera falsò adſcripta Lino.

IN [i] Biblioth. vet. Patrum, & in hiſtoria Chriſtiana per Laurentium de la Barre, impreſſ. Pariſijs 1583, habentur duo libri, quorum prior hunc habet titulum, *B. Lini Romanorum pontificis de paſſione B. Petri & Pauli ad orientales Eccleſias liber primus:* alter, hunc; *De Paſſione B. Pauli ad Eccleſias orientales liber ſecundus.* Citantur in [k] Legenda aurea, vt probetur, Petrum magnum inſtituiſſe certamen cum Simone Mago: à [l] Sixto Senenſi, & [m] Salmerone, vt fidem concilient Epiſtolis Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum; & à [n] Coccio, vt probet: animas Sanctorum viuentibus aliquando apparere, & ignota quædam reuelare.

[i Tom. 7. edit. 3.]
[k In vita Petri.]
[l Biblio. l. 2. Paulus.]
[m Com. in Philip. cap. vltim.]
[n To. 1. l. 5. de ſanctis Eccle. art. 9. p. 512.]

Spurij ſunt hi libri, etiam ipſis fatentibus Pontificijs, vel ſaltem ita corrupti, vt fidem omninò nullam mereantur. *Miror,* [o] inquit Claud. Epencæus, *adeo placere Iacobo Fabro non indocto certè viro, nec nullius alioqui naſi, Lini nomine de paſſione Petri ſcriptum, matronas Romanas à virorum thoris, pudicitiæ prætextu abducentis. Acta paſſionis Petri feruntur à Lino conſcripta, quæ quidem fuere aliquando fortaſſe ſincera, quæ autem modò extant Manichæorum fuligine reperiuntur tincta, ſicut & de alijs Andreæ queritur Auguſtinus; nam ſicut in illis Andream, ita in iſtis Petrum habes, non tantùm caſtitatem rectè ſuadentem, & concubinas ab hominibus diuellentem, ſed malè docentem etiam ne viris ſuis vxores debitum redderent, quæ quidem à ſincera Apoſtolica prædicatione procul abhorrent,* inquit [p] Baronius: & [q] alibi, *Acta paſſionis Petri & Pauli, quæ Lini nomine inſcripta habentur, multis eſſe referta erroribus ſuperius eſt demonstratum. Lini hiſtoria verè conficta eſt; & quia conficta, nullius eſt authoritatis,* inquit [r] Bellarminus. *Similis narrationi Prochori eſt narratio, quæ extat ſub nomine S. Lini: Narrat enim Autor ille multa de Actis S. Petri, quæ vel falſa, vel dubia ſunt; neque teſtimonium habet hoc opuſculum S. Lini à veteribus:* inquit [*] idem Bellarminus: adiungens & nonnulla

[o De Continentia lib. 6. c. 2.]
[p Annal. to. 1. ad An. 69. nu. 6.]
[q Ibid. ad An. 80. nu. 4.]
[r De Rom. Pontif. l. 2. c. 9.]
[* In libr. de Scrip. Eccleſ.]

ibi haberi, *quæ Patribus omnibus veteribus*, quædam etiam *quæ S. Pauli doctrinæ repugnent:* vnde & *ſuppoſititium eſſe concludit. Dubitandum non eſt, quin hæc hiſtoria de Paſſionibus ſiue Agone S S. Petri & Pauli confiſta fuerit*, inquit [f] Poſſeuinus. *Duo iſti libri de Paſſione Petri & Pauli ſub nomine Lini Romani Pontificis & Martyris ſunt Pſeudepigraphi, multos errores continent, nec vllius cenſentur authoritatis, vt iam eruditorum conſenſu nimis exploratum habetur*, inquit [t] Io. Maria magiſter ſacri Palatij, cuius cenſura præfixa eſt his libris, tom. 7. Biblio. vet. Patrum.

f Appar. Linus.

t Index Rom. lib. expurgand. tom. 1.

Conſtitutiones Clementis ſunt ſuppoſititiæ.

A Clemente ſcriptæ traduntur *Conſtitutiones Apoſtolorum*, quæ habentur ſeorſim impreſſæ Pariſijs, 1564. & Coloniæ, 1569, Bouio interprete. Quo etiam interprete, reperiuntur in Suriana editione Conciliorum, licet in editione Binniana ſint ex interpretatione Turriani.

Citantur paſſim à Pontificijs.[a] Anglo-Rhemenſes citant vt probent, Ieiunium quadrageſimale Apoſtolicam eſſe traditionem. Bellarminus citat, [b] pro antiquitate ordinum Eccleſiaſticorum, pro [c] voto continentiæ, pro [d] oratione pro mortuis, pro [e] aqua luſtrali, pro [f] reſeruatione Sacramenti, pro [g] miſtione vini & aquæ in Sacramento, pro [h] lotione manuum ante conſecrationem, pro [i] Confirmationis Sacramento, &c. citant, etiam & alij.

Atque vt fidem & authoritatem hiſce Conſtitutionibus faciant, ex illis quidam aiunt, [k] *Ipſum librum ſpiritu Apoſtolico pleniſſimum eſſe*, &, [l] *indubitatum opus Clementis. Cuius rei adeo perſpicuæ habentur probationes, vt nullo modo eludi poſſint.* Imo [m] Copus noſter perſuaſum lectori velit, *Summo Dei beneficio contigiſſe vt Clementis διατάξεις, multis ſeculis reconditæ, ad reprimendum Magdeburgenſium & Apologeticorum noſtrorum contra Sanctos* (vt loquitur) *inſolentiam, in lucem prodierint.* Et [n] Stapletonus, *Nullam rationem obſtare*, ait, *quin ſi præſens Eccleſia referret has Conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente*

a Annot. in Luc. 4. 1.
b Lib. 1. de. Clericis. c. 12.
c Lib. 2. de. Monach. cap. 26.
d Lib. 1. de Pur. cap. 6.
e Lib. 3. de cultu ſanct. cap. 7.
f Lib. 4. cap. 4. de Euch.
g Lib. eod. c. 10.
h Lib. 2. de Miſſa cap. 15.
i Lib. 2. de. confirmat. c. 3.
k Stapleton. defenſ. Eccl. Autho. l. 2. c. 11.
l Briſto. in duplicat. adu. Fulconem c. vlt.
m Dial. 3. cap. 5.
n Princip fid. doctrinal. cont. 5. q. 2. Art. 3.

Clemente editas, in Canonem ſacræ Scripturæ, nos eas pro Canonicis admittere debeamus, æquè atque Epiſtolam Iacobi. Et tamen liquidò patet, tum ex libro ipſo, tum ex teſtimonio veterum Patrum, & confeſſione aduerſariorum, has Conſtitutiones non fuiſſe à Clemente ſcriptas, vel ſaltem ex quo ſcriptæ ſunt, turpiter maculatas & corruptas fuiſſe.

Ipſe liber plenus eſt ineptiarum & mendaciorum, è quibus euincitur inſanire eos qui Clementi viro grauiſſimo & veraciſſimo aſſcribant. Atque pro inſtantia ineptiarum, id cuiquam ſatis eſſe poteſt, quod in eo [o] legimus, *Duos Diaconos ex vtraque parte Altaris debere tenere flabellum confectū ex tenuibus membranis, vel ex pauonum pennis, vel ex velo, quibus leuiter abigant præteruolantes beſtiolas, ne in pocula incidant*, idque ex præſcripto Apoſtolorum. De mendacijs agemus pluribus. o Lib. 8. cap. 15. Bouio interprete: c. 12 Turriano interprete.

Ac primò, ſplendidè mentitur, cum [p] dicat: *Trigamiam eſſe argumentum incontinentiæ*, id quod ſupra trigamiam ſit, *manifeſtam fornicationem* iudicari, & non *dubiam intemperantiam.* Quod ex ipſo [q] Bellarmino conſtat, qui Catholicos docere confitetur, *Tertias & quartas nuptias & alias deinceps eſſe licitas, & vera matrimonia.* p Lib. 3. c. 2 q De. Matrim. lib. 1. c. 9.

Secundò æquè ſplendidè mentitur, cum Mariam Magdalenam [r] diſtinguat à Maria ſorore Lazari & Marthæ. Nam *atteſtatione Iohannis Euangeliſtæ, imò Chriſti, apertiſſimè conſtat vnam eandemq; perſonam fuiſſe, Mariam Lazari & Marthæ ſororem cum Maria Magdalena*, inquit [ſ] Baronius. r Lib. 3. c. 6. ſ Annal. To. 1. ad An. 32. Nu. 19.

Tertiò mentitur cum [t] dicat Æquinoctium fuiſſe tunc temporis 22. die Dyſtri. 1. Martij: cum Apoſtolorum temporibus fuerit 25. agnoſcente [u] Bouio. t Lib. 5. cap. 18. u Scholijs in hunc locum.

Quartò mentitur in eo, quòd [x] dicat, Philippum, qui baptizauit Simonem Magum, fuiſſe Philippum Apoſtolum, nam [y] certa res eſt, Philippum illum, non niſi Diaconum fuiſſe. x Lib. 6. cap. 7. y Act. Apoſt. c. 8.

Quintò mentitur, cum Iacobum fratrem Domini [z] recenſeat, quaſi extra numerum 12 Apoſtolorum. Nam an non plus ſatis Paulus Apoſtolus monſtrat Iacobum fratrem Domini vnum ex 12. fuiſſe, cum ſcribens ad [a] Galatas ait, z Lib. 6. c. 12. & 14. a Cap. 1. v. 19.

Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini?

b Lib. 6. cap. 14.

Sextò mentitur, cum mentionem [b] faciat Iacobi Zebedæi, quaſi viuentis poſt Conc. Hieroſolymitanum, de quo Act. 15. Nam Iacobus Zebedæi filius ante Concilium illud ab Herode fuit interfectus, id quod in Actis Apoſtolorum legitur, agnoſcente [c] Bouio. Iacobus Zebedæi filius ab Agrippa Rege Iudæorum occiditur Anno 44. Concilium Heroſolymitanum, de quo Act. 15. celebratum eſt Ann. 51. inquit, [d] Baronius.

c Scholijs in hunc locum.

d Annal. tom. 1 ad an. 44. nu. 1. &. ad an. 51. nu. 4.

e Lib. 6. c. 15.

Mentitur 7. cum Baptiſmum ab impijs datum, improbatum eſſe [e] dicat. Nam probitas Miniſtri, non requiritur vt ſacramenta efficacia eſſe poſſint, vt docet, idque verè, [f] Bellarminus.

f De efficacia Sacram. l. 1. c. 26.

g Lib. 8. c. 38. alias 12.

Mentitur 8. cum [g] dicat *pellicem infidelem ancillam quæ cum Domino tantùm rem habuerit, ad Baptiſmum poſſe recipi: ſi verò cum alijs impudica fuerit, repelli debere.* Nam ex eo videtur ſequi, quod rectè obſeruauit [h] Poſſeuimus, Domini cum ancella concubitum non videri huic authori fornicationem, quod dictu abſurdum eſt.

h Apparat. ſac. verbo, Clemens

Mitto dicere, antiquum Iudæorum Sabbatum pro feſto ſancto, in his Conſtitutionibus, inſtitui, æquè ac diem Dominicum. Cum dicat [i] Author, *Operentur ſerui quinque dies, in Sabbatho & Dominico die quieſcant, in Eccleſia, propter doctrinam pietatis.* Quod tamen minimè Apoſtolicum cenſendum eſt, quandoquidem in [k] Concilio Laodiceno, [l] fatente Bellarmino, Anathema dicitur ijs, qui Sabbathum colunt, & in eo vacant ab operibus. Quæ commemoraui ludicra & mendacia, amentem arguunt, qui tot & talium mendaciorum parentem Clementem dicat eſſe. Verùm progrediamur ad teſtimonia Patrum, & Confeſſionem aduerſariorum.

i Lib. 8. c. 39.

k Can. 29

l De cultu ſanc l. 3. c. 10.

m Poſt Synod. 6. c. 2.

Patres 227. conuenientes in Trullo apertè [m] docent, *hiſce conſtitutionibus iam olim ab ijs qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam & à pietate aliena introducta eſſe, quæ diuinorum nobis decretorum elegantem ac venuſtam ſpeciem obſcurarunt.* Adeoque profitentur *ſe illas ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem vtiliter reieciſſe.*

Athanaſius

[n] Athanaſius ipſe, haſce Conſtitutiones eodem numero habet quo, *circuitum Petri, circuitum Iohannis, circuitum Thomæ, Euangelium Thomæ:* de quibus omnibus affirmat, eos *peruerſè ſcriptos, nothos, ac reprobos.* n In Synopſi ſacræ Script. prope fine.

Aduerſarij ipſi Apocryphas eſſe confitentur. Nam Margarinus de la Bigne, in hæc verba ex [o] Conſtitut. Apoſtolicis deſumpta, *Epiſcopus ignorantia aut mala mente oppreſſus, nõ eſt amplius Epiſcopus*, hoc gloſſema [p] appingit in margine: *Cautè lege iſta ex Apocrypho libro accepta, nam Epiſcopus malus aut imperitus verus Epiſcopus eſt.* Et Baronius ipſe, diſputans an Maria cuius Lucas meminit, illa ipſa ſit quæ ſoror Lazari & Marthæ fuit, de qua Ioannes ſcribit: perueſtigans quid de ea veteres ſcriptores ſenſerint, & obijciens in contrarium Conſtitutiones Clementis Romani nomine, in quibus diſtinguitur Maria Magdalena à Maria ſorore Lazari & Marthæ, [q] ſubiungit. *Sed vno verbo his liberari poſſemus, ſi Apocryphum eſſe librum exciperemus. Sanè quidem ſi hæc dicta ſunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re ſcripſerunt?—Sed prætermiſſo hoc quantumuis honeſto de Apocryphi exceptione confugio,—quod ſpectat ad refellendam Clementis nomine ſuppoſitam authoritatem, dicimus ab aliquo alio ea verba eſſe addita longe poſt Clementis tempora, idque euidenti coniectura, &c.* Hæc Baronius, qui [r] alibi, *Ab hæreticis multa in illis fuiſſe corrupta,* EX CAN. 2. NOMINE SEXTAE SYNODI COLLIGIT, *& aliqua inſuper in eas ex Græcorum fontibus effluxiſſe ſibi facilè perſuaſit.*

o Apud Anaſta. Nicænum quæſt. in ſcript. Col. 44.
p To. 1. Bibl. vet. pat. edit. 3.
q Ann. tom. 1. ad an. 32. nu. 18. & 19.
r To. 2. Annal. ad an. 102. nu. 9.

Bouius etiam corruptas agnoſcit. Nam, *tantum abeſt vt ea quæ in hoc Capite legimus Apoſtoli ſtatuerint, vt etiam contraria horum ab ipſis præcepta videantur,* [ſ] inquit ille: & [t] paulo poſt, *Sed quid opus eſt aliunde Argumenta petere? Ipſa conſtitutio ſe prodit, & tantum non vocem emittens, clamat ſe nouam eſſe—fortaſſe edita eſt poſt Concilium Nicænum.*

ſ Scholijs in lib. 5. cap. 18.
t Ibid.

Bellarminus denique incertus eſt quo ſe vertat, corruptas tantùm, an ſuppoſititias dicat. Nam de *Conſtitutionibus Apoſtolorum nihil certi habetur*, [u] inquit ille. *Multa tamen habent quæ me vehementer mouent, vt quod lib. 3. cap. 2. quartas nuptias vocent manifeſtam fornicationem: & lib. 5. cap. 6. diſtinguunt Mariam Magdalenam à Maria ſorore Lazari &*

u In Indice ſcrip. Eccle. cum Cenſura M.S.

Marthæ. Et cap. 10. prohibent ſimpliciter ne laici baptizent. lib. 6 cap. 7. Philippum qui baptizauit Simonem magum vocant Apoſtolum, cum non fuerit niſi Diaconus: & cap. 24. Iacobum fratrem Domini volunt non fuiſſe Apoſtolum: & cap. 15. iubent rebaptizari baptizatum ab hæreticis: & lib. 8. cap. 26. 27. 28. volunt imponi manum Diaconiſſæ, Subdiacono, & Lectori, quod abhorret ab Eccleſiæ conſuetudine. & cap. 32. dicunt Exorciſtas non ordinari. & 38. Pellex, infidelis ancilla, ſoli Domino obſequens recipitur, ſi cum alijs intemperans fuit, reijcitur. Quaſi Domini cum ancilla concubitus non ſit fornicatio: & cap. 39. Petrus & Paulus iubent feſta Apoſtolorum ſeruari: & lib. 7. c. 24. iubent feſtos dies agi, Sabbathum & Dominicum. Hæc ille.

Clementis Recognitiones.

EXtant *decem libri Recognitionum* ſub nomine *Clementis*, editi à Lamberto Grutero Colon. 1569. quorum tertius citatur à [x] Bellarmino, pro libero arbitrio; Septimus à [*] Peresio, pro Ciborum delectu; & decimus, ab [z] Hardingo, pro traditionibus: atque vt maiori precio habeantur ab imperitis, [a] dicuntur habere authorem *Sanctum glorioſumq́; Martyrem & Pontificem Clementem.* Dicuntur eſſe opus *Clementis Romani, Diuorum Petri & Pauli principum Apoſtolorum Diſcipuli.*

x De gra. & lib. arbit. l. 5. c. 25.
* De traditio. pars 3. tit. de Ciborum delectu.
z Confut. Apo. par. 1. fol. 34.
a Pighius Hierar. l. 1. c. 4.

Hi libri (fatentibus [b] Sixto, & [c] Baronio,) ijdem ſunt cum illis qui à quibuſdam *Circuitus Petri*, ab alijs *Itinerarium Clementis* appellantur, & cum ijs, qui, [d] teſte Baronio, citantur à *Beda*, nomine *Hiſtoriarum Clementis.* Iam conſtat *Itinerarium Clementis* non ſolùm antiquitus ab Athanaſio in Synopſi, & Gelaſio in Concilio 70. Epiſcoporum, ſed proximis annis à Romanæ Inquiſitionis Senatu, in Indice damnatorum ab Eccleſia voluminum aſſcribi, quemadmodum legimus apud Sixtum Senenſem loco proximè citato. Rurſus, in his libris, *pleraque ſunt incerta, multa fabuloſa, nonnulla inſuper Catholicis dogmatibus aduerſantia*, ex quibus Iacobus Archiep. Genuenſis nonnulla annotauit in vita Clementis; agnoſcente [e] Sixto Senenſi. *Ex his libris*

b Bibl. l. 2. Clemens.
c Annal. to. 2. ad An. 102. nu. 21.
d Nu. 22.
e Biblio. ibid.

tanquam ex cœnoſo gurgite, eiuſmodi portentoſa mendacia, & inſana deliria deducta ſunt, quæ non tantùm ab eruditis viris improbanda, ſed ab omnibus qui vel leuiſſimè Eccleſiaſticarum rerum peritia tincti ſunt, eſſe procul reyciendanon dubitamus, inquit [f] Baronius. Ecquis autem tam amens qui *Clementem diuorum Petri & Pauli Diſcipulum, ſanctum & glorioſum Martyrem, & Pontificem*, putet tam turpi prole parentem?

[f] Ann. to. 1. ad an. 51. nu. 53.

Ioan. Driedo in Academia Louanienſi publicus ſacræ Theologiæ profeſſor, vt refert Sixtus, hos libros ſuo calculo condemnauit. *Liber Recognitionum eſt Apocryphus, eo quòd in illo quædam ſunt ex perſona Petri dicta, quibus aſſentitur Eunomij dogmati*, [g] inquit ille.

[g] De Eccle. ſcript. & dog. pars 5. l. 4. c. 5. p. 602.

Idem fecit Sixtus Senenſis, cuius hæc ſunt verba, [h] *Recognitionum volumina, vt liberè pronuntiem quid ſentiam, ſuſpicor non eſſe Clementis. Nam prætérquam quòd multa in ipſis ſub perſona Petri Apoſtoli, ex intima Platonis, & Ariſtotelis Philoſophia referuntur, duo quoque integra folia recitantur ex perſona Petri in nono libro huius operis, ad verbum tranſcripta ex libro de fato aduerſus Abydam Aſtronomum Bardeſanis Syri, qui teſte Epiphanio claruit ſub Marco Imperatore Annis 70. poſt mortem Clementis: quam etiam Bardeſanis ſcripturam Euſebius iiſdem planè verbis recitat, ne una quidem immutata dictione.*

[h] Bibl. lib. 2. Clemens.

Idem Pererius: apertè enim [i] dicit, *Quod in illis libris traditur non magni eſt faciendum, propter dubiam, aut nullam potiùs apud viros doctos eius operis fidem, & authoritatem.*

[i] Comment in Gen. l. 2. q. 1.

Idem Bellarminus & Baronius, ſic enim [k] Bellar. *Libri Recognitionum cenſentur Apocryphi:* ſic [l] Baronius, *Meritò iureque Gelaſius in Romano Concilio recenſuit hunc Commentarium inter Apocrypha; conſultius nobis viſum eſt ab illorum vſu in Annalibus abſtinere, quia inſulſis fabulis eoſdem eſſe refertos prudentes omnes qui eos accuratè perlegerint, puto cognoſcent.*

[k] De Rom. Pontif. l. 2 c. 2.
[l] Ann. to. 2. ad an. 102. nu 22.

Clem. Epiſtolæ Decretales ſunt ſpuriæ.

ANno 1592. prodiere Romæ *Decretalium Epiſtolarum libri tres*, teſte [m] Poſſeuino. Harum aliquot dicuntur

[m] Apparat. ſac. verbo, Decretaliſt.

ſcriptæ à Romanis Pontificibus, qui primis trecentis, pauloque amplius à Chriſto annis, vixerant, nimirum, à *Clemente, Anacleto, Euariſto, Alexandro, Sixto, Teleſphoro, Higino, Pio, Aniceto, Sotere, Eleutherio, Victore, Euſebio, Zephyrino, Calixto, Urbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Sixto 2. Dionyſio, Fælice* 1. *Gaio, Marcellino, Marcello, Euſebio, Melchiade, & Sylueſtro* 1. quæ omnes habentur to. 1. Conciliorum edit. Petri Crab, & Seuerini Binnij, 1606.

Hæc Epiſtolæ creberrimè citantur à Pontificijs, in multis, quæ nobis cum illis intercedunt controuerſijs, licet potiſſimùm in negotio ſuprematus Papæ, eaſque quidam ex illis, mirificè efferunt. *Has Epiſtolas ſancti Pontifices plurimi glorioſi martyres Chriſti ſcripſerunt*, inquit [n] Pighius. *Has Epiſtolas dico, antiquitate ſua, & totius mundi reuerentia conſecratas, omni grauitate, doctrina & ſanctitate refertas, & teſtimonio ac vſu poſteritatis omnium ſeculorum confirmatas*, inquit [o] Turrianus. *Decretales Epiſtolæ proximum locum habent poſt decreta Conciliorum*, inquit [p] Alphonſus de Caſtro. *Decretales Epiſtolæ Canonibus Conciliorum pari iure exæquantur*, inquit [q] Gratianus: imò inter *Canonicas ſcripturas* decretales Epiſtolas connumerari, [r] Gratianus probare contendit ex Auguſtino: & Gratiano conſentit [ſ] Cardinalis Turrecremata; conſtat tamen cum ex ipſis Epiſtolis, tum ex quorundam Aduerſariorum confeſſione, haſce Epiſtolas ſpurias eſſe, barbaras, inſulſas, ſine ſenſu, ſine ſententia, indignas planè tam ſanctis & doctis præſulibus: quod partim argumentis particularibus in hanc & illam Epiſtolam, partim generalibus contra omnes coniunctim, manifeſtum faciam, ac primò exordiar à Clementinis, quæ primò occurrunt.

[n] Hierar. l. 4. c. 9.

[o] Pro epiſt. Pont. l. 2. p. 152. in præfat.

[p] Aduerſ. hær. l. 1. c. 2.

[q] Diſt. 20. Decretales.

[r] Diſt. 19. in canonicis.

[ſ] Summa de Eccleſia l. 2. c. 108. & l. 4. part. 2. c. 9.

Clementi Papæ, eius nominis primo, quinque Epiſtolæ inſcribuntur, quarum prima citatur ab [t] Hoſio, pro auriculari confeſſione: à [u] Bellarmino, pro ſuprematu Papæ: à [x] Pamelio, pro Exequijs mortuorum: & à [y] Rhemenſibus, vt probent: Petrum promiſiſſe Clementi ſucceſſori ſuo, ſe poſt obitum non deſiturum pro illo & pro grege ſuo orare.

[t] Confeſ. Petriko. c. 47.

[u] De Rom. Pont. l. 2. c. 14.

[x] Anno. in Tertul. de Corona militis nu. 36.

[y] An. in 2. Pet. 1. 15

Hanc Epiſtolam adulterinam eſſe euincunt multa. Nam primò, in hac Epiſtola legitur S. Petrum ordinaſſe Clementem ſucceſſorem ſuum. *Audite me fratres* (inquit Petrus) *Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis & doctrinæ Cathedram trado:* in quo adeò propoſiti tenax fuit Petrus, vt cum Clemens ſe ad pedes Petri proiecisset, *excuſans, ſe, & declinans honorem Cathedræ*, S. Petrus reſpondiſſe dicitur, *Pro hoc ne me rogaueris, hoc enim fieri ſtatutum eſt mihi, & eò magis quòd excuſas, &c.* Atqui conſentiens vox eſt cum veterum, tum recentiorum, Linum, non Clementem ſucceſſiſſe Petro. Sic enim legimus apud [z] Auguſtinum, [a] Hieronymum, [b] Optatum, [c] Irenæum, [d] Euſebium, [e] Epiphanium, [f] Dorotheum, [g] Bedam, [h] Platinam, [i] Onuphrium, Pontacum, Genebrardum; & hæc ratio adeo efficax viſa eſt, vt nonnullos etiam Pontificios de fide Epiſtolæ ſubdubitare coegerit, teſte Sixto Senenſi, ſic enim [k] ille: *De ipſa dubitatum eſt à multis, quia abſurdum videretur, quod in eo ſcriptum eſt de Clemente, nimirum ſuſcepiſſe illum à Petro Romani Epiſcopatus ſedem, ante quem conſtat Linum, & Cletum Romanæ vrbis fuiſſe Epiſcopos:* è quorum numero Nicolaus Cuſanus videtur vnus. Is etenim inter alia argumenta quæ allegat, vt Epiſtolam ſeipſam prodere oſtendat, hoc ipſum vrget in [l] libro qui inſcribitur de Concord. Catholica.

z Epiſt. 165.
a De Eccleſ. Scrip. Clemens.
b De Schiſmat. Donat. l. 2.
c L. 3. c. 4. adu. hær.
d Hiſtor. Eccl. l. 3. c. 2.
e Hær. 27.
f In Synopſi.
g Martyrolog.
h De vitis Pontificum.
i In Chron.
k Bibl. l. 2. Clemens.
l Lib. 3. c. 2.

Secundò in hac Epiſtola Clemens dicitur tranſmiſiſſe Iacobo plurima deſcripta in libro, ſub eo ipſo titulo quem ipſe Petrus præcepit affigi, id eſt, *Clementis Itinerarium.* Atqui liber ille qui Clementis Itinerarium [m] dicitur, inuſtus eſt notâ infamiæ, non ſolùm ab antiquis Patribus, verùm etiam ab ipſis Romanis Inquiſitoribus: ex quo ſequitur hanc Epiſtolam non eſſe Clementis. Quis enim credat virum tam ſanctum & Apoſtolorum diſcipulum, libellum tam infamem tanto Apoſtolo commendare voluiſſe?

m Biblio. Sixti Senen. l. 2. Clemens.

Tertiò in hac Epiſtola legimus S. Petrum, ſic Clementem eſſe alloquutum. *Deprecor te, O Clemens, coram omnibus qui præſentes ſunt, vt poſteaquam (ſicut naturæ debitum eſt) vitæ præſentis finem fecero, Iacobo fratri Domini deſcribas breuiter, vel quæ ad initium fidei tuæ ſpectant, vel etiam quos ante fidem*

dem animos geſſerit, ſed & qualiter mihi ab initio vſque ad finem comes itinerum & actuum fueris, &c. quod fideliter ſe præſtitiſſe dicit Clemens. At Iacobus mortuus eſt 7. annis ante Petrũ, vt colligi poteſt ex [n] Ioſepho & [o] Euſeb. Ex quo etiam ſequitur, Clementem hanc Epiſtolam minimè ſcripſiſſe. Nam quis credat vel Petrum hortatum eſſe Clementem vt ſcriberet ad mortuum, vel Clementem ſic inſaniuiſſe vt ex proprio cerebro tam prolixam, tam futilem, tam mendacem Epiſtolam ad defunctum exararet?

n Antiquit. Iud. l. 20. c. 16.
o Hiſtor. Eccle. l. 2. c. 23.

Hæc ratio adduxit Petrum Comeſtorem, quadringentis abhinc annis, vt hanc Epiſtolam reijceret tanquam ſpuriam; ſic enim [p] ſcribit, *Cum Beda dicat Iacobum ſeptimo anno Neronis mortuum, palam eſt non eſſe Authenticum quod legitur in Epiſtola Clementis, qui iuxta tenorem illius Epiſtolæ dicit ſibi mandatum à Petro cui ſucceſſit in Apoſtolatu, vt poſt eius mortem Iacobo epiſtolas deſtinaret, vt ab eo inſtrueretur; ſed cum Iacobus Epiſcopus mortuus ſit ſeptimo anno Neronis, & Petrus vixerit vſque ad 14. conſtat hoc nihil eſſe.*

p Hiſtor. Scholaſtica in act. Apoſtolo. c. 101.

Eadem ratio commouit Ioannem de Turrecremata Cardinalem vt reijceret prorſus omnem huius Epiſtolæ authoritatem, quemadmodum verè annotauit [q] Sixtus Senenſis. Nam in [r] Summa de Eccleſia, ſic legimus: *Ad illam obiectionem quæ dicitur eſſe B. Petri ad Clementem* (intelligit Epiſtolam primam Clementis ad Iacobum) *reſpondetur, quòd illa authoritas non militat contra concluſionem noſtram, quoniam cum B. Iacobus multo tempore fuerit mortuus ante B. Petrum, ſcilicet ad minus 8. annos, vt colligitur ex Chronicis, non videtur veriſimile quòd B. Clemens ſcripſerat illam Epiſtolam poſt mortem B. Petri B. Iacobo.*

q Bib. l. 2. Clemens.
r Lib. 2. c. 101.

Nicolus Cuſanus, eodem innixus fundamento, hanc epiſtolam ſeipſam prodere confidenter aſſerit. *Nam Clementem poſt Petri mortem ad S. Iacobum has fingit ſcriptor miſiſſe Epiſtolas, qui fuit frater Domini, & Hieroſolymorum Epiſcopus; & eſt manifeſtum, Iacobum prius Petro* 8. *annis finiyſſe vitam martyrio*, inquit ille. Quem ſequitur Ioannes Driedo. *Nam Petrus crucifixus eſt anno poſt paſſionem Chriſti* 37. *ex quo conſequens videtur, Epiſtolam quæ inſcribitur Clementis Pontificis Rom. Eccleſiæ, quæ ſe indicat ſcriptam poſt Petri*

ſ De Concor. Catholica. l. 3. c. 2

Petri mortem ad Iacobum fratrem Domini, non eſſe reuera ipſius Clementis, inquit [t] Driedo. *Epiſtola Clementis nomine ad Iacobum fratrem Domini falsò inſcripta eſt*, inquit [u] Baronius *Fertur Clemens ſcripſiſſe duas Epiſtolas ad Iacobum fratrem Domini, ſed prior non poteſt eſſe Clementis, nam eius epiſtolæ initio dicitur diuum Petrum eſſe mortuum, cum tamen B. Hieronymus de viris illuſtribus, dicat Iacobum obijſſe anno 7. Neronis, & D. Petrum anno 14. Neronis*, inquit [x] Poſſeuinus. Vide hac de re [y] Binnium, & ſi placet etiam [z] Lambertum Grurerum qui *dempta Eccleſiæ authoritate & traditione antiqua, dicit ſe velle vehementer ambigere de hac epiſtola Clementina.*

t De. Eccleſiaſt. ſcript. & dogmat. l. 1. c. [illegible] par. 3
u Annal ad. an. 69. nu. 43. To. 1.
x Appar. Clemens.
y In not. tom. 1. Concilio.
z In Clementinis.

Quartò in hac Epiſtola mentio fit *Primatum*, ex quo colligit * Contius, *hanc Epiſtolam eſſe adulterinam & commentitiam.*

Clementis Epiſtola 2. citatur à [a] Bellarmino, pro reſeruatione ſacramenti: ab [b] Hoſio, pro vnctione Sacerdotum in ordinatione: & à [c] Pereſio, pro cœlibatu Sacerdotum.

* Annot. in. c. 6. q. 1. beatus
a De Euchar. l. 4. c. 5.
b Confeſſ. Petriko. c. 53.
c De traditio. part. 3. tit. de. Cælibatu.

Titulus epiſtolæ ſeipſam prodit, ſic enim habet, *Clemens Romanæ Eccleſiæ præſul Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo.* At Iacobus mortuus eſt ante Petrum, vt ſuprà probatum eſt, & per conſequens antequam Clemens Romanæ Eccleſiæ præfuit. Præterea, hæc Epiſtola ſcatet nugis, & quiſquilijs, quæ tamen, quaſi fortunæ Eccleſiæ in ijs poſitæ eſſent, vrgentur. Admonet enim Iacobum fratrem Domini quomodo vaſa ſacra ab eo tractari debeant. *Altaris* (inquit) *Palla, Cathedras, Candelabrum & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: quoniam non licet ea quæ in Sanctuario fuerint, malè tractari, ſed incendio vniuerſa tradantur, cineres quoque eorum in Baptiſterio inferantur vbi nullus tranſitum habeat, aut in pariete, aut in foſſis pauimentorum iactentur, ne introeunetium pedibus inquinentur.* Et paulò poſt, *De velis* (inquit) *Ianuarum cura ſit, ne quis negligens aut ignarus, ad velum Ianuæ domus Domini manus inconditè tergat: murum ſtercora inter fragmenta Dominicæ portionis non appareant, neque putrida per negligentiam remaneant Clericorum, &c.* concludens tandem: *Hæc igitur frater Iacobe, de ore S. Petri iubentis audiui. Si quis præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit Anathema vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Ecquis autem eſt tam à ſpiritu ſimul ſenſuque deſertus, qui Petrum Apoſtolum de talibus nugis ſollicitum fuiſſe exiſtimet? vel tam grauem pœnam in rebus tam leuiculis delinquentibus irrogari voluiſſe? vel tam ieiunè de Iacobo fratre Domini & collega ſuo in Apoſtolatu ſenſiſſe, vt eum de tam minutis rebus admonendum eſſe cenſeret? Quis ergo tam à ſpiritu ſimul ſenſuque deſertus, qui hanc Epiſtolam Clementis eſſe credat?

Clementis Epiſtola 3. ſuppoſititia.

d Tit. de Baptiſmi ſacramento.
e De traditio. part. 3. tit. de ſacramento ordinis.
f De ritibus Eccl. Cath. l. 2. c. 6.

CLementis Epiſtola 3. citatur in [d] Catechiſmo Rom. pro quibuſdam ritibus quibus vtuntur Pontificij in Baptiſmo: à [e] Perceſio, pro vnctione Epiſcoporum in ordinatione: & à [f] Stephano Durante, vt probet: Miſſas extra ſacratas ædes non eſſe celebrandas.

Hæc Epiſtola eiuſdem eſt farinæ cum ſuperioribus. Nam dum garrit *non licere preſbyteris in ſua parochia Miſſas agere abſque iuſſu proprij Epiſcopi, nec baptizare, nec quicquam abſque eius permiſſu facere*, &, *quòd reliqui populi non abſcedant ſua parochia abſque eius permiſſu, vel in ea aduentantes morari præſumant*, manifeſtum facit, Clementem Rom. Pontificem non eſſe huius Epiſtolæ authorem, is enim mortuus eſt anno 102. teſte Baronio. Parochiæ autem non ſunt conſtitutæ & diuiſæ ante annum 261. quo Dionyſius Papa vixiſſe dicitur: hic enim fuit qui Parochias quas dicunt, diuiſit, teſte [g] Polydoro Virgilio. Rurſus, dum hic author ſcribit, *non licere preſbyteris in alijs locis ſacrificare & Miſſas celebrare, niſi in his quibus Epiſcopus proprius iuſſerit, aut ab Epiſcopo regulariter ordinato, tenente viz. ciuitatem, conſecratus fuerit, aiatq́; hoc doceri nouo & veteri Teſtamento*: prodit ſe eſſe ex patre Diabolo, quis enim hæc nobis confirmet ex nouo & veteri Teſtamento? Vt verbo dicam, quæ in hac Epiſtola leguntur, hæc eadem leguntur ſparſim in Recognitionum libris, inquit [h] Sichardus, quod fatetur etiam [i] Gruterus.

g De Inuento. rerum l. 4. c. 9.
h In Argumentũ huius Epiſtolæ.
i Præfatio in opera Clementis.

Nam,

Nam, *quòd vir doctus Iohannes Sichardus ſenſit eam collectam eſſe ex Recognitionibus, &c. idem & ego factum exiſtimo,* inquit Gruterus; imò & [k] Turrianus, nam, 3 *Epiſtola Clementis ex bona parte ex ſermone B. Petri qui eſt in libro 5. Recognitionum, compoſita eſt*, inquit ille: atqui liber *Recognitionum* in Indicem damnatorum ab Eccleſia voluminum reijcitur, vt ſuprà oſtendimus. Quid ergo aliud concludendum eſt, quàm quod [l] concluſit quidam ex ipſis proprius ipſorum Propheta, Sichardum intelligo, *Veriſimile videri hanc à ſtudioſo aliquo Clementis conſcriptam potius, quàm ab ipſo Clemente?*

k Pro Epiſto. Pontificum l. 5. c. 24. p. 651.

l Loco ſupra citato.

Clementis Epiſtola 4. *ſuppoſititia.*

Clementis Epiſtola 4. citatur à [m] Pereſio, pro ſatisfactione; à [n] Bellar. pro confirmatione: & à Theologis [o] Colonienſibus dicitur eſſe *Clementis, cuius à D. Paulo celebris fit mentio.*

[p] Bellarminus verba faciens de hac 4. *Epiſtola Clementis*, apud nonnullos dubiam, vel etiam ſuppoſititiam eſſe agnoſcit, & quod ad ſe attinet, fatetur *non eſſe certum an ſit illius cuius nomen præfert.* Et ſanè, cum in hac Epiſtola legimus in hunc modum, *Bonum eſt, & puritati conueniens, etiam corpus aqua diluere — vbi iſta quæ deforis eſt purificatio carnis negligitur, certum eſt, neque de puritate mentis ac mundicia cordis curam geri:* Æquum eſt vt Phariſæum aliquem (ex eorum numero qui in [q] Scripturis dicuntur *crebrò lauaſſe*) authorem eius faciamus, non Clementem virum valdè Apoſtolicum. Certè, *Carolus* [r] *Bonius*, in harum Epiſtolarum mentionem incidens, dicit: *multa in ijs tranſlata ex Itinerario, quæ illorum authoritatem reddunt leuiorem, in quibus vnum de quotidiana lotione corporum, quaſi ea ad mentis mundiciem pertineat, eſt omninò non ferendum: Ebionitæ enim cum quotidianos Baptiſmos haberent, corruptis Clementis libris Petrum fecerunt illorum Baptiſmorum authorem.*

m De traditio. p. 3. tit. de ſanctis traditio fol. 109.

n De ſacra confirmatio. l. 2 c. 3.

o Cenſura dial. 7.

p L. 2. c. 7. de confirmat. in editione 1586.

q Marci 7. 3.

r Præfat. in conſtitut. Clem.

Clementis Epiſtola 5. ſuppoſititia eſt.

f De cœlibatu c.2. t De tradit. par.2. aſſertio 5. u Relectio.cont.6. q.6.concluſ. 3.

CLementis Epiſtola 5. citatur à [f] Smytho, [t] Pereſio, & [u] Stapletono, vt probent: oportere ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui à maioribus ſibi traditam ſeruauit.

x De bonis operibus in partic.l.3. c.11.

Hæc Epiſtola ſeipſam etiam prodit, teſte [x] Bellarmino: ſic enim ille, *Initio Epiſtolæ fingitur Clemens Romanus Epiſcopus ſcribere fratribus habitantibus in Hieruſalem cum Iacobo. At Iacobus obijt 7. annis ante Petrum, & Clemens non fuit Ro. Epiſcopus niſi poſt Petrum, vt colligitur ex libro S. Hieronymi de viris illuſtribus, & ex omnibus hiſtoricis qui res Eccleſiæ conſcripſerunt; Deinde laudat fictitius iſte Clemens communionem vxorũ, quod Nicolai potiùs hæreſiarchæ, quàm S. Clementis dogma fuiſſe, extra controuerſiam eſt. Denique totus hic locus, de communione rerum & vxorum, tranſlatus eſt in hanc Epiſtolam ex decimo libro Recognitionum, vbi iſta ſecundũ philoſophiam Platonis dicuntur à Fauſtiniano Ethnico, & ab ipſo S. Clemente refelluntur: quis igitur credat ea nunc à S. Clemente tradi Chriſtianis, quæ ipſe idem alibi ab Ethnicis diſputata refutauit?* [a] *Chriſtianus Maſſæus*, poſt multas rationes & argumenta quibus hanc Epiſtolam non eſſe Clementis probat, ſic concludit, *Eſt infœlicis Nicolai, aut alicuius ſectatorum eius, quos inter primos hæreticos legimus.* Ex quorum teſtimonijs, obiter obſeruet lector, quàm parum conſideratè ſcripſit [b] Pereſius, *Quod licet nonnulli ſubdubitent de prima Clementis Epiſtola, de alijs tamen nemo vnquam Orthodoxus dubitauit.* Nam Bellarminus, & Maſſæus, quos nullus ex Pontificijs Orthodoxos fuiſſe inficias ibit, ſpero, de hac ipſa Epiſtola dubitant, vel potiùs, quia abſurditas in aperto eſt, reijciunt planè. Quod etiam olim fecit Marſilius Patauinus, apud quem legimus: *Epiſtola quæ intitulatur ad Iacobum fratrem Domini valde ſuſpecta propter in ipſa contenta.* Rurſus, *Suſpecti ſunt hi canones ſeu Epiſtolæ, quoniam in ea quæ de ſacramentis, veſtibus, & vaſis ad Iacobum fratrem Domini, & in ea quæ de communi vita Apoſtolorum intitulatur, ſcribitur*

a In Chron.l.9.p. 114.

b De tradit. pars 3. tit. de ſanctis traditio. fol.88.

c Defenſoriũ pacis parte 2.c. 28.

ac ſi Clemens Iacobo narrat ea quæ Chriſtus cum Apoſtolis egit. Hæc autem fuiſſet magna ignorantia, non modo dicam, præſumptio Clementis, quod ea quæ tantum audiuerat, ſignificare vellet, quaſi per modum doctrinæ, illi qui præſens interfuerat, & Chriſtum cum Apoſtolis, quorum vnus fuerat, ipſe viderat. Quis enim diſcipulos qui Hieroſolymis erant melius inſtituere poterat de vita Chriſti & Apoſtolorum? Quis de ritu Eccleſiaſtico plus noſſe debuit? an Apoſtolus, aut Succeſſor Apoſtoli? nemo eſt qui dubitet: propter quod ipſæ ſunt cum Apocryphis computandæ.

Multa denique *Clementis nomine ſuppoſita neminem dubitare* * fatetur Baronius. De Epiſtolis autem eiuſdem, *Cum tam Hieronymi,* * inquit, *quàm etiam Epiphanij, qui eas probè norant, teſtimonio, cuiuſnam Argumenti fuerint Epiſtolæ à Clemente conſcriptæ ſatis ſuperque exploratum habeatur, diuerſi planè generis eſſe eas, quæ Clementis nomine editæ habentur nemo non videt: Nec carere ſcrupulo Epiſtolas quinque quæ nunc extant,* * confitetur etiam Bellarminus.

* Annal. Tom. 2. an. 102. num. 8.
* Ibid. num. 5.
* Lib. de ſcrip. Eccleſ.

Anacleti Epiſtolæ ſuppoſititiæ.

ANacleti Epiſtola 1. citatur à [d] Pereſio, & alijs Pontificijs, vt probent: Epiſtolam primam Clementis, ad Iacobum fratrem Domini, genuinam eſſe: à [e] Pighio, & [f] Stapletono, vt probent: licere ex toto orbe appellare ad Rom. Pontificem: & in huius Epiſtolæ laudibus multus eſt [g] Pereſius; dicit enim *ſcriptam eſſe ab Anacleto, qui Petrum vidit, & ab eo eſt preſbyter ordinatus,* & de ea, *neminem in Eccleſia dubitaſſe:* multus etiam Albertus [h] Pighius, confidenter enim ille aſſerit, *Nihil eſſe quod nunc quiſquam de illius fide dubitet, cum eam agnouit vt ſuam, vniuerſa Eccleſia Dei per mille abhinc annos.*

d De tradit. part. 3. fol. 89 tit de tradit. Sacramentorũ.
e Hierarch. l. 6. c. 6.
f Relectio. contro. 3. q. 7. concluſ. 1.
g Loco citato.
h Loco ſupra citat.

Hanc Epiſtolam ſpuriam eſſe, ex eo probatur, quòd in hac multa de comparatione Eccleſiæ cum naui, citentur ex Epiſtola 1. Clementis, ijſdem omnino verbis. Nam cum illa Clementis Epiſtola è Græco ſit conuerſa per Ruffinum, (teſtibus

i De Ro. Pont. l. 2. c. 14.
k Relectio. cont. 3. q. 2. art. 2. concluſ. 3.
l De tradit. pars 3.
m Pet. Crab. ad initium Epiſt. Cle. To. 1. conc.
n Lib. 5. pro Epiſt. pont. c. 24. p. 663.

(teſtibus ipſis Pontificijs, viz. [i] Bellarmino, [k] Stapletono, [l] Pereſio, [m] Petro Crab) fieri non potuit, vt ijſdem prorſus verbis vteretur quibus Ruffinus, ſi quidem Ruffinus eam aliquot ſeculis è Græco Latinam fecit poſt Anacletum; niſi quis dicat tranſcripſiſſe Ruffinum hanc particulam ex Epiſtola Anacleti in ſuam tranſlationem, quod *neque veriſimile eſt, neque ab interpretibus fieri ſolet*, agnoſcente ipſo [n] Turriano.

o Lib. 3. c. 3.
p Tom. 4. l. 3. carminum aduerſ. Marcion. p. 1068.
q Hiſtor. Eccleſ. l. 3. c. 14.
r Catal. Script. Eccleſ.
ſ Lib. 4. de not. Eccleſ. c. 8.
t De Rom. Pont. l. 1. c. 23
u An. fidei l. 2. c. 9.

Secundò, hanc Epiſtolam ſpuriam eſſe ex eo probatur, quòd author eius *Clementem anteceſſorem & prædeceſſorem* ſuum nominat. Nam antiquiſſimi Patres, *Anacletum anteceſſorem Clementis* eſſe ſtatuunt, non *Clementem Anacleti*. Hoc reperiet lector apud *Ignatium* (ſi modò Ignatius) in Epiſtola ad Mariam Caſſibolitam; [o] *Irenæum*, [p] *Tertullianum*, [q] *Euſebium*, [r] *Sophronium*, & *Epiphanium* hær. 27. vbi enumerans ordine Pontifices Romanos (fatente [ſ] Bellarmino) nullius tamen meminit Anacleti poſt Clementem.

Anacleti Epiſtola ſecunda citatur à [t] Bellarmino, vt probet: Iacobum Apoſto. fuiſſe ordinatum Epiſcopum Hieroſolymæ ab Apoſtolis, & non à Chriſto immediatè. Et à [u] Gregorio de Valentia, pro primatu Petri: authorque illius appellatur *vir & zelo religionis & ſtudio veritatis vſque ad vitæ profuſionem illuſtris*.

In hac etiam Epiſtola, author mentionem facit *Clementis* vt *prædeceſſoris*. Verùm *Clemens* non præceſſit *Anacleto*, ſed *Anacletus* Clementi, vt modò diximus: *Anacletus* ergo non fuit author huius Epiſtolæ. Quis enim credat Anacletum ignoraſſe nomen eius cui in Epiſcopatu proximè ſucceſſit? Rurſus, in hac Epiſtola legimus *ab Apoſtolis electos eſſe 70. diſcipulos*, de quibus Lucas cap. 10: at ex *Lucæ cap.* 10. ita manifeſtò patet, Dominum ipſum, non Apoſtolos, 72. diſcipulos illos elegiſſe; vt iniuriam faceret Anacleto, qui ipſum tam patentis mendacij authorem faceret. *Hæc Epiſtola falsò effecta eſt Anacleti, vt monui in præfatione*, inquit [*] Contius.

* Annot in diſt. 99. c. Prouinciæ.
x De Rom. Pont. l. 2. c. 4.

Anacleti Epiſtola tertia citatur à Bellarmino, vt probet: [x] Petrum Romæ vſque ad mortem Epiſcopum fuiſſe, &, Ro-

y Romanum Pontificem Petro ſuccedere in Eccleſiaſtica Monarchia: à z Coſtero, pro prærogatiuis Romanæ Eccleſiæ; atque de hoc teſtimonio nimis gloriatur Coſterus, *Sunt verba* (inquit) *antiqui Pontificis & ſanctiſſimi Martyris, quem certum eſt ab ipſo B. Petro Orthodoxam fidem, & Catholicam doctrinam accepiſſe*, ſubiungens, *Viden' quid B. Petri Diſcipulus de Romana Eccleſia abhinc ferè* 1500. *annis ſcripſerit, & tu hæretice iſta rides, & ridenda proponis? Cur non ſapis, & ſuperbum caput tuum tam antiquæ doctrinæ non ſubmittis?*

y Ibid.c.14.
z Apolog.part.2. p.48.

In hac Epiſtola author meminit *Clementis* vt prædeceſſoris ſui, & in ea multa ſunt ad verbum quæ in Epiſtola prima Clementis reperiuntur ex verſione Ruffini. Atqui vel Ruffinum mutuatum eſſe illa verba ex Anacleto, & in verſione ſua poſuiſſe; vel Anacletum è Ruffino accepiſſe, cum Ruffinus aliquot annorum centurijs poſt Anacletum vixerit, incredibile eſſe, ſuprà demonſtratum eſt. Præterea in hac Epiſtola, legimus à Domino conceſſum eſſe Petro, *vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, i. Caput, & principium teneret Apoſtolatus.* Atqui ridiculum eſt, *Cephas* interpretari *Caput*, ſanioribus Pontificijs iudicibus. *Ridiculum eſt quòd quidam hic volunt Cephas idem eſſe quod Caput, cum Ioannes ipſe dicat Cephas Syriacè idem ſignificare quod* Πετρὸς, a inquit Ioannes Ferus. Similiter b Laurentius Valla, quorundam notans ſtultitiam, ſcribit: *Cephas dicunt vocari Petrum quia Caput Apoſtolorum eſſet, tanquam hoc vocabulum ſit Græcum, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, & non Hæbraicum, ſeu potius Syriacum, quod Græci κηφᾶς ſcribunt, quod apud eos interpretatur Petrus, non Caput.* His atque huiuſcemodi rationibus inducti ſunt quidam ex Pontificijs, vt has Anacleti Epiſtolas Apocryphas eſſe credant, nominatim verò *Nicolaus Cuſanus* Cardinalis Eccleſiæ Romanæ, & *Antonius Contius* Iureconſultus longè eruditiſſimus. *Ego illas Anacleti Epiſtolas Apocryphas credo*, inquit c Cardinalis: *multa ſunt quæ planè demonſtrant confictas eſſe has Epiſtolas*, inquit d Contius.

a Comment. in Ioannem c.1.
b Declamatio in donatio. Conſtantini.
c De Concordia Cathol.l.2.c.34.
d 6.q.1.c.Beatus.

Alexandri Epiſtola prima citatur à e Bellarmino, pro Petri Monarchia: & f pro mixtione aquæ & vini in ſacro calice.

e De Rom.Pont.l.2.c.14.
f De Euchar.l.4.c.10.

g De cultu ſancto-rum l. 3. c. 7.

calice. Et [g] rurſus, vt perſuadeat aquam, ſale aſperſam, valere ad purgationem quorundam peccatorum.

Hanc Epiſtolam commentitiam eſſe varijs probatur Argumentis, primò, quia in ea fœdiſſimè torquetur Sacroſancta Scriptura. Cum enim Paulus dicat Heb. 9. 19. *Si cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Chriſti? &c.* in hac Epiſtola, loco verborum, *quanto magis Sanguis Chriſti,* ſuffecta ſunt iſta, *multò magis aqua ſale conſperſa, diuiniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat atque mundat.* Quo quid peruerſius?

Secundò, in hac Epiſtola fuſiſſimè tractatur illa quæſtio, *de Trinitate in vnitate, & vnitate in Trinitate,* & Author profitetur ſe *à Patribus accepiſſe* quæ ibidem ea de re tradit: verùm nec nomen *Trinitatis,* nec *fides de Trinitate,* diſtinctè & expreſſè ab Eccleſia Dei tradebatur primis ducentis annis, vt conſtat ex ſcriptis illorum temporum, & confitetur [h] N. D. *Ipſum nomen Trinitatis adinuentum fuit ad dilucidiorem rei explicationem in Concilio Niceno primo,* [i] inquit ille. Alexander autem vixit circa annum 120.

h Triplex Conuerſ. Angliæ part. 1. c. 5. nu. 5. in marg
i Nu. 17.

Tertiò, data eſt hæc Epiſtola *Nono Calend. Aug. Traiano & Heliano Coſſ.* quod perindè eſt ac ſi dixiſſet, data *ad Calendas Græcas, id eſt,* nunquam: tales enim Conſules nunquam ſimul fuerunt, vt quiuis facilè perſpiciat, ſi perlegerit Marianum Scotum, & Annales Baronij.

k Cauſa 3. q. 1. nulli dubium.

Alexandri Epiſtola ſecunda citatur à [k] Gratiano, vt probet: ſchiſmaticum potiùs eſſe quàm Sacerdotem, qui ab auxilio Epiſcoporum ſe ſubtraxerit.

Hæc eiuſdem farinæ eſt cum ſuperiore. Nam primò, ineptè exponit verbum Dei apud *Hoſeam cap.* 4. 8. cum enim *Hoſeas* dicat, de Sacerdotibus loquens, *Peccata populi mei comedunt,* quo nihil aliud ſignificat, quàm eos oblationes & Sacrificia pro peccatis comedere, vt *Cyrillus, Theophylactus, & Theodoretus* teſtantur, in quo tamen taxat eorum impietatem qui *peccata delinquentium fouebant, ne temporalia ſtipendia amitterent,* quod annotauit [l] *Gregorius Magnus.* Hic, quaſi verba ad Sacerdotum dignitatem oſtendendam facerent, eos peccata populi dicit comedere, *quia precibus ſuis & oblationibus ea deleant, atque conſumant.* A qua interpretatione

l In Euangel. hom. 17.

terpretatione Hieronymi interpretatio abhorrere videtur, [m] teſte Ribera. Secundò, hæc Epiſtola data eſt, *Septimo Calendas Nouembris, Traiano & Heliano Coſſ.* Atqui tales conſules nunquam ſimul fuerunt, vt ſupra obſeruatum eſt:

m Comment. in Hoſeam. c. 4. nu. 14. & 15.

Alexandri Epiſtola tertia citatur à [n] Gratiano, vt doceat Carnales prohibendos eſſe ab accuſatione Spiritualium.

n Cauſa 6. q. 1. ſummà iniquitas.

Vt omittam barbariem orationis cum dicat, *Cauete vos, fratres, ne participes efficiamini malis eorum*; hæc epiſtola data eſt, *Calend. Maij, Heliano & Vetere Conſulibus*, cum tamen nulli tales eſſent Conſules in Papatu Alexandri, vt patet ex Mariano Scoto, & Baronio in Annalibus: adde quod [o] Azorius Ieſuita dicit, Epiſtolas Alexandri 1. *non ita conſtantem & certam apud omnes authoritatem habere.*

o Inſtitutio. Moral. to. 1. l. 10. c. 28.

Sixti primi Epiſtola prima citatur à [p] Bellarmino, vt probet: librum Baruch eſſe Scripturam canonicam.

p De verbo Dei l. 1. c. 8.

Data eſt 16, *Calendas Maij, Hadriano & Vero Conſulibus*: at in Epiſcopatu *Sixti primi*, nulli tales Conſules ſimul extiterunt, vt patet ex Annalibus Mariani Scoti & Baronij.

Sixti Epiſtola ſecunda citatur à [q] Gratiano, vt probet: homines debere ad Rom. Epiſcopum appellare: à [r] Baronio, & [ſ] Bellarmino, vt probent: Sixtum vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum appellari.

q Cauſa d. 2. q. 6. ſi quis veſtrum.
r Ann. to. 2. ad. an. 142. nu. 4.
ſ De Rom. Pont l. 2. c. 31.

Hæc Epiſtola data eſt *9. Calend. Aprilis, Hadriano & Vero Conſulibus*; at nulli tales ſimul fuerunt Conſules in Epiſcopatu Sixti, vt ſupra diximus; ſpuria ergo eſt hæc Epiſtola.

Teleſphori Epiſtola, citatur à [t] Piſano in diſputatione de quadrageſima; citatur etiam à [u] Durante, vt Miſſæ nomen apud Latinos antiquiſſimum eſſe oſtendat.

t De Abſtinentia c. 7.
u De ritibus Eccl. Cathol. l. 2. cap. 1. nu. 6.

Hæc Epiſtola vna eſt ex illis, quas [x] Azorius, *non ita conſtantem & certam apud omnes authoritatem habere*, confitetur. Nec mirum. Nam hæc Epiſtola data eſt, 15. *Kalendas Martij Antonino & Marco Coſſ.* [y] cum illi ſimul nunquam geſſerunt Conſulatus officium.

x Inſtit. Moral. Part, 1. l. 10. c. 18. 3 quæritur.
y Marian Scot. l. 2. Chron. not. in hanc Epiſt. in edit. Crab.

Higini Epiſtola prima citatur à [z] Baronio, vt probet: Ioannis Epiſtolam primam titulo non caruiſſe, ſed inſcrip-

z Annal. to. 1. ad An. 99. nu. 10.

tam ad Parthos: licet poſtea is titulus exciderit. Citatur etiam ſæpius à [a] Gratiano.

[a] Cap 9. q.3. ſaluo in omnibus,&c.

Hæc Epiſtola, vt & ſequens, quæ ſemel citatur à Gratiano, datæ ſunt, 17. *Kalendas Nouembris, magno & Camerino Conſulibus*: cum tamen nulla omnino mentio Conſulatus *Magni* circa hæc tempora [b] vſpiam reperiatur.

[b] Vide not. in hanc Epiſt. in to. 1. conc. ex edit. Crab.

Pij Papæ Epiſtola prima & ſecunda citantur à [c] Bellarmino, pro Pontificis Rom. Monarchia; ſecunda citatur à [d] Baronio, vt probet: Pium Conſtitutum feciſſe, Ne prædia diuinis vſibus tradita, humanis inſeruiant.

[c] Lib. 2. de Ro. Pont c.14.
[d] Annal. to. 2. ad An. 167. nu.3.

Hæ Epiſtolæ inter eas currunt, quas [e] *Bellarminus, indubitatas eſſe*, non audet affirmare. Et quidem, cum datæ ſint *Claro & Seuero Conſulibus*, qui nunquam ſimul Coſſ. fuere, bene fecit *Bellarminus* quòd *indubitatas eſſe* non dixerat, licet meliùs feciſſet, ſi ſuppoſititias eſſe ingenuè agnouiſſet.

[e] Loco citato.

Aniceti Epiſtola citatur à [f] Bellarmino, pro Pontificis Ro. Monarchia, &, magna eius pars refertur in Decreta per [g] Gratianum.

[f] Lib. 2. de Ro. Pont. c.14.
[g] Diſt. 66. &c.

In hac Epiſtola Clericis præcipitur, *vt capita deſuper in modum ſphæræ radant*. Atqui *olim, non tam raſura, quàm tonſura in vſu fuit, tondebantur enim demiſſè quidem, ſed ita tamen, vt cutis tecta maneret*. Quod [h] Bellarminus probat ex Clemente Alexandrino, Optato, Hieronymo, & multis alijs, concludens, Aniceti Epiſtolam, in qua *Raſuræ* fit mentio, *non eſſe prorſus indubitatam, fortè enim falſum titulum præ ſe fert*: Quod abſque *fortè* apparet ex concluſione Epiſtolæ, quæ data eſt *Gallicano & Rufino Coſſ.* Nam *Gallicanum* & *Rufinum* ſimul Conſules fuiſſe, non reperitur apud Baronium, nec apud quemuis probatum ſcriptorem.

[h] De Monach. l.2. c.40.

Sotheris Epiſtola 2. citatur à [i] Durante, vt probet: Thurificationem, ſeu Papiſticam incenſi oblationem, ab ipſis Eccleſiæ primordijs inſtitutam fuiſſe.

[i] De ritib. Eccl. Catho. l.1. c.9. Nu.2.

Hæc Epiſtola data eſt 10. *Kalend. Iunij, Cethego & Claro Conſulibus*. At tempore *Sotheris*, nulli tales Coſſ. fuere, vt patet ex [k] Baronio.

[k] Annal. To.2. ad An. 175. &c.

Victoris 1. Epiſtola prima citatur à [l] Bellar. vt probet; Pontificis Rom. Monarchiam: &, [m] Romanos Pont. Epiſcopos vniuerſalis Eccleſiæ appellatos eſſe.

[l] De Ro. Pont. l.2. c.14.
[m] Lib. eod. c.31.

Hæc

Hæc Epiſtola data eſt 13. *Kal. Auguſti, Commodo & Gratione Coſſ.* At per totum tempus *Victoris* nullos tales reperimus Conſules apud Baronium.

Victoris Epiſtola 2. citatur à [n] Lindano, vt probet: licere omnibus Epiſcopis ad Rom. Pont. appellare. n Panopl. l.4.c.89.

Hæc Epiſtola incipit ridiculè cum verbo *enim*. In hac Epiſtola, Author perlatum eſſe, inquit, ad ſedem Apoſtolicam, aliquos *nocere fratres* velle. Niſi ergo dixerimus *Victorem* vnum ex eorum Pontificum eſſe numero, qui Grammaticam penitus ignorarent, huius Epiſtolæ authorem non eſſe, æquum eſt vt credamus.

Euariſti Epiſtola prima citatur à Grat. diſt. 93. Diaconi. & c. 3. q. 5. Aliter. Epiſtola ſecunda citatur ab eodem, ſæpe.

Omnia iſtius Euariſti decreta videri poſſunt ſuppoſititia, vt dixi in præfatione, inquit Contius, Not. in c. 30. q. 5. Aliter.

Eleutherij Epiſtola citatur iterum atque iterum à Gratiano. 3. q. 6. Quamuis liceat, &c.

Adulterinam eſſe hanc Eleutherij Epiſtolam—vel ex hoc fragmento (c. 30. q. 5. Iudicantem) *liquet: hæc enim ſunt verba Conſtantini Imperatoris, in l. 1. c. Theodoſiano, de iudicijs, quæ plusquam* 100. *poſt Eleutherium annis ſunt à Conſtantino reſcripta, quæ illius epiſtolæ fabricator ſuppreſſo nomine compilauit, &c.* inquit Contius, Notis in c. 30. q. 5. Indicantem.

Calixti 1. Epiſtola 1. citatur à [o] Bellarmino, pro Ieiunio quatuor temporum: 2. citatur ab eodem pro [p] Pontificis Rom. Monarchia: Et, vt probet, [q] librum Tobiæ canonicum eſſe.

o De bonis operibus in partic cap. 19.
p Lib. 2. de Ro Pont. c. 14.
q De verbo Dei l. 1. c. 11.

In 2. Epiſt. præcipitur, *Nullum Epiſcopum transferendum eſſe in aliam ciuitatem, niſi authoritate Romanæ Eccleſiæ*: quaſi ſolius eſſet Rom. Pont, transferre Epiſcopos ab vno Epiſcopatu in alterum. At illa poteſtas transferendi Epiſcopos, temporibus Calixti, non fuit ſolùm penes Rom. Eccleſiam, vt teſtatur [r] Duarenus. *Nam hodiè* (non priſcis temporibus) *vnius Romani Pontificis arbitrio hæc transferendi facultas omnino commiſſa eſt*, inquit ille. [ſ] Bellar. ipſe dicit, ſe non audere affirmare *indubitatam* eſſe hanc Epiſtolam. Selecti autem

r De ſacris Eccleſ. Miniſterijs l. 5. c. 3.
ſ De Pont. Ro. l. 2. c. 14.

viri, qui Romæ operam nauarunt in Gratiano emendando, *Calixti primi epiſtolas reiecerunt* teſte [t] Antonio Auguſtino.

[t] De emendat. Gratiani l.2.dial.4.
[u] De confirmat l. 2 c.3.
[x] Lib.2.de Confir.c.7.

Vrbani Epiſtola citatur à [u] Bellarmino, vt probet confirmationem eſſe ſacramentum.

Atqui [x] Bellarminus ipſe verba faciens de Epiſtolis Clementis, Melchiadis, Euſebij, & huius Vrbani, agnoſcit: *Non eſſe certum an ſint illi Authores, quorum nomina præferunt.* Et ſanè quod ad hanc attinet, certum eſt eſſe ſuppoſititiam. Nam data eſt *Antonio & Alexandro Coſſ.* qui per totum tempus *Urbani* Coſſ. non fuere, ſi credimus [y] Baronio.

[y] In Annalibus.

[z] Magnam & vlt. Conc.fol.15.
[a] Reſp.ad Tho. Bell.papatus ruinam.

Pontiani Epiſtola 1. ad Fœlicem Succribonum citatur à [z] Verniero, pro reali præſentia Chriſti in ſacramento: Et ab [a] S.B. vt probet Sacerdotes Chriſti corpus conficere.

Hæc plena eſt *barbariſmis.* In hac laudantur, qui *Sacerdotum cauſas portabant.* In hac dicitur, quòd ſi fortè ciderint ipſi Sacerdotes, *à fidelibus ſunt ſubleuandi, & portandi:* præterea Author huius aniliter loquitur, cum vt excitet quoſdam ad officia præſtanda, promittit *Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum æternam illis gloriam compenſaturum, & B. Apoſtolum Petrum ipſius gloriæ ianuam ipſis aperturum.* Solent enim anus deliræ ſomniare ſolum Petrum ianitorem eſſe cœleſtem: cum tamen [b] certum eſt, ex æquo omnibus Eccleſiæ Paſtoribus cœleſtes portas commiſſas eſſe.

[b] Vide Chryſoſ. hom 2.de verbis Eſaiæ,vidi dominum.
[c] Contra Hornum Ep.ſ.Winton.l.4. fol 468.
[d] Lib.ſupra citato.
[e] Pro Epiſt.Pont l. 4.c.24.

Antheri Epiſtola citatur à [c] Stapletono, pro primatu Ro. Pont. à [d] Verniero, pro reali præſentia Chriſti in ſacramento: à [e] Turriano; ad fidem aſtruendam quibuſdam ſpurijs ſermonibus, qui feruntur nomine Euſebij Alexandrini Epiſcopi.

In hac Epiſtola mentio facta eſt *Euſebij Alexandrini Epiſcopi, & Fœlicis Epiſcopi Epheſini.* At nullus fuit Epiſcopus Alexandrinus, cui nomen erat *Euſebius*, circa tempora *Antheri* Papæ: quod patet ex [f] Nicephoro in Chronologia, qui numerans Epiſcopos Alexandrinos vſque ad Petrum, qui numero fuit Quinquageſimus ſecundus, & præfuit Eccleſiæ Alexandrinæ, ad an. 640. nullius tamen *Euſebij* meminit. Sed de hoc dicemus infra.

[f] Habetur To.7. Bibl.vet pat.edit.3

Fabiani

Fabiani Epiſtola 1. citatur iterum atque iterùm à [g] Gratiano in Decretis.

Hæc Epiſtola ſuppoſititia eſt. Nam in illa aſſeritur: *Nouatum ſuperueniſſe ex Africa Fabiani tempore & ſeparaſſe de Eccleſia Chriſti Nouatianum & quoſdam alios Confeſſores, & conuertiſſe in prauam doctrinam.* Cum tamen conſtet ex Euſebio, & alijs omnibus (teſte [h] Baronio) hæc non niſi Cornelij tempore facta, vſque adeo vt Baronius adigatur confiteri, hanc Epiſtolam *ſpuriam cenſeri, niſi iſta in illa poſita corrigantur.*

Fabiani Epiſtola 2. citatur à Bellarmino, vt probet [i] aliquas eſſe veras traditiones: &, [k] Materiam confirmationis eſſe oleum mixtum balſamo. Citatur etiam ab [l] Anglo-Rhemenſibus, pro Chriſmate in Confirmatione.

Nonnulli hanc Epiſtolam Apocrypham eſſe volunt, inquit [m] Bellarminus.

Fabiani Epiſtola 3. citatur à [n] Lindano, vt probet: Licere omnibus Epiſcopis ad Rom. Pontificem appellare.

A Principio ferè huius Epiſtolæ ad finem vſque omnia habentur in decretis Sixti 3. vt verè notat Petrus Crab in margine huius epiſtolæ. Præterea data eſt Aphricano & Decio Coſſ. cum tamen Fabiani tempore nulli tales fuere Coſſ. vt liquet ex Baronio.

Cornelij Papæ Epiſtola 1. citatur à [p] Bellarmino, & multis alijs, pro inuocatione Sanctorum: & pro tranſlatione reliquiarum.

Spuriam eſſe hanc Epiſtolam ex ipſa Epiſtola manifeſtum eſt. Nam in ea legimus, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli, rogatu cuiuſdam fœminæ deuotæ, à Cornelio Papa è Catacumbis ſublata, & Pauli quidem prope viam Oſtienſem poſitum, Petri verò in Vaticano. Cum tamen paulò poſt tempus Apoſtolorum, à fidelibus è Catacumbis ſublata fuiſſe Petri & Pauli corpora, ac proprijs locis reſtituta, in quibus vſque ad Gregorij Magni ætatem condita ſunt, apud probatos [q] ſcriptores legimus. Niſi enim dixerimus bis eadem corpora ad Catacumbas fuiſſe delata, ac bis itidem locis proprijs reſtituta: quod quidem (agnoſcente [r] Baronio) *antiquorum nemo dixiſſe, nec ſaltem ſomniaſſe reperitur:*

g Diſt. 93. ſi inimicus, &c.

h Annal. To. 2. ad An. 238. Nu. 9. & 10.

i De verbo dei l. 1. c. 1. 6.

k De Cõfirmat. c. 8.

l Annot. in Act. Apoſt. c. 8. 10. 17.

m Lib. 2. de confirmat. c. 8.

n Panopl. l. 4. c. 89.

o To. 1. Conc.

p 1. De ſanct. beatit l. 1. c. 19. 2. L. 2. de imag. cap. 4.

q Greg. l. 3. Epi 30. ad Conſtantiam Auguſtam.

r To. 2. Annal. ad An 221. nu. 5.

reperitur: hæc profectò ita eſſe non poſſunt, vt in hac Cornelij Epiſtola legimus. Quid quod hæc Epiſtola data eſt, Decio & Maximo Coſſ. cum nullos tales fuiſſe Conſules temporibus *Cornelij*, ex [s] Annalibus Baronij ſatis liqueat? Nihil miri igitur, quod [t] Baronius hanc Epiſtolam, *non perinde exploratæ fidei* eſſe dicat.

[s] To.2.ad an. 254. & 255.
[t] To.2.ad An. 221. nu.6.

Cornelij Epiſtola 2. citatur ab [u] Iunone, vt probet: Sacerdotes debere appellare ad ſedem Apoſtolicam: citatur etiam alijs de cauſis à [x] Gratiano.

[u] In decret.l.4.
[x] 2.q. 4. Sacramentum hactenus,&c.

Si genuinæ Epiſtolæ Cornelij (quæ extant apud [y] Cyprianum, & [z] Euſebium) cum hac & præcedente conferantur, tanta inuenietur ſtyli diſſimilitudo, vt nullus tam obeſæ naris ſit, qui vtramque ſpuriam eſſe non odoretur. Id quod apparet etiam ex tempore quo ſcriptæ ſunt. Nam & hæc data eſt Maximo & Decio Conſulibus, cum Cornelij papatus nullos tales Conſules habuerit, vt ſupra monuimus.

[y] Epiſt.46.& 48.
[z] Hiſt.Eccl.l.6.c. 42.

Lucij Epiſtola citatur à [a] Bellarmino, vt probet: Rom. Pont. ſuccedere Petro in Eccleſiaſtica Monarchia: [b] Rom. Pont. non poſſe errare ex Cathedra docentem. [c] In ſede Petri nunquam inueniri poſſe qui doceat contra fidem.

[a] De Rom.Pont. l.2.c.14.
[b] De verbo Dei l.3.c.5.
[c] De Rom. Pont. l.4.cap.3.

Hæc eſt vna illarum Epiſtolarum, quas [d] Bellarminus profitetur ſe non audere, indubitatas eſſe affirmare. Nec mirum, cum data ſit Gallo & Voluſiano Coſſ. qui Lucij tempore Conſules non fuerunt, vt patet ex [e] Baronio.

[d] Lib.2.de Rom. pont.c. 14.
[e] Annal.to.2.ad an.256.nu.1.

Sixti ſecundi Epiſtola prima citatur à Bellarmino vt probet: [f] librum Eccleſiaſtici canonicam eſſe Scripturam: Et à [g] Lindano, vt probet, licere omnibus Epiſcopis ad Romanum Pontificem appellare.

[f] De verbo Dei l. 1. c.14.
[g] Panopl.l.4.c.89.

Hęc Epiſtola data eſt Kalend. Septemb. Valeriano & Decio Coſſ. At ſi quis euoluerit Annales Romanos à tempore Bruti ad Iuſtinianum, ſub quo defecerunt Conſules, fortaſſis nuſquam inueniret hos Conſules, ſine dubio non tempore Sixti, non deceſſoris, non ſucceſſoris, non ætate illa tota. Quod pluribus oſtendit Iohannes Rainoldus in [h] Prælectionibus de lib. Apocryphis.

[h] Prælect.19.

Fœlicis primi Epiſtola prima citatur à [i] Gratiano, vt probet: Primates non debere ſententiam damnationis con-

[i] C.2.q.1.Primates.

tra Epiſcopum proferre niſi Apoſtolica authoritate fretos. Epiſtola ſecunda citatur ab [k] eodem, vt probet: Illos qui probare non valent quod obijciunt, de cætero ad arguendum non admitti. Epiſtola tertia citatur à [l] Bellarmino, vt probet, Romanum Pont. in Cathedra docentem non poſſe errare.

Prima Epiſtola data eſt Nonis Iunij, Claudio & Aureliano Conſulibus: ſecunda & tertia datæ ſunt Claudio & Paterno Conſulibus. At temporibus Fœlicis primi nullos tales Coſſ. inueniet, qui conſulerit [m] Baronium.

Caij Epiſtola citatur à [n] Bellarmino, vt probet: Clericos non poſſe à iudice ſeculari puniri.

Hæc Epiſtola maxima ex parte habetur verbatim in Epiſtola [o] Leonis 1. ad Paleſtinos, & in [p] altera ad Leonem Auguſtum. Et in Agapeti etiam ad Anthimum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quam ſpuriam eſſe iudicat [q] Baronius. Ex quo conſequens eſt, populum ei eſſe patrem.

Marcellini Epiſtola ſecunda citatur à [r] Bellarmino, vt probet, Clericos non poſſe à iudice ſeculari puniri.

[ſ] Baronius verba faciens de Marcellino, vnius tantùm meminit ab eo ſcriptæ Epiſtolæ, quæ eſt ad Salomonem Epiſcopum. De hac, ne verbum quidem habet. Nec mirum ſanè, cum hæc ſit ſimillima mendicantium penulis, quæ ex diuerſis lacinijs confectæ eſſe ſolent. Siquidem prima eius pars, ad verbum penè continet Epiſtolam Hormiſdæ Papæ ad Epiſcopos Beticæ prouinciæ. Secunda reperitur in Epiſtola Antheri Papæ, & Euſebij ad Epiſcopos Thuſciæ & Campaniæ. Poſtrema, quædam habet deſumpta ex decretis Calixti Papæ.

Marcelli Epiſtola prima citatur à [t] Bellarmino, vt probet: Rom. Pont. ſuccedere Petro in Eccleſiaſtica Monarchia: Et [u] ad Rom. Pont. pertinere congregare Synodum generalem. Citatur etiam à [x] Lindano, vt probet: licere Epiſcopis appellare ad Romanum Pontificem.

Hæc eſt vna illarum Epiſtolarum, quas [y] Bellarminus confitetur ſe non audere indubitatas eſſe affirmare. Et quidem, quum hæc data ſit Maxentio & Maximo Conſulibus, quorum

k C.3.q.10. Si accuſ.
l De verbo Dei l.3.c.5.
m Annal.to.2. ad An.273.&c.
n Lib.1. de Clericis c. 28.
o Leo Epiſt. 81.
p Epiſtola 95.
q To.7.Annal.ad an.535.
r L.1.de Clericis c.28.
ſ Annal.to.2. ad an.296. nu.5.
t Lib.2. de Rom. Pont.c.14.
u Lib.1. de Conc. c.12.
x Panopl.l.4 c 89.
y Lib.2.de Rom. Pont.c.14.

quorum conſulatuum, circa illa tempora, nullus meminit, præter mendacem illum ſcriptorem de Rom. Pont. qui nomine Damaſi circumfertur, non iniuriâ timuit Bellarminus indubitatam eſſe affirmare.

z Diſt.17. Synodū.

Marcelli Epiſtola ſecunda ad Maxentium citatur à [z] Gratiano, vt probet: Non licere aliquibus abſque Romani Pontificis authoritate Synodum congregare.

Hæc Epiſtola data eſt iiſdem conſulibus quibus & prior: Ac idcirco ſimilem meretur cenſuram. Eóque magis, quòd Epiſtolam hanc additamentum aliquod extrinſecum accepiſſe putat ipſe [a] Baronius, quòd res ibi ſcriptæ parum ſibi cohæreant, vt inquit ille: Quem vt tempore, ſic iudicio ſequitur [b] Binnius.

a Annal.to.3.ad an.308.nu.24.

b To.1.Conc.Notis in hanc epiſtolam.

c Lib.2.de Rom. Pont.c.14.

d Lib.2.de Confirmat.c.3.

e Lib.4.Sentent. diſt.7.

Euſebij Epiſtola 3. citatur à [c] Bellarmino, vt probet: Ro. Pont. ſuccedere Petro in Eccleſiaſtica Monarchia: & [d] Confirmationem eſſe ſacramentum. Citatur etiam a [e] Lumbardo, vt probet: Nulli licere confirmare præterquam Epiſcopo.

f Lib.2 de Confir. c. 7.

Non eſt certum hanc Epiſtolam eſſe Euſebij, inquit [f] Bellarminus. Imò verò certum eſt non eſſe. Nam in hac legimus, Crucem Chriſti inuentam eſſe ſub Euſebio Papa (ad An. 311.) cum tamen non immerito ab antiquis omnibus Græcis authoribus, hoc anno, nempe ſequenti à Nicêno Concilio (qui eſt annus 326.) Crucis inuentio poni videtur, vt legimus apud [g] Baronium. Præterea in hac Epiſtola Kalendarum appellatione dies etiam 5. nonas Maij venit, quod ſibi non placere merito profitetur [h] Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus. His adde, quæ legimus apud [i] Gretſerum, videlicet, *Ex Epiſtola decretali ipſius Euſebij Papæ, tranſlatus eſt Canon de crucis Inuentione & feſtiuitate, in Decretum Gratiani. Sed quis hæc & ſimilia non videt eſſe ſpuria ac ſuppoſititia?*

g Annal.to.3.ad an.326.nu.42.

h De emendat. Gratiani l.1.dial.6

i De Cruce l.1.c. 55.

Melchiadis Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, citatur à [k] Bellarmino, pro Pontificis Rom. Monarchia: Et [l] pro Confirmationis ſacramento.

k Lib.2.de Rom. Pont.c.14.

l Lib.2.de Confirmat.c.3.

m Loco ſupra citato.

Hæc eſt vna illarum Epiſtolarum, quas [m] Bellarminus agnoſcit ſe non audere, indubitatas eſſe affirmare. Hæc data eſt Ruſino & Voluſiano Coſſ. qui tamen Melchiadis temporibus

ribus

ribus Conſules non fuerunt, [n] teſte Baronio.

In Tomo 1. Conciliorum ante Donationem Conſtantini, habetur Tractatus hoc titulo, De Primitiua Eccleſia & Synodo Nicêna. Hic citatur à [o] Gratiano ſub nomine Melchiadis.

Non innitimur ijs quæ Iſidorus collector ſub nomine Melchiadis Papæ perperam collocauit in ea Epiſtola, cuius (quod magis credimus) ipſe Author extitit, cui præter mentionem habitam de Nicêno Concilio attexuit 3. canonem Concilij Chalcedonenſis, & nonnulla ex Epiſtola Gregorij Papæ, inquit [p] Baronius, per Epiſtolam, hunc tractatum intelligens, quem paulo poſt, *falſo titulo prodi*, dicit.

Collectores Melchiadem citant Authorem (cap. Futuram, 12. q. 1.) quod conſtare non poſſe rectè animaduertit Author gloſſæ. Fit enim in hoc capite mentio Nicênæ Synodi, quo tempore (vt ex ipſa Synodo, Euſebio, & cæteris Hiſtoricis apparet) iam Melchiades obierat, inquiunt cenſores Gregoriani.

Verùm ne moleſtus ſim in ſingulis commemorandis & quibuſlibet minutijs diſcutiendis, planum faciam tanquam ea quæ oculis cernuntur, generalibus quibuſdam argumentis, Decretales haſce Epiſtolas ad vnum omnes ſuppoſititias eſſe.

Nam primò, in illo ſeculo quo Clemens reliquique Romani Pontifices ad Syluestrum vſque vixerunt, viri bonis literis inſtituti, ſiue Ethnicos ſiue Chriſtianos ſpectes, nec barbarè, nec incongruè animi ſenſa exprimebant, ſed Latinè & purè: quod conſtat ex ſcriptis *Plinij, Suetonij, Solini, Taciti, Iuſtini Hiſtorici, Tertulliani, Cypriani, Arnobij, Lactantij, Minutij Felicis*, & ſimilium. Atqui Decretales hæ Epiſtolæ ſcatent Barbariſmis & Solœciſmis, quo fit vt illorum eſſe non poſſint, quorum nomina præ ſe ferunt: quòd ſcateant Barbariſmis, & Solœciſmis, legenti primo intuitu patebit. Hos enim Floſculos paſſim reperiet, [a] *Ut prælibatum eſt*, [b] *vt præfixum eſt*. [c] *De ſacramentis benè intuendis vſque delegaui*. [d] *Epiſcopi ſunt obediendi, non detrahendi. Non lacerandi ſed portandi & amandi*. [e] *Boni à malis perſequuntur*. [f] *Cauete vos fratres ne efficiamini participes malis eorum*. [g] *Ab hac ſede, à Sanctis Apoſtolis tueri Epiſcopi iuſſi ſunt*. [h] *Perlatum eſt ad*

n Annal. to. 3. ad an. 311. nu. 43.

o 12. q. 1. c. futuram.

p Annal. to. 3. an. 312. nu. 80.

a Clem. ep. 1. Marcellus ep. 2.
b Fabian. ep. 1.
d Euar. epiſt. 2.
c Clem. epi. 2. Stepha. epiſt. 2. Teleſphor. epiſt.
e Alex. ep. 2.
f Alex. ep. 3.
g Sixt. 1. ep. 2.

i Eleuther. *ſedem Apoſtolicam aliquos veſtrûm nocere fratres velle.* [i] *Conſtat non debere refutare eſcas communes quas Deus ad cibum tribuit fidelibus. Pulſatus ſuper Criminibus.*[k] *Iudicium ordinabiliter habitum.*[l] *Ponderet vnuſquiſque ſermones ſuos, & quod ſibi loqui non vult, alteri non loquatur. Anathematizorum vox nullum nocere poteſt.*[m] *Poteſtatem habent ordinare, mutare & inthronizare.*[n] *Ne permittatis eos lacerari in hamo iræ.*[o] *Quod pertinet ad continentiam literarum veſtrarum. Sacerdotaliter benedicere. Regulariter examinare. Agere indiſciplinatè. Paternas diſciplinas iniuriare,*[p] *Rigoroſus,*[q] *Modernus,*[r] *Charitatiue: à malis ſe cauere, gaudeo de veſtra ſoſpitate. Leges ſe nocentes non ſuſcipere.*

k Zepherinus ep. 1.
l Calixtus 2.
m Antherus.
n Fabian. ep. 3.
o Marcellin. epiſt. 2.
p Euſeb. epiſt. 1.
q Vrbanus & Stephan. ep. 1.
r Ibid. Euſeb. epiſt. 1.

Secundò, ſi Decretales hæ Epiſtolæ ipſorum eſſent quibus inſcribuntur, tum poſſibile eſſet triginta, eóque plures, diuerſis ſeculis viuentes, eundem omnino habitum orationis, eandem per omnia dicendi formam habere poſſe. Nam ouum ouo non eſt ſimilius, quàm quælibet harum Epiſtolarum alteri; quaſi verò vno ore exſputas eſſe omnes ſtatim agnoſcet, qui perlegerit. Atqui impoſſibile planè eſt, tot viros, licet ad ſtyli ſimilitudinem aſſuefactos, eundem orationis habitum poſſe aſſequi, & eandem per omnia dicendi formam. Nam quod [ſ] Auguſtinus loquitur de Cypriano, *Cypriani ſtylus habet propriam quandam faciem qua poſſit agnoſci:* id [t] Sixtus Senenſ. obſeruauit de alijs omnibus ſcriptoribus. *Sicut enim* (inquit ille) *ſuus cuique homini corporis habitus eſt, ſuus cuique vultus, ſuus cuique natiuus color, ſua cuique vox, aliæq; ſingulares notæ, quibus à cæteris hominibus diſtinguatur: ita ſingulis Eccleſiæ Scriptoribus peculiares quædam proprietates inſunt, quæ aut nunquàm, aut rarò alteri conueniant.*

ſ Aug Epiſt. 48.
t De falſa librorũ inſcriptio. l. 4.

Tertiò in his Epiſtolis Scripturæ citantur iuxta tranſlationem quam Pontificij dicunt eſſe Hieronymi, & *vulgatam* appellant. At Hieronymi tranſlatio non innotuit hiſce Pontificibus, vtpote qui mortui erant priuſquam Hieronymus natus eſt. Nam Sylueſter horum poſtremus diem obijt ſecundùm computationem Baronij ad annum 333. cum Hieronymus non naſcebatur ante annum 342.

Quartò has Epiſtolas non eſſe horum Pontificum verè germa-

germanas, ex eo perſpicitur, quòd nec *Euſebius* in Oriente, qui Conſtantino Imperatori in intimis fuit, neque *Hieronymus* in Occidente, qui Damaſum Epiſcopum Romanum in chartis Eccleſiaſticis iuuabat, harum meminerint, licet ſtudioſè perquirerent omnia veterum monumenta, per omnes Bibliothecas, vt poſteris illorum memoriam commēdarent. Quî enim fieri potuit, vt cum tot ſint numero, illæ omnes, ſolæ illæ, eos laterent, præſertim cum aliquot repererant, ſed multo melioris notæ, ſub nominibus *Clementis, Victoris, & Cornelij?* cui argumento ſi & hoc addatur, quòd nō facilè reperitur quiſquam fide dignus qui harum meminerit ante annum 800. extra omnem controuerſiam erit; eas ſuppoſititias meritò cenſeri.

Quintò ſi hæ Epiſtolæ ſcriptæ fuiſſent à priſcis Romanis Pontificibus, ſine dubio aliqua earum mentio extitiſſet, vel in *Concilio Africano*, vel *Carthaginenſi*, in quibus tam acriter dimicatum eſt, inter Patres Africanos, & quoſdam ex Romanis Epiſcopis, de interpellando Romanam ſedem. Nam hæ Epiſtolæ pleno ore loquuntur, *iure poſſe quemuis ad Rom. Pontificem appellare*: &, Rom. Pontifices non ſolent ſibi deeſſe in producendis teſtimonijs, licet domeſticis, modò ad rem faciant ſuam. Atqui in acri illa contentione, altum de his ſilentium, verbum omninò nullum. Ex quo conſequens eſt, Epiſtolas quas habemus ſub nominibus Pontificum illorum temporum ſuppoſititias eſſe, nec tunc temporis extitiſſe. Quod vnà nobiſcum confitentur quidam ex doctioribus Pontificijs, viz. Nicolaus Cuſanus Eccleſiæ Rom. Cardinalis, Antonius Contius publicus profeſſor iuris in Academia Biturigum, & Robertus Bellarminus.

[u] Cuſanus dicit, *Longa & magna ſcripta Sanctis Clementi, & Anacleto Papæ attributa, Apocrypha fortaſſis eſſe*: & addit etiam, *Si quis illas omnes Scripturas illis Sanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa ſcripta applicaret, ac deinde in opuſculis omnium Sanctorum patrum qui vſque ad Auguſtinum, Hieronymum & Ambroſium fuere, ac etiam de Geſtis Conciliorum vbi Authentica ſcripta allegantur, vſum & memoriam haberet, hoc inueniret verum, quia nec in illis omni-* u De Concor. Cathol. l. 3. c. 2.

bus Scripturis, de illis præfatis Epiſtolis mentio habetur, & etiam ipſæ Epiſtolæ applicatæ ad tempus eorum Sanctorum, ſcipſas produnt.

x Annot. in diſt. 16 c. Septuaginta.

x Contius dicit, *Multas ſupra in præfatione rationes adduxi, quibus omnes Pontificum qui Sylueſtrum præceſſerunt, decretales falſas eſſe manifeſtè oſtendi.*

y Colloq. Rainoldi cum Harto c. 8. ſect. 3.

y Bellarminus etiam in prælectionibus Romæ habitis, vt retulit Riſhtonus, has Epiſtolas ſpurias eſſe docuit: ſic enim ille, *Pro his Epiſtolis ſcripſit pater Turrianus vir doctiſſimus, at contrariam ſententiam veriorem eſſe puto.* Quod licet in ipſis prælectionibus iam excuſis non tam plenè & luculenter ſcriptum reperiatur, tamen quod ad ſummam rei attinet, id ipſum ibidem legimus: ſic enim in illis z legimus, *aliquos errores in has Epiſtolas irrepſiſſe non negauerim, nec indubitatas eſſe affirmare audeam.*

z De Rom. Pontif. l. 2. c. 14.

* Annal. Tom. 10. anno 865. nu. 6. 7.

Quin & Baronius * *Nicolaum Papam cum in his controuerſijs frequens eſſet, in quibus de appellatione ad ſedem Apoſtolicam ageretur, & ex his Epiſtolis multiplicia ſuppeterent eademq́ fortiſſima teſtimonia ſanctiſſimorum Pontificum eorundemq́ Martyrum, quorum ſumma in Eccleſia eſſe poſſet autoritas, conſultò tamen aſſerit ab illis penitus abſtinuiſſe, quas ſaltem dubias intellexiſſe non dubium ſit, & illis tantùm vſum, de quibus nunquam fuerat dubitatum,* omiſſis ſcilicet *aduentitijs iſtis & recens inuentis: Sed & ipſum Benedictum Leuitam, qui ex Iſidoro harum Collectore multa acceperit, bene conſcium, authoritatem harum Epiſtolarum haud adeò conſtantem, ſed nutare admodum, nunquam aliquem illarum citaſſe Authorem, vt fecit in reliquis, quorum fides conſtans eſſet, Romanorum Pontificum Epiſtolis.* Demique *ex multis ſuſpectas eas reddi Epiſtolas, ſatis à ſe alibi demonſtratum.*

Abdiæ libri 10. *ſunt ſuppoſititij.*

EXtant libri 10. ſub nomine *Abdiæ, de Hiſtoria certaminis Apoſtolici*, qui primò excuſi ſunt Pariſijs, anno 1551. Hi libri citantur à Papiſtis varias ob cauſas. a Hardingus eos citat, quo probet: S. Matthæum Miſſam celebraſſe in Æthiopia paulò ante martyrium. b Greg. de Valentia

a Art. 1. Reſp. ad Iuelli Prouocat.
b De Miſſæ ſacrificio l. 1. c. 4.

Valentia eos citat, vt probet: S. Matthæum ſuaſiſſe Iphigeniæ filiæ regis Æthiopiæ vt continentiam voueret. Qua de cauſa, citatur etiam à [c] Lindano & ipſo [b] Bellarmino, licet alibi [e] Bellarminus confidenter dicat, *Se certè nullum ab eo teſtimonium petiſſe.* ijdem libri citantur à Martiale noſtrate, iterum atque iterum, in tractatu ſuo quem inſcripſit *De cruce.* Ex ijs enim perſuadere conatur, S. Paulum cum decollaretur, ſigno crucis ſe muniſſe. S. Philippum exhortatum eſſe Scythas, *vt crucem erigerent, eamq; adorarent.* Et, omne templum, Oratoriumque debere *ſignum crucis in ſaxis ſculptum habere.* Atque quo maiorem ijs gratiam apud imperitos concilient, nihil omnino prætermittunt, quod ad commendationem quicquam valet. [g] Hardingus ait, *Eum fuiſſe primum Babyloniæ Epiſcopum, Apoſtolorum auditorem, Chriſtumq; ſeruatorem in carne vidiſſe, & D. Andreæ morti ac ſupplicio interfuiſſe.* Ioh. Faber Theologus Pariſienſis, Doctor Sorbonicus, qui ipſos libros Pariſijs in lucem emittendos curauit anno 1560, Authorem [h] commendat, tanquam *antiquitate & celebritate præſtantiſſimum:* Appellans opus ipſum, *diuinum & huic ſeculo noſtro perneceſſarium:* Affirmans porrò, *dignum eſſe profectò quod legatur non ſolùm, ſed ab omnibus dignoſcatur.* Ipſe Wolfangus Lazius Vienneſis, qui primò edidit, [i] profitetur, *Dici nõ poſſe quanto gaudio ſuffuſus fuit, cum primùm in illud incideret: materiam, ſacram: phraſin, multo quàm ea quæ eſt in actis Apoſtolorum, aut ipſa etiam Euangeliorum Hiſtoria, ornatiorem* dicens: ſubdubitans [k] quodam in loco, vt & [l] Faber, *Num Abdias quædam deſumpſerit ex Luca, vel Lucas potius ex Abdia.*

c Panopl l.4.c.48.
d Lib. 2. de Monach. c.27.
e Lib. 2. de bonis operibus in partic. c.24.
f Fol. 73. 74. 75.
g Loco citato.
h Epiſt. præfixa Abdiæ.
i Præfat. operis.
k Ibid.
l Annot. marg in l. 1. & 2.

Hos libros nothos & adulterinos eſſe conſtat, cum ex materiæ falſitate, tum ex aduerſariorum confeſſione. Multa, eaque patentia, ſunt in ijs mendacia, multa ridicula, quæ arguunt alium Authorem quàm Apoſtolorum auditorem.

In his [m] libris aſſeritur, S. Paulum paſſum eſſe 3. *Kalend. Iulij, duobus à Petri paſſione elapſis annis.* Atqui, quòd eodem prorſus & anno, & die, Paulus occiſus ſit quo Petrus, *à ſacris tenetur Doctoribus*, inquit [n] Lypomanus.

m Lib. 2. fol. 19.
n In Hiſtor. ſanct. part. 1. fol. 348. in marg.

Eodem anno ambos (Petrum viz. & Paulum) *vna die Martyrij*

tyrij palmam adeptos eſſe, Caius, Zepherinus, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, ſentiunt. Quibus adde, Euſebium in Chron. Epiphan. hær, 27. Hieron. de ſcrip. Eccleſ. Maximum ſer. de S. Petro, Caſſiodorum in Chron. & alios recentiores fere innumeros, inquit [o] Baronius.

[o] Annal. To.1.ad An.69.nu.4.

In his [p] libris aſſeritur, Proconſulem, *crucifigi præcepiſſe Andream, ſeptem ternionibus flagellorum cæſum. Et, mandaſſe nominatim Quæſtionarijs, vt ligatus manibus & pedibus, & non clauis affixus ſuſpenderetur, quò diutino cruciatu deficeret.* Atqui *modus crucifigendi communis non erat, vt multi putant, funibus alligando, ſed clauis figendo,* inquit [q] Bellarminus, ſubiungens, *Pictores fere ſolent ſolum Chriſtum depingere clauis affixum, latrones autem & S. Petrum, atque Andream funibus: ſed non ita eſt, omnes enim clauis figebantur.* Quod Ioh. Franc. Picus Epiſtolarum lib. 3. in epiſt. Baptiſtæ Corteſio, probat fuſè.

[p] Lib. 3.fol.43.

[q] Lib.2.de imag. Chap.27.

In his [r] libris Ioh. Euangeliſta introducitur narrans, Quo modo Chriſtus ter ſe ſtudentem nuptijs, ab ijs reuocaſſet, tandemque dignatus eſt ei dicere, *Iohannes, niſi meus eſſes, permitterem tibi vt vxorem duceres.* Quaſi Chriſtus neminem è ſuis velit vxorem ducere.

[r] Lib.5.fol.69.

In his [s] libris citatur *Hegeſippus* quinto commentariorum ſuorum libro. Atqui *Hegeſippus* vixit à Chriſto nato 160. annos. Niſi ergo horum librorum Author, qui vidiſſe dicitur Chriſtum in carne, alter fuit [t] *Iohannes de Temporibus*, quem vltra naturæ curſum vixiſſe aiunt, *Hegeſippum* citare non potuit.

[s] Lib.5.fol.73.

[t] Baron.Annal to. 2.ad An.167.nu. 13.

In his [u] libris, Author dicit, *Simonem & Iudam paſſos Kalend: Iulij, contra celebrationem Eccleſiæ.* Et dicit, *Africanum Hiſtoriographum hæc geſta tranſtuliſſe in Latinum, cum Africanus Græcus fuerit, vt patet ex Hieronymo in lib. de ſcriptoribus: Et ſi ipſe tranſtuliſſet, Hieron. meminiſſet huius operis,* vt verè obſeruauit [y] Iohannes Heſſels.

[u] Lib. 6. fol. 8. 5.

[x] Fo. 85.

[y] Cenſura de quibuſdam ſanctorum Hiſtor c. 10. impreſſ. Louan. cum Viuard. Martyr, anno. 1568.

In his [a] libris *Author dicit Eunuchum illum quem Philippus baptizauit, vocatum Candacem, cum Lucas Act. 8. dicat, Reginam Æthiopum dictam Candacem. Eſt enim Candace nomen Reginarum Æthiopiæ, ſicut Pharaoh Regum Egypti. Dicitur in eadem* [b] *Hiſtoria, quòd Chriſtus terreſtrem Paradiſum*

[a] Lib.7.fol.86.

[b] Fol.8,9

apernit

aperuit latroni, & animabus ſanctis de corpore exeuntibus: in die autem nouiſſimo reſurgentibus, regna cœleſtia: cum ſecundùm Paulum & fidem Catholicam animæ ſanctorum iam, etiam ante reſurrectionem adeant Cœlos. Dicit & primum hominem potuiſſe loqui in Paradiſo cum omnibus animalibus, &c. Inquit [c] idem Ioh. Heſſels, qui diſertis verbis affirmat, *hæc ſibi non placere*, &c. *Paſſionem hanc reiectam etiam eſſe à Beda, lib. 2. in Act. Apoſt.* c Lib. ſupra citato c. 9.

Eodem [d] loco, Author affirmat S. *Mathæum*, diſputantem de Paradiſo terreſtri, in quo, initio, Deus poſuit Adam, docuiſſe *Paradiſum eminere omnibus montibus, & vicinum eſſe Cœlo.* Quod videtur incredibile prorſus [e] Bellarmino, & [f] Pererio, Ieſuitis. d Lib. 7. fol. 88. e De Gra. 1. hom. c. 12. f Comment. in Gen. l. 3. q. 5. de Paradiſo.

In his [g] libris habetur paſſio S. Bartholomæi, licet (quod teſtatur [h] Ioh. Heſſels,) *non ſit integrè impreſſa. In qua ſatis apertè mentitur* (teſte [i] Molano) *dum dicit Bartholomæum Apoſtolum purpura veſtiri, & gemmis: & dum immediate ſubdit: viginti ſex anni ſunt, ex quo veſtes & ſandalia eius, nec veteraſcunt, nec ſordidantur. Centies flexis genibus per diem orat. Et centies per noctem Angeli cum eo ambulant, qui nunquam eum fatigari, nec eſurire permittunt.* g Lib. 8. h Lib. ſupra citato c. 8. in mar. i Lib. de Picturis c. 48.

Mentitur etiam in ea, cum dicat (affirmante [k] Ioh. Heſſels) S. Bartholomæum docuiſſe, *Quod ſicut Accipiter accipit auem, ita diabolus rapuit Chriſtum, & poſuit inter feras in deſerto.* Nam *expreſsè dicunt Lucas, Mathæus, & Marcus, Chriſtum à proprio ſpiritu ductum in deſertum*, agnoſcente eodem [l] Heſſels. k L. ſupra citato. l Ibid.

Mentitur etiam in ea, cum dicat, *Dominum dixiſſe ad diabolum in prima tentatione, Ego eijciam te de dominatione quam per deiectionem primi hominis vſurpaſti.* Nam *Certè ſi hæc dixiſſet* (inquit [m] Heſſels) *Diabolus ſciuiſſet eum eſſe Filium Dei, nec ſecundò tentaſſet dicens, Si Filius Dei es.* m Ibid.

Mentitur etiam in ea, ſaltem nugatur, cum [n] dicat: *Diabolum alterum Angelum Apoſtaticum ſibi ſociaſſe, qui dicitur Mammona. Quaſi videlicet Diabolus non ſit ipſe Mammona, aut quaſi ipſe ſolus non poſſit ſatis tentare.* n Heſſel. loco citato.

Mentitur denique in ea, cum ponat, *Vnicam tentationem Diaboli, qua dicit eum Chriſtum tuliſſe in montem excelſum, &*

ſupra

ſupra pinnam templi. Nam *Mathæus & Lucas expreſſe diſtinguunt tentationem factam in pinna templi, ab ea quæ facta eſt in monte excelſo*, confitenre [o] Heſſels.

o Ibid.

Poſtremò (vt multa diſſimulem) in his [p] Libris ſcriptum legimus, *Pincernam* Regis Indiæ *S. Thomæ alapam dediſſe:* Et cum Thomas ei malediceret, non ita multo poſt, *Pincernam illum à Leone peremtum eſſe.* Quod inter fabulas recenſet Auguſtinus, & è libro Apocrypho deſumptum. Nam *Manichæi legunt ſcripturas Apocryphas, quas etiam incorruptiſſimas eſſe dicunt, vbi ſcriptum eſt, Apoſtolum Thomam maledixiſſe homini, nec multo poſt, à Leone dilaniatum & occiſum eſſe*, inquit [q] Aug. Cui concinit Melchior [r] Canus, qui agnoſcens *Hiſtoricos non ſolùm falsò, ſed imprudenter, res quaſdam memoriæ prodidiſſe*, (alludens ad hanc hiſtoriam) in hunc modum pergit: *Quis vel mediocriter prudens ab Apoſtoli Thomæ perſona illud non videat abhorrere, quod in rebus ab eo geſtis refertur, vt ille iniuriæ vindictam expetierit?*

p Lib. 9. fol. 104.
q Contra Adimantum c. 17.
r Loc. Com. lib. 11. c. 6. in fine.

Aduerſarios fateri hos libros multum eſſe Apocryphos, ex ſequentibus teſtimonijs patet. Nam,

Abdiæ libri Apocryphi, inquit [ſ] Salmeron. *Reiectus eſt prorſus liber ille Abdiæ*, inquit [t] Baronius. *Abdias Babylonicus eſt Apocryphus, & nullius fidei*, inquit [u] Poſſeuinus. *Abdiæ librum ſuppoſititium eſſe viri docti etiam apud nos cenſent*, inquit [x] Bellarminus. *Vitæ Apoſtolorum Abdiæ falsò adſcribuntur*, inquit [u] Heſſels. *In his Annotationibus non allego vitas Apoſtolorum, quæ nomine Abdiæ prodierunt, ſecutus doctiſſimorum quorundam virorum iudicia, qui eum non ſatis probatæ authoritatis ſcriptorem iudicant*, inquit [x] Molanus. Et iterum, *Sunt quidam, ſed obſcuri mendaciorum patroni, inter quos eſt Pſeudo-Abdias Babylonius, apud quem in vita Mathæi Euangeliſtæ legitur, [Frequenter etiam mendacium, cum per naturam ſuam malum ſit, bonum videtur ex cauſa] ſed meminiſſe oportet, hos ſcriptores aut hæreticos, aut Apocryphos in Eccleſia iudicari*, inquit idem [y] Molanus. *Apocryphus eſt Abdias, apud quem Druſiana D. Iohannis intenta ſermonibus, pro Dei ſcilicet cultu mori mauult, quàm coniugij repetere conſuetudinem, marito contra inſiſtente, & quidem fideli*, inquit [z] Eſpencæus & alibi. *Qualiſcunque author ſit Abdias, ſuperiore certò, quàm hæc ſcriberemus,*

ſ Comment. in 2. Tim. 2. diſput. 2. p. 585.
t Annal. to. 1. ad an. 51. nu. 51.
u Apparat. ſac. verbo Seuerus Sulpitius.
x Lib. 2. de bonis operibus in part. c. 24.
u In Cenſura ſupra citata c. 4. & 10.
x Præfat. in Martyrolog. c. 20 impreſſ. Louan. 1568
y Li. 1. c. 6. de fide Hæret. ſeruand.
z De Continentia l. 6. c. 2.

beremus, anno Domini 1559. *à Rom. Inquiſitoribus proſcriptus eſt*, inquit [a] idem. *Nuper ex Germania ſub titulo Abdiæ prodiere libri* 10. *de Hiſtoria Certaminis Apoſtolici, Oporini typis excuſi, quos, vt fide indignos, Paulus Papa quartus inter ſcripta à ſe damnata reiecit*, inquit [b] Sixtus Senenſis. *Vitæ Apoſtolorũ, quæ ſub Abdiæ nomine circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt quàm veræ narrationi: Sed neque eius Abdiæ, aut libri eius vllam in veteribus mentionem inuenio*; * inquit Bellarminus.

a De Contin. l. 5. c. 5.
b Bibl. l. 2. Apoſtolorum.
* Lib. de Script. Eccleſ.

Ioſeph. Ben. Gorion de bello Iudaico eſt ſuppoſititius.

IOſephus Ben Gorion, ſcripſiſſe dicitur *de bello Iudaico*. Atque vnus idemque cum Ioſepho Antiquitatum ſcriptore à [c] Munſtero putatur: Ab [d] alijs, licet non vnus idemque cum eo, æqualis tamen. Ex quo neceſſe eſt floruiſſe, ex eorum ſententia, paucíſſimis annis à paſſo Chriſto. Ex hoc opere [e] Parſonius noſtras colligit, in more fuiſſe Iudæis vt ſanctos defunctos inuocarent: [f] Bellarminus verò, vt pro defunctis orarent.

c Præfat. l. Ioſeph. impreſſ. Baſil. 1541
d Genebrard. in Chronol. &c. teſte Ribera in Obad. nu 104.
e Part. 3. trium Conuerſ. Angl. p. 7. & 8.
f Lib. 1. de Purg. c. 11.

Ioſephum Gorionis filiũ arbitror vixiſſe poſt Hieron. ætatem, inquit [g] Ribera. *Cur enim toties alterius Ioſephi meminit Hieronymus, & inter ſcriptores Eccleſiæ numerat, iſtum autem ne nominet quidem vnquam? Cui ex veteribus hic notus? Sed nihil coniecturis opus eſt, vbi certa Argumenta præſto ſunt. De Hannibale ſcribit lib.* 3. *cap.* 15. *Veniens in Hiſpaniam humiliauit ſuperbiam gentis Gothorum. Et lib.* 5. *cap.* 42, *ait. Et poſt milites caterua Germanorum & Gallorum, ipſi ſunt Franci. At Gothi non poſſederunt vnquam Hiſpaniam, neque Franci Galliam, niſi ætate Hieronymi, aut paulo poſt, vt notiſſimum eſt ex Hiſtoricis.* Hæc & plura eiuſdem generis in eandem ſententiam habet Ribera.

g Comment. in Obad. nu. 110.

Fertur alia eiuſdem Argumenti (videlicet de excidio Hieroſolymitano) *tractatio, authore Ioſepho quodam, qui inſcribitur filius Gorionis, qui eodem vixit tempore dictæ cladis: verùm cum in multis Author ille reperiatur erraſſe, nec illum eſſe putemus authorem qui habeatur inſcriptus, libentius* (ab eo citando) *abſtinuimus*, inquit [h] Baronius.

h Annal. to. 1. ad an. 72. nu. 27.

Ioſephus ille Gorionis ſuppoſititius eſt, & in multis erraſſe, non à me ſolum, verùm & ab alÿs, & adeo à Baronio Cardinale exiſtimatur, inquit [i] Poſſeuinus.

[i] Apparat. ſac. verbo, Hegeſippus.

Quod quidam ex Ioſepho Ben Gorionis afferunt, vt probent, Ieremiam eſſe venturum, Apocryphum eſt, ſicut totus ille Author eſt fabuloſiſſimus, inquit [k] Maldonatus. Sed de hoc vide plura apud *Ioh.* [l] *Raynoldum* in Prælectionibus de Apocryph. ſcripturis: & *Scaligerum* in elencho Trihæreſij Nic. Serarij cap. 4. & 5.

[k] Comment in Math 16. 14.
[l] Prælect. 100.

Opera falsò adſcripta Dionyſio Areopagitæ.

Dionyſius Areopagita vixit circa Annum 95. Feruntur ſub eius nomine diuerſi tractatus, de cœleſti Hierachia lib. 1. De Hierarchia Eccleſiaſtica lib 1. De Myſtica Theologia lib. 1. De diuinis nominibus lib. 1. & epiſtolæ 10. excuſæ Coloniæ 1557.

Ex his libris mille petunt teſtimonia Pontificij. Cœleſtis Hierarch. cap 1 citatur ab [m] Anglo-Rhemenſibus, pro Sacrificio altaris. Eccleſiaſt. Hierarch. chap. 3. citatur à [n] Bellarmino, pro [o] Inuocatione Sanctorum: & [p] Purgatorio. Ab [q] eodem citatur liber de diuinis nominibus cap. 4. vt probet: librum Sapientiæ eſſe canonicum: & epiſtola ad Theophilum, [r] pro forma monaſticæ profeſſionis, &c.

[m] Annotat. in Lucam 21. 19.
[n] De Euchar. l. 2. c. 3.
[o] De S. beatitud. l. 1. c. 19.
[p] De Purgat. l. 1. c. 6.
[q] De verbo Dei l. 1. c. 13.
[r] De Monachis, l. 2. c. 5.

Authorem horum librorum mirificè laudant Pontificij. [ſ] Hardingus dicit, *Hunc eſſe illum Dionyſium, quem Paulus ad fidem conuertit, de quo mentio facta eſt in Actis Apoſtolorum, quíque cum Petro, Paulo & Ioanne Euangeliſta colloquium habuit, ac Timotheo familiaris fuit*; [t] Alanus dicit, *Hic eſt ille Dionyſius cuius mentio facta eſt Actorum 17. tam vetuſta ſunt fidei noſtræ monumenta.* [u] Anglo-Rhemenſes dicunt, *Hic eſt ille celebris Dionyſius qui Galliam ad fidem conuertit, & qui diuinos libros de Eccleſiaſtica & cœleſti Hierarchia ſcripſerat. Hæc opera antiquitatem & Apoſtolicum Spiritum redolent*, inquit [x] Alanus. *Author fuit vir ſanctiſſimus, doctiſſimus, Apoſtolorum contemporaneus*, inquit [y] Lipomanus.

[ſ] Art. 1. ad prouocatio. Iuelli.
[t] Suffrag. pro mortuis c. 11.
[u] Annotat. in Act. 17.
[x] Alanus loco ſup. citato.
[y] De Vitis S. per Tiletan. pars 1. p. 471.

Laudat venales qui vult extrudere merces. Qui mercaturam tenuem exercent, non multũ proficiunt, niſi admodum men-

tiantur

tiantur. Et ſanè ita res ſe habet cum Inſtitoribus Romanis. Nam vix vſpiam reperias librum magis aſperum & obſcurum quàm qui illius nomine circumfertur, etiam ipſis Pontificijs iudicibus. *Quiſquis fuit aſperior eſt, vix intelligibilis, nonnullis Theologis negotium faceſſit*, inquit [z] Dionyſius Carthuſianus. *Opuſcula Dionyſij magna obſcuritate teguntur*, inquit [a] Abbas Trithemius: quod ſatis illuſtre argumentum eſſe poteſt, hos libros tempore Dionyſij Apoſtolorum contemporanei non fuiſſe ſcriptos; ſiquidem illa tempora dabant ſcriptores, qui ſenſum animorum ſuorum perſpicuè & dilucidè ſcriptis exprimere potuiſſent. Sed vt hoc prætercam, multis grauiſſimis & firmiſſimis argumentis doceri poteſt, hos libros alterius eſſe, non ipſius, cuius mentio Act. 17.

z Comment. in Dionyſ. Areop.

a De ſcrip. Eccleſ.

Ac primò illud probatum dabo ex hoc, quòd Author ille in Eccl. Hierarchia multa ſcribat de *Templis*, de *Altaribus*, de *Choris*, de *Catechumenis extra fores templi ſtatuendis*. Et in Epiſtola ad Demophilum, ita de *Templis* loquatur ac ſi magnificè fuiſſent extructa, habentia, more Templi Hieroſolymitani, *ſua Sancta Sanctorum diuiſa à reliquis Templorum partibus, in quæ nec Monachis, nec Laicis ingredi fas erat*. Nam certa res eſt, illis temporibus quibus Dionyſius ille vixit, de quo Act. 17. nihil horum fuiſſe. Coacti illo ſeculo Chriſtiani ſunt, Apoſtolorum more Act. 1. 13. & 12. 12. & 20. 8. in locis priuatis atque occultis conuenire, propter tyrannos, atque ibi preces & conciones habere: Publica Templa non habebant.

Secundò, in hoc lib. de Eccl. [b] Hierarch. & in epiſt. ad Demophilum, fit mentio *Monachorum*, qui nulli erant temporibus Apoſtolorum. Nam nullum fuiſſe veſtigium Monachorum cum Paulus Apoſtolus ſcriberet ad Corinthios, teſtatur [c] Chryſoſtomus. Et, Tho. Aquinas (de quo canunt, *Quis ſimilis illi?*) [d] fatetur ijſdem temporibus, *Non fuiſſe aliquos Religioſos determinatos*.

b Cap. 6.

c Hom. 26. in Heb.

d Quodlib. 7. Art. 27. ad 4.

Tertiò in [e] lib. de *Diuinis nominibus*, hic Author ſcribit, ſe *cum Timotheo & alijs ſanctis fratribus ſuis, corporis quod Authorem Vitæ Deumq́ recepiſſet, videndi cauſa conueniſſe*, intelligens, *Mariam mortuam*, ſed nondum *ſepultam*. Atqui

e Cap. 3.

Dionyſius Areopagita non erat è numero *ſanctorum fratrum*, cum virgo Maria diem obijt. Dionyſius enim non fuit conuerſus ad fidem vſque ad 52. annum Domini, teſtantibus [f] Anglo-Rhemenſibus, & [g] Baronio. Maria autem mortua eſt ad An. Domini 48. teſtante [h] Euſebio, & agnoſcentibus [i] ipſis Anglo-Rhemenſibus. Nam tribuunt tantum illi 63. annos vitæ ſuæ, ex quibus cum 15. peregit ante Chriſtum natum, vt communis fert opinio: reliquum eſt vt illa, quadrageſimo octauo an. Chriſti, diem obierit.

f Tabula de S. Paulo ad finem Act. Apoſt. p. 373.
g Annal. To. 1. ad An. 48. nu. 7.
h In Chron.
i Annot. in Act. 1. 14.

Quartò in [k] lib. de *Diuinis Nomin.* citatur ſententia quædam Ignatij ex Epiſt. quam ſcripſit ad *Romanos*, dum vinctus Romam mittitur proijciendus ad beſtias. Quod accidit imperante *Traiano*, teſtante [l] Euſebio, & agnoſcente [m] Baronio. Atqui Dionyſius Areopagita mortuus eſt tempore *Domitiani*, prædeceſſoris *Neruæ*, vt manefeſtum eſt ex [n] Methodio, [o] Metaphraſte, [p] Hilduino, [q] Hincmaro, & alijs.

k Cap. 4.
l In Chron.
m Annal. To. 2. ad An. 109. nu. 12.
n In Martyrio Areopag.
o In Dionyſ. die. 9. Octob.
p In Areopag.
q Apud Surium To. 5. de vitis Sanct. Octob. 9.

Quintò, Author iſte hos libros inſcribit *Timotheo Epiſcopo Epheſio*, vt patet ex inſcriptione libri de Diuinis nominibus, quæ ſic habet: *B. Dionyſij Areopagitæ Athenienſium Pontificis de Diuinis nominibus, ad Timotheum Pontificem Epheſinum.* Quæ inſcriptio legitur apud [r] Suidam, & præfigitur Dionyſio impreſſ. [ſ] Lugduni in 16. Et in [t] his, appellat hunc Timotheum *filium ſuum.* Atqui *Epiſcopum coepiſcopum nominare conſueuiſſe fratrem, non filium, mille exemplis facile eſſet demonſtrare*, vt verè annotat [u] Baronius. Ex quo ſequitur, delirum aliquem ſenem fuiſſe, ſed non Dionyſium Areopagitam, qui hos libros ſcripſerit.

r In Collectaneis.
ſ Anno 1585.
t Cap. 1. & vlt. Eccl. Hierarch.
u Annal. To 2. ad An. 109 Nu. 56.

Hiſce & ſimilibus argumentis inducti ſunt multi, non ex noſtris ſolùm, ſed ex Pontificijs, vt exiſtimarent hos libros eſſe ſuppoſititios, vel ſaltem dubiæ fidei. *An iſtemet (Areopagita) ſit ille Dionyſius qui ſcripſit libros de Diuinis nominibus, certum non eſt*, inquit [y] Caietanus. *Hæc opera, vt eius nomine conficta, deridet Valla*, inquit [z] Eraſmus, digitum intendens ad Annot. Vallæ in Act. 17.

y Comment. in Act. 17.
z Epiſtola præfix. Paraph. in 1. Cor. To. 7. operum.

Dionyſius qui in 2. Hierarchia priſcos Eccleſiæ ritus ſatis copioſe deſcribit, eruditis recentior quiſpiam fuiſſe videtur quàm

fuit

fuit ille Areopagites, inquit ibidem [a] Eraſmus.

a Loco citato.

Guilielmus Grocinus Anglus, vir dum viueret ſeueriſſima caſtiſſimaq; vita, Eccleſiaſticarum Conſtitutionum obſeruantiſſimus penè vſque ad ſuperſtitionem, Scholaſticæ Theologiæ ad vnguem doctus, ac natura etiam acerrimi iudicij, demum in omni diſciplinarum genere verſatus: Is ante 30. annos in æde D. Paulo ſacra, magna celebritate cœpit profiteri Hierarchiam Eccleſiaſticam: atque in præfatione ſtomachatus eſt in eos qui negarunt illum eſſe Areopagitam, notans opinor Laurentium Vallam. Verùm vbi iam aliquot Hebdomadas eſſet profeſſus, atque vt fit, propius ac familiarius introſpexiſſet Authoris ingenium, non dubitauit apud eoſdem auditores παλινῳδεῖν *priorem ſententiam, profitens ſibi nequaquam videri Dionyſij Areopagitæ*, vt refert [b] Eraſmus.

Opera Dionyſij, vt Pſeudoepigrapha videntur à Photio notari, inquit [c] Poſſeuinus.

Bellarminus ipſe, qui in [d] lib. de Monachis acriter defendit hoc opus genuinum eſſe Dionyſij fœtum: [e] alibi tamen agnoſcit, *non eſſe certum, an liber Dionyſij Areopagitæ ſit illius cuius nomen præ ſe fert.* Et in Indice M. S. *Nota* (inquit) *ſcripta Dionyſij ante tempora B. Gregorij non videntur fuiſſe nota mundo. Nam teſtimonia quæ petimus ex Origene & Athanaſio ſunt ex libris falsò ijs authoribus adſcriptis.*

b Schol. in Hierô. de Eccl. ſcript. & Declarat. ad cenſuras Theol. Pariſ. tit. 31. nu. 91.
c Apparat. ſac. verbo Photius.
d Lib. 2. de Monach. c. 5.
e Lib. 2. de confir. c. 7.

Martialis Epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ.

IN [f] Biblio. vet. Patrum habentur duæ epiſtolæ ſub nomine *Martialis*. Harum prior, quæ eſt ad *Burdegalenſes*, citatur à [g] Garetio, pro reali Chriſti in Sacramẽto pręſentia; & [h] pro Miſſæ ſacrificio. Quo nomine citatur etiam ab [i] Hardingo, & [k] Anglo-Rhemenſibus: à [l] Lindano citatur pro inuocatione Sanctorum. Poſterior verò, quæ eſt ad *Tholoſanos*, citatur à [m] Bellarmino, vt probet: Martialem perſuaſiſſe virgini, vt virginitatem ſuam Deo voueret.

Huius inſignia dilatant Romani fæciales, quantum poſſunt. [n] Pereſius, *Sanctum*, imò, *Diuum Martialem* appellat, atque *Chriſtum ipſum audiuiſſe & vidiſſe* affirmat. [o] Marga-

f Tom. 3. edit. 3.
g De veritat. corpo. Chriſti in Euchar. centenar. primo.
h Aſſertio ſacrifi. Miſſæ.
i Art. 1. cont. Iuellum.
k Annot. in Heb. 10. 11.
e Panop. l. 3. c. 35.
m De Monach. l. 2. c. 27.
n De traditio. pars 3. Tit. de ſacrificio altaris.
o Tom. 3. edit. 3. Biblio. vet. Patrũ.

rinus de la Bigne non *Epiſcopum* modò, ſed & *Confeſſorem*, & *Apoſtolum*, fuiſſe dicit. [p] Sixtus Senenſis, *Vnum de ſeptuaginta duobus diſcipulis* fuiſſe vult, ſubiungens, *ipſas Epiſtolas venerandæ pietatis antiquitatem redolere, & Domino reuelante repertas*; cum tamen certum eſt, authorem harum Epiſtolarum fuiſſe obſcurum aliquem homuncionem, quem aliquis Romanæ Aulæ aſſecla, ſub nomine *Martialis* nuper emiſit, vt ementito titulo, erroribus ſuis fidem & authoritatem conciliet.

p Biblio. l. 2. Cephas.

Quod ex parte quiuis ex Baronio colligere poteſt. Nam in [q] notis ad Martyrolog. Rom. *De duabus Martialis Epiſtolis nuper inuentis egimus in Annalibus*, inquit ille. Et tamen in [r] Annalibus hoc ſolùm de illis habet, *Leguntur Martialis nomine duæ ſcriptæ Epiſtolæ, quarum altera eſt ad Burdegalenſes, altera verò ad Lemovicenſes & Tholoſanos conſcripta. Sed de his aliàs.* Nec enim dubium eſt, quin ſi quid vel fingere probabiliter potuiſſet, quod ad fidem illis faciendam ſpectaſſet, id omne literis mandaſſet, nec lectorem ludificaſſet, mittendo à notis in Martyrologium, ad Annales, & remittendo ab Annalibus, neſcio quò. Sed pleniùs id ipſum probatur ex Bellarmino: qui verba faciens de priori, apertè [ſ] dicit, *Epiſtolam ad Burdegalenſes multis de cauſis ſuſpicor non eſſe Martialis illius qui dicitur fuiſſe diſcipulus Chriſti.* Et in Indice manuſcripto, cuius * ſupra memini, loquens de vtraque Epiſtola, *Epiſtolæ iſtæ mihi videntur confictæ*, inquit ille. *Primò quia author dicit ſe vidiſſe Chriſtum in carne, cum tamen Martialis Epiſcopus primus Lemovicenſis miſſus fuit in Gallias anno Chriſti 254. primo Decij, teſte [t] Grego. Turonenſi. Secundò, quia dicitur fuiſſe vnus ex 72. diſcipulis, cum tamen neq; Euſebius, nec Hieronymus, nec Sulpitius, nec Ado, nec Dorotheus, eum enumerant inter 72. diſcipulos. Prætereà in Epiſtola 2. c. 8. dicit eum conuertiſſe Regem Galliæ, cum tunc Romani dominabantur Gallis. Item, ibidem cap. 9. citat teſtimonia ſcripturarum ſecundùm Hieronymi tranſlationem.* Hæc Bellarminus: quibus adde, quod habet in [u] recognit. operum, *Epiſtolæ Martialis Apoſtoli citantur à nobis, quoniam ab aliquibus recipiuntur, quamuis non ignoremus, eas non eſſe tantæ authoritatis, vt in ijs dogmata fidei fundari poſſint.* Quinetiam in libro de

q Iunij 30.

r Tom. 1. ad an. 74. nu. 15.

ſ Lib. 1. de Chriſto c. 10.

* Pag. 12.

t Hiſtor. lib. 1.

u Pag 56.

de Script. Eccleſ. nuper Coloniæ recuſo; *Multa ſunt quæ has Epiſtolas ſuppoſititias eſſe indicare videantur. Primùm enim Author harum Epiſtolarum dicit ſe cum Chriſto vixiſſe antequã crucifigeretur,&c. vt neceſſe ſit, vel Martialem vixiſſe ferme 300. annis, vel titulum Epiſtolarum eſſe falſum, vel Epiſtolas eſſe confictas. Deinde in ſecunda Epiſtola cap. 8. ſcribit Author Stephanum Regem à ſe baptizatũ,& alium Tyrannum cum Satrapis ſuis. Atqui tempore Apoſtolorum, & etiam tempore Decij Imperatoris non habuit Gallia vllos Reges, ſed Imperio Romano ſubiecta erat. Tertiò, dicit idem Author eodem loco, Templa Idolorum euerſa fuiſſe, & Eccleſias ædificatas authoritate Regia ipſo ſuo tempore: quæ videntur manifeſtè falſa,&c. Quartò, in eadem Epiſtola cap. 9. citantur verba Scripturæ ſecundùm S. Hieronymi verſionem, quod etiam in vtraque Epiſtola paſſim cernitur. Id verò ſignum eſt apertiſſimum nouitatis. Quintò, in eadem Epiſtola cap. 13. ſcribit Author ſe interfuiſſe cum alijs diſcipulis quando Iudas oſculo Dominum prodidit. Atqui hoc repugnare videtur Euangelio. Sextò, in eadem Epiſtola cap. 8. dicit, Valeriam quandam in ipſa Gallia Martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio lib. 2. ſacræ hiſt. & Gregorio Turon. l. 1. cap. 8. hiſt. Franc. qui ſcribunt temporibus M. Antonini primùm intra Gallias Martyria viſa. Multa ſunt alia, quæ his Epiſtolis fidem detrahere videntur.* Hæc ibi Bellarminus.

Liber paſſionis Sancti Andreæ eſt ſuppoſititius.

IN Surij hiſtor. Sanctorũ, tom. 6. Nouemb. 30. habetur *Paſſio S. Andreæ Apoſtoli, quæ per Preſbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achaiæ ſcripta* dicitur. Hæc *paſſio* citatur à [a] Bellarmino, pro reali Chriſti in ſacramento præſentia; pro [b] Miſſæ ſacrificio; & vt [c] probet, totum Chriſtum eſſe ſub vtraque ſpecie ſacramenti. Legitur etiam in Breuiario Romano nuper recognito & repurgato, Nouemb. 30. Atque Authenticam eſſe hanc hiſtoriam perſuaſum nobis cupiunt, Bellarminus, Baronius, Poſſeuinus, & alij Pontificij.

a De Euchar. l. 2. c. 1.

b De Miſſa l. 1. c. 15.

c De Euchar. l. 4. c. 21.

Hunc librum legitimum eſſe ſatis conſtat, tum quia nulli, quod

ſciam

ſciam, adhuc in quæſtionem authoritatem eius vocarunt, tum quia reuera nihil continet, quod nouitatem redoleat, &c. inquit [d] Bellarminus.

[d] De Sacra. Euchar.lib.2.c.1.

Quæ de Andreæ martyrio in Epiſtola Preſbyterorum Achaiæ habentur expreſſa, digna exiſtimata ſunt vt in Eccleſia recitentur, inquit [e] Baronius.

[e] Annal.to.1.ad an.69.nu. 34.

Liber Paſſionis S. Andreæ Apoſtoli, ſcriptus ab eius diſcipulis qui paſſioni interfuerunt, omninò eſt legitimus, inquit [f] Poſſeuinus.

[f] Apparat. Andreas.

De hoc libro Lypomanus admodum exultat & gloriatur; nam è regione verborum quæ videntur facere pro reali præſentia, appingit hoc gloſſema in margine: [g] *Quid hîc dices hæretice? negare ne vlterius audes in Euchariſtia verum corpus & ſanguinem Chriſti, &c?* Ac ſi cauſa penitus caderemus hoc teſtimonio conuicti: quæ eſt & opinio Bellarmini, qui [h] citans ex eo paucula pro inſtituti ſui ratione, *Ad hunc locum* (inquit) *non vidi vllam reſponſionem hæreticorum.*

[g] Epitome Lypomani de vitis ſanct.pars.1.p. 369.

[h] De Euchar.l.2. c.1.

Hunc librum nullius eſſe pretij, ſaltem non tanti, quanti volunt Pontificij, ac quanti reuera eſſe deberet, ſi Presbyterorum Achaiæ fuiſſet, ex ijs quæ in eo continentur, conſtabit. Nam in [i] illo *Spiritus ſanctus dicitur procedere ex Patre, in Filio verò permanere.* Quod ſapit hæreſin Græcorum negantium Spiritum ſanctum procedere ex Filio: ob quam, ſi non mentiatur [k] Bellarminus, *in miſerrima ſeruitute degunt, grauiſſimumque iugum captiuitatis perferre coguntur.* Primus autem author illius hæreſis videtur fuiſſe *Theodoretus* circa an. 430. [l] agnoſcente ipſo Bellarmino. Presbyteri ergo Achaiæ qui primo Centenario floruerunt, huius libri authores eſſe non poſſunt.

[i] Epito.Lipom. ibid.p.368.

[k] De Chriſt.l.2. c. 30.

[l] Ibid.c.21.

Rurſus, in hoc libello legimus, *Ægeam præcepiſſe Andream cruci affigi, mandans hoc quæſtionarijs, vt ligatis pedibus & manibus quaſi in equuleo tenderetur, ne clauis affixus citò deficeret, ſed cruciaretur potius longo cruciatu.* At hoc falſum eſſe docet [m] Bellarminus, *Nam Pictores ferè ſolent Chriſtum depingere clauis affixum, latrones autem, & S. Petrum atque Andream funibus. Sed non ita eſt, omnes enim clauis figebantur*, inquit ille. Ex quo conuincitur, potiſſimùm *contra Bellarminũ,*

[m] De Imag.l. 2.c. 27.

nullo

nullo modo dicendum Presbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achaiæ authores huius libelli extitiſſe, præſertim cum quicunque tandem fuerint illius libelli authores, profitentur diſertis verbis ſe ſcribere paſſionem S.Andreæ *quam oculis ſuis viderant.* Nam Bellarminus (ſpero) non condemnabit Presbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achaiæ impudentis mendacij.

His, aut ſimilibus rationibus inductus [n] Whitus, patrum memoriâ non ignobilis Papiſta, atro quaſi carbone hunc librum notat. n Diacoſion Martyr.fol.3.

Sed ſit Apocryphum (vt eſt abſque controuerſia)
Quod diuus Andreas loquutus ad Patres,
Memoratur, ante turbidum Proconſulem;
Ego (inquit) Egea Deo rerum optimo
Omni die ſacrifico, inquit Whitus.

Verùm Baronium audiamus de hoc ſcripto cum alijs eiuſdem farinæ quibuſdam pronunciantem. * *Quod*, inquit, *pertinet ad res ab Apoſtolis geſtas poſtquam ab inuicem ſemel ſeparati ſunt, res quidem perobſcura eſt. Cum enim Apoſtolorum nomine tam facta quàm ſcripta reperiantur eſſe ſuppoſititia, nec ſiquid de illis à veris ſincerisq; ſcriptoribus narratum ſit, integrum & incorruptum omninò remanſerit, in deſperationem planè quandam animum deijciunt, poſſe vnquam aſſequi quod verum certumq; ſubſiſtat. Moxq;* inter *ſcripta,* quæ *Apocrypha vel omnino reiecta eſſe probantur,* recenſet *Itinerarium Petri, ſiue Clementis Recognitiones, Actus nomine Andreæ, nomine Thomæ, nomine Pauli & Thedæ, quos omnes* ait *Gelaſij cenſuram proſcripſiſſe.* Subiungitque tandem ex Philaſtrio, *ab hæreticis falſa acta Apoſtolorum nomine* euulgata; *Et Manichæos quæ ab Andreæ diſcipulis de rebus ab ipſo geſtis ſcripta erant corrupiſſe, alia addentes, alia verò detrahentes:* Denique *Innocentium quæ ſub nomine Andreæ ſcripta ſunt, non repudianda ſolùm, verùm etiam damnanda* cenſuiſſe. * Annal.To.1.an. 44.nu.42.43.edit. Mogunt.1601.

Idem etiam de Andreæ paſſione verba facturus, *Cunctabunda,* * inquit, *diu hæſit oratio, Apocryphorum præpedita timore, quæ minus liberè, vt aſſolet in rebus certa fide exploratis ac veris, hactenus proſilierit.* Et mox, *Illud tantùm de Andreæ martyrij tempore in Paſſionibus Apoſtolorum, qualeſcunque ſunt,* * Annal.To.1.an. 69.nu.34.

licuit reperiſſe, ipſum ſcilicet poſt Petrum Martyrio fuiſſe coronatum, &c. At quid erat quod cunctabundus Cardinalis hæreret, ſi ſcripta quibus inſiſteret, ſuppeterent, tam authentica vt *à nullo in quæſtionem vocata ſit corũ authoritas*, quod Bellarminus aſſeruit?

Vita S. Martialis, ſcripta ab Aureliano Lemouicenſi Epiſcopo, eſt ſuppoſititia.

AD finem Abdiæ, impreſſ. Pariſijs an. 1566. habetur *Vita S. Martialis, ab Aureliano Lemouicenſi Epiſcopo, olim beneficio Martialis à mortuis excitato, deſcripta*. Hæc citatur à [o] Garetio, pro inuocatione Sanctorum: Et à [p] Baronio, vt probet: Martialem ſuſcitaſſe mortuum, admoto ei baculo S. Petri, quem ab eo ſibi datum Romæ acceperat: Et ab [q] Innocentio 3. * licet ſuppreſſo nomine Authoris, vt oſtendat rationem, cur Romanus Pontifex baculo paſtorali non vtatur.

o Lib. de inuocat. ſanct.
p To. 1. Annal. ad an. 74. nu. 15.
q Extra. de ſacra vnctione in fine.
* Baron. notis in Martyr. Ro. Iunij 30.

Hæc hiſtoria vſque adeo mendax eſt, vt ſine dubio ſuppoſititia ſit. In hac, *Veſpaſianus* Romani Imperij Principatum pro *Nerone* ſuſcepiſſe dicitur, nempe 14. Imperij *Neronis* anno. Atqui *Seruius Sulpitius Galba* ſucceſſit *Neroni*, & tenuit Imperium menſes ſeptem, & dies 7. teſte [r] Baronio. Poſt *Galbam*, ſucceſſit *Otho*, qui tenuit Imperium menſes tres & dies 5. poſt *Othonem* ſucceſſit *Vitellius*, qui tenuit Imperium menſes 8. & dies 5. Poſt hos, ſucceſſit *Veſpaſianus* ſeſquianno à *Neronis* morte. Sed audiamus Iohannem Heſſels à Louanio, inſignem Theologiæ publicum profeſſorem reliqua mendacia ſuis verbis commemorantem. *Martialis vita non placet propter valde multa*, [ſ] inquit ille. *Inter cætera erronea, dicuntur Martialis & Cleophas cum alijs multis diſcipulis Domino & Apoſtolis in Cœna miniſtraſſe cibi & potus copiam, aquam & linteamina ad diſcipulorum pedes abluendos & detergendos: cùm vno linteo dicatur Chriſtus fuiſſe præcinctus, & Apoſtoli putarint Iudam miſſum à Domino, vt egenis aliquid daret, aut vt emeret neceſſaria ad diem feſtum, quod non deſignat multitudinem miniſtrantium ibi fuiſſe. Rurſus, dicitur Martialis à Domino poſt reſurrectionem parem poteſtatem & ligandi*

r Annal. To. 1. ad an. 70. nu. 6. ad an. 71. nu. 1.
ſ Cenſura de quibuſdam ſanctorũ Hiſtorijs c. 6. menſe Iunio ad finem Martyrologij Vſuardi editi per Molanum 1568.

ligandi & ſoluendi accepiſſe cum Apoſtolis, & ſic miſſus ad prædicandum in vniuerſo mundo. Quod ſi verum eſſet, nunquam Mathias in locum Iudæ ſucceſſiſſet, ſed Martialis electus fuiſſet. Et vocatur Martialis Coapoſtolus, & condiſcipulus Petri, quod tolerandum non videtur. Etſi poſſit vocari Apoſtolus, ſicut [t] *Epaphroditus &* [u] *Andronicus à Paulo vocantur Apoſtoli, alicuius particularis gentis. Rurſus inducitur Angelus dicere de Martiale, quòd 12. Angeli deputati et non permittunt eum fatigari & eſurire, ſitire, vel pati dolorem. Item quòd ſicut à concupiſcentia carnali eſt alienus, ita & à dolore mortis ſiet extraneus. Quæ omnia ridicula ſunt; non eſt enim* [x] *ſeruus maior Domino. Item dicitur ipſe multo auro & luminaribus ornaſſe Eccleſiam, & inſtituiſſe qui diuinum officium agerent, (quos nunc Canonicos dicimus,) & præcepiſſe vt omnes populi vicini quater in anno templum illud viſitarent, &c.*

t Philip.2.
u Rom.16.
x Ioh.13. 19.

Ignatij Epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ.

IGnatius vixit Apoſtolorum tempore, eos vidit, eos audiuit, teſte [a] Bellarmino: ſub eius nomine [b] prodierunt 1. vndecim epiſtolæ: quæ paulò [c] poſt creuerunt ad 12. & iam [d] tandem ad 15. Harum 1. citatur à Coccio, vt probet: B. Mariam omni peccato caruiſſe. 2. [f] cenſetur mirè confirmare: In Mariam Chriſti matrem quàm optimè affectum eſſe vnumquemque, qui noſtræ religionis & fidei ſit amicus. 3. quæ eſt ad B. Virginem Mariam, citatur à [g] Caniſio, vt probet ipſam B. Virginem de aliorum bono valdè ſollicitam: atque has tres genuinas eſſe ipſius Ignatij Epiſtolas, adeo confidens eſt [h] Caniſius, vt non niſi cum irriſione roget, *cur de his Ignatij Epiſtolis dubitemus? &c.*

Verùm has tres Epiſtolas *ſuppoſititias* eſſe, ſaltem *dubiæ fidei*, præcipui inter Pontificios agnoſcunt. *Quod attinet* (inquit [i] Martialis Mæſtræus Doctor Pariſienſis) *ad duas priores Epiſtolas Ignatij ad B. Ioh. Euangeliſtam, aliaſq; duas ſequentes, alteram Ignatij ad Mariam deiparam, & alteram Mariæ ad Ignatium, tametſi eas vt germanas vindicari ſciamus*

a Lib.2.de Euch. cap.2.
b Edit. Argentinenſ.an.1502.
c Pariſ. an. 1562. græcolat.
d Bibl.vt pat.To. 3. edit.3. Anno 1610.
f D.M.L. B. in Tract. de Ignatio & eius Epiſt. quæ præfigitur Epiſt. Ignatij, To.3. Bibl. vet.pat.
g Lib.5.de deipara Virgine c.1
h Ibid.
i Notis.in Epiſtolas Ignatij impreſſ.Pariſ. 1608.

mus à pluribus recentioribus—cum tamen Græcè nunquam conſcriptæ repertæ fuerint, nec illarum vllus veterum Patrum ad Bernardum vſque meminerit, tutius meo iudicio fuerit, eaſdem vel in Apocrypharum ordinem redigere, aut ſaltem, vt non omnino certas, ac genuinas habere. Quæ nunc extant Epiſtolæ ad B. Virginem, & S. Iohannem, non videntur redolere Ignatij grauitatem: adde quòd non habentur in Græcis codicibus, inquit [k] Bellarminus. *Quod attinet ad duas priores Epiſtolas S. Ignatij ad Ioh. & ad duas alias ſequentes, alteram Ignatij ad Mariam deiparam, alteram Mariæ ad Ignatium—cum illarum neque Euſebius, neque Hieronymus, nec Nicephorus, nec vllus veterum ad D. vſque Bernardum meminerit, qui alioqui accuratè ſcripta Ignatij memorauerint, tutius fuerit eaſdem, vel in Apocryphorum ordinem redigere, aut ſaltem, vt non omnino certas, ac genuinas habere,* inquit [l] Magiſter ſacri Palatij. Cuius cenſura præfixa eſt Ignatianis Epiſtolis To. 3. Bibl. vet. Pat. edit. 3. Eadem opinione videtur eſſe Baronius Annal. To. 1. ad An. 48. 25. & To. 2. ad An. 109. 34. Quamobrem ad reliquas progrediamur.

k In Indice ſcript. Eccl. cum cenſura M.S.

l To. 1. Indic. Ro. lib. expurg.

Epiſtola 4. quæ eſt ad Mariam Caſſoboliten, ſiue vt alij eam appellant, Zarbenſem, citatur à Bellarmino, vt probet: [m] Rom. Pont. antiquitùs Papam dictum fuiſſe: Et, [n] Clementem Rom. quarto loco ſucceſſiſſe S. Petro. Epiſtola 5, quæ eſt ad Trallianos, & reliquæ quæ ſequuntur omnes, citantur paſſim à Bellarmino, & Baronio, vt probent: S. Martyris iudicio, multa rata fidei Catholicæ capita. Atque ne quiſquam aliquid ſiniſtri de his cogitet, [o] Bellarminus audacter pronuntiat: *De his Ignatij Epiſtolis dubitari non poſſe, cum eæ citentur ab Euſebio, Athanaſio, Hieronymo, Theodoreto, & alijs veteribus frequentiſſimè:* & [f] Baronius confidenter aſſerit, *Ignatij Epiſtolas omnium ſanctorum Patrum & ſacrorum Conciliorum authoritate probari.* [g] *Ignatij Epiſtolas, nullo prorſus diſſentiente, Catholicam ſemper ſuſcepiſſe Eccleſiam.* [h] *Ignatij Epiſtolarum firmiſſimam ſemper in Eccleſia fuiſſe fidem, nec ab aliquo vnquam in dubitationem vel leuem adductam. Magna Dei prouidentia factum eſſe vt ab Ignatio ſcriberentur, & admirando planè diuino conſilio procuratum, vt inter tot tantaque naufragia ſcripturarum, eædem ad*

m Lib. 2. de Rom. pont. c. 21.

n Lib. 2. de Rom. pont. c. 5.

o L. 2. de Euchar. c. 2.

f Notis in Martyrol. Ro. Feb. 1.

g Annal. To. 1. ad an. 44. nu. 77.

h To. eod. ad an. 57. nu. 55.

noſtram

noſtram ætatem incorruptæ atque integræ ſeruarentur : cum tamen de quinque illarum, viz. de Epiſtola ad Mariam Caſſoboliten, & de illa ad Tarſenſes, & altera ad Philippenſes, ad Antiochenſes vna, & ad Hieronem altera, nulla plus mentio apud veteres quàm de tribus primis, quas *Apocryphas*, ſaltem *dubias* confiteantur ipſi; nec deſint argumenta valida quibus omnes, vel ſuppoſititias, vel fœdè corruptas, probari poſſit. i Annal. To. 2. ad an. 109. nu. 20.

In his [k] Epiſtolis, Author recenſet hoc inter hæreſes à *Miniſtris Satanæ* diſſeminatas, viz. *Quòd Chriſtus ſit ille qui eſt ſupra omnia Deus.* Quod cum non ſit hæreſis, ſed ipſiſſima veritas, planè arguit Ignatium virum illum Apoſtolicum, quem Hiſtorici tantopere prædicant, harum Epiſtolarum authorem non fuiſſe. k Epiſt. ad Tarſenſes.

Si hæ Epiſtolæ reipſa ſint Ignatij, nullo modo negandum eſt, Ignatij tempore, hanc hæreſin ſparſam fuiſſe in Eccleſia Catholica, viz. *Non fuiſſe in Chriſto Animam humanam*; Nam Author harum expreſsè meminit eius in Epiſtola ad Philadelphienſes; Atqui primus Author huiuſce hæreſeos fuit *Apollinarius Laodicenus*, qui vixit circa an. 370. teſtantibus [l] Socrate, & [m] Sozomeno, & [n] Vincentio Lyrinenſi, & alijs. l Lib. 2. c. 36. Hiſt. Eccl. m Lib. 6 c. 25. n Commonitorio adu. hær. c. 17.

Tertiò, ſi hæ Epiſtolæ Ignatij eſſent, & incorruptæ, atque integræ ad noſtras manus peruenerunt, quod vult Baronius: ad calcem illarum haberent, *Amen*, & *Gratia.* Nam *conſueuiſſe S. Ignatium in ſingulis ſuis Epiſtolis ad calcem illa apponere tanquam ſpeciale quoddam ſignum Epiſtolarum, Apoſtolico more, Amen, Gratia, pro certo habet* [o] Baronius. Atqui non niſi in Epiſtola ad Epheſios, eadem verba poſt ſalutationem habentur: nec in illa quidem ſi vera ſit editio, quam nobis dedit Perionius. o Annal. To. 2. ad an. 109 nu. 33.

Quartò, Paradoxa quæ continentur in his Epiſtolis, alium Authorem Ignatio longè diſſimilem clamitant. *Si quis Dominicum diem aut Sabbathum, vno excepto, ieiunarit, hic Chriſti interfector eſt*, ex ſententia [p] Authoris harum Epiſtolarum. Et, *Si quis cum Iudæis celebrat Paſcha, aut Symbola feſtiuitatis eorum recipit, particeps eſt eorum qui Dominum occiderunt & Apoſtolos eius*, inquit [q] idem. Atqui quum ſo- p Epiſt. ad Philip. q Ibid.

r Epiſt. 86.
ſ Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 23.

lemne fuerit Romanis *Sabbatho ieiunare*, teſte [r] Auguſtino: quum ipſe [ſ] Polycarpus, cui (vt aiunt) Ignatius Epiſtolam conſcripſit, in qua *Polycarpum beatiſſimum* appellat, Paſcha more Iudæorum celebrabat: quod & fecerunt multi alij magni nominis in Eccleſia Dei, in quibus *Iohannes Euangeliſta*: Ecquis tam amens vt putet Ignatium hæc ſcripſiſſe? Nunquid Romani omnes interfectores Chriſti? Nunquid Polycarpus? Nunquid Iohannes Euangeliſta, iudice Ignatio? Vel nunquid potiùs Author harum Epiſtolarum abſurdus aliquis homuncio ex fæce populi, omnino diſſimilis Ignatio?

t Epiſtola ad Antiochenos.
u 1. Sam. 25. 25.

In [t] vna harum Epiſtolarum cauetur ſtrictè, *Ne mulieres audeant viros proprio nomine vocare*, quaſi mariti non gauderent, quo gaudent alij, *Prænomine dici*: quaſi [u] *Abigail* in maritum peccaſſet, cum eum Nabal nominatum narraret Dauidi. Vel ex hoc probabile eſt, has Epiſtolas non eſſe Ignatij, quandoquidem leuiculum eſt ſiue ſic, ſiue ſecus, modò honeſto aliquo nomine vxores compellent viros.

x Epiſt. ad Antioc.
y Epiſt. ad Polycarpum.

In his [x] Epiſtolis *Laborantes* numerantur inter ordines Clericorum: & *Diaconiſſæ*, ſacrorum veſtibulorum cuſtodes. In [y] his fit mentio cuiuſdam *Diuini Curſoris* qui literas ad exteras regiones deferret: cum tamen nec *Curſorum* vlla apud quemuis veterum fit mentio: nec *Diaconiſſarum*, quæ ſacra veſtibula cuſtodirent: parciſſima, *laborantium*. Atque hæc etiam mihi videntur arguere alium Authorem ab Ignatio. Quî enim fieri potuit vt de his muneribus ſeu officijs, tam altum ſit ſilentium in veteribus, ſi quidem ipſe Ignatius tam aperta de ijs ſcripſerat?

Verùm vt concludam paucis, certo certius eſt, has Epiſtolas vel *ſuppoſititias* eſſe, vel quod ſuprà admonui, *fœdè corruptas*: idque ex teſtimonio ipſorum Pontificiorum, qui incorruptas & integras eſſe volunt.

z Dial. 3.
a Lib. 2. de Euchar. c. 2.

Nam [z] Theodoretus quædam citat, ex *Epiſtola Ignatij ad Smyrnenſes*, ſacramentum Euchariſtiæ tangentia, quæ videre licet apud [a] Bellarminum; ſed quæ nemo reperiet in Epiſtola quam nos habemus ſub Ignatij nomine ad Smyrnenſes.

* Dialog. 1.

Citat idem * Theodoretus varia ex Epiſtola ad Epheſios,

vti

vti eſt videre apud * Riuetum in Specimine Critico, quæ partim aliter longè habentur in ea quæ nunc extat Epiſtola, partim etiam nec omnino ibi reperiantur. * Specim.Crit.l.2. cap.2.

[b] Hieronymus affirmat, Ignatium ſcripſiſſe *propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochenſem Eccleſiam.* At in editione *Perionij*, nec verbum facit de Antiochenſi Eccleſia hic noſter Ignatius in Epiſtola quam nos habemus ad Polycarpum ſcriptam: nec commendat quidem in editione de la Bigne, quæ duplo eſt prolixior illa Perionij, licet aliqualem in illa faciat eius mentionem. b Dial.3.adu.Pelag.c.1.

Præterea, in Epiſtola ad *Mariam Caſſoboliten, Clemens dicitur ſucceſſiſſe Anacleto.* Quod errore librariorum factum putat [c] Baronius, cum dicendum potiùs eſſet *Clementem ſucceſſiſſe Cleto*: vel potiùs *Lino*, ſi credimus [d] Turriano, qui vt hoc probet, Lectorem admonet, in exemplari vetuſtiſſimo & emendatiſſimo Bibliothecæ Mediceæ Florentinæ, non Ἀνακλήτῳ, ſed Λίνῳ eſſe: quaſi Λίνῳ Græcè, reſponderet *Lino* Latinè. c Annal.To.1. ad an.93.nu.1.& 7. d Pro epiſt. pont. l.2.c.10.

In Epiſtola ad Philadelphienſes, *Petrus, & Paulus, & alij Apoſtoli, nuptijs operam dediſſe dicuntur.* Hîc *Ignatij codices ab aliquibus philogamis deprauatos* clamant [e] Papiſtæ. Nam *in vetuſtiſſimis exemplaribus, nulla Pauli mentio inter coniugatos,* inquiunt. Imò, verba illa, *& alij Apoſtoli*, licet ſint in omnibus exemplaribus, Græcis, Latinis: antiquioribus, recentioribus: videntur *ex textu abradenda*, inquit [g] Margarinus de la Bigne. e Piſanus de continentia c. 7. f Baronius Annal. To.1.ad an.57.nu. 64.65. g Notis Marg. in Ignatij Epiſt.ad Philadelph.

In eadem Epiſtola legimus, *Vnum eſſe panem omnibus confractum, vnum poculum omnibus diſtributum.* Hîc [h] Bellarminus monet, *Non multum eſſe fidendum Græcis codicibus, quia multi ſunt in ijs errores.* h L. 4. de Euchar. c.26.

In Epiſtola ad Philippenſes, negatur *Verbum quod Caro factum eſt. i. filium Dei, in homine habitaſſe.* Hîc, *Hic locus videtur mihi non carere mendo*, inquit Scholiaſtes in hanc Epiſtolam.

Denique, cum quidam in erroris ſui patrocinium, ex Epiſtola ad Epheſios nonnulla vrgent: multus eſt [i] Bellarminus in oſtendendo, quàm variè, hîc, illîc, textus legatur. i Lib.1.de Chriſto, c.10.

Iuſtini

Iuſtini Quæſt. & Reſp. ſunt ſupppoſititiæ.

INter Iuſtini opera habetur liber inſcriptus, *D. Iuſtini Philoſophi & Martyris Reſponſiones ad Orthodoxos, de quibuſdam neceſſarijs Quæſtionibus.* Hic liber citatur à Bellarmino, vt probet: [b] Baptiſmum Iohannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam quam habet Baptiſmus Chriſti: [c] Catechumenos debere vngi ante Baptiſmum: [d] Confirmationem eſſe ſacramentum: [e] Chriſtum Dominum corpus ſuum ſolidum per aliud ſolidum introduxiſſe.

b Lib. de Bapt. c. 21.
c Lib. eod. c. 25.
d Lib. de confirmat. c. 5.
e Lib. 3. de Euchar. c. 6.

Hic liber non eſt Iuſtini: Nam in [f] hoc docet *Pythoniſſam* (de qua legimus 1. *Sam.* 28.) præſtrinxiſſe ſpectantium oculos, vt ſibi viderentur Samuelem videre qui non erat: quum tamen in Dialogo cum Tryphone contrarium docuit, ut alicubi notat [g] Bellarminus, & [h] Pamelius etiam: Qui præterea obſeruat, *Ex hac opinionum differentia confirmari eorum ſententiam, qui dictum librum Quæſt. & Reſponſ. Iuſtini eſſe negant.*

f Quæſt. 52.
g Lib. 2. de Purgat. c.
h Anno. in Tertul. de anima c. 57. nu. 638.

In hoc [i] libro, *Angelus* qui loquutus eſt cum Iacobo, *Angelus creatus* dicitur: quum tamen Iuſtinus in Dial. cum Tryphone, *Angelum increatum eſſe* probat.

i Quæſt. 142.

Tertiò, in hoc [k] libro, Author citat *Irenæum*, eumque *Martyrem* appellat. Atqui *Iuſtinus*, per aliquot annos obijt ante martyrium *Irenæi*. Nam *Iuſtinus* obijt anno 165. quum tamen *Irenæus* martyrium non ſubijt ante annum 205. quemadmodum computat [l] Baronius.

k Quæſt. 115.
l In Ann. ad an. 165. & 205.

His, atque ſimilibus Argumentis, commoti Pontificij: licet nonnunquam vt velificentur cauſæ ſuæ, ſub Iuſtini nomine *quæſtiones & Reſp.* haſce citent, tamen aliàs, Iuſtini eſſe negant.

Cum in Quæſtionibus 82. 86. & 115. citentur Irenæus & Origenes, longè eo poſteriores, alterius authoris oportet eſſe opus, [m] inquit Sixtus Senenſis. *Opus centum quadraginta ſex quæſtionum non videtur eſſe Iuſtini. Nam quæſt. 82. & 86. citat Origenem; & q. 115. citat Irenæum & eum Martyrem appellat, cum tamen*

m Bibl. ſanctæ l. 4. verbo Iuſtinus.

tamen Iuſtinus vtroque prior fuerit, inquit Poſſeuinus. Nam & Irenæus lib. 5. citat Iuſtinum tanquam ſe antiquiorem. Hæc [n] Poſſeuinus. n Aapparat. ſac. verbo, Iuſtinus.

Iſtæ Quæſtiones non videntur Iuſtini, ſed alicuius recentioris, [o] inquit Bellarminus. Qui etiam Poſſeuino de his planè cõſentit in lib. de ſcript. Eccleſ. o Lib. 1. de ſanct. beatit. c. 4.

Reſpondeo, Authorem illius Opuſculi(videl. quæſt. & Reſp.) *non eſſe Iuſtinum Martyrem*, inquit [p] Azorius. Nam —Vide Didacum Couarruuiam variarum Reſolut. lib. 4. cap. 19. p Inſtitut. mor. to. 1. l. 4. c. 25. 3. quæritur.

Libri falsò adſcripti Hegeſippo.

IN Bibliotheca veterum Patrum, edit. 3. To. 7. habentur libri quinque hoc Titulo inſigniti: *Egeſippi ſcriptoris antiquiſſimi, nec non grauiſſimi, de bello Iudaico, & vrbis Hieroſolymitanæ excidio, libri quinque.* Author horum librorum floruiſſe [a] dicitur, vicinus Apoſtolicis temporibus: & perueniſſe ad an. Domini 160. Ex his libris Bellarminus contendit, [b] *S. Petrum Romæ mortuum eſſe; & capite deorſum verſo crucifixum.* [c] *D. Petrum excitaſſe affinem quendam Cæſaris Ethnicum à morte:* & [d] *S. Petrum, Simonem Magum planè extinxiſſe:* [e] Citat etiam alijs de cauſis, vt & alij Pontificij, quales [f] Pighius, & [g] Lypomanus.

a Sixt. Senenſ. Bibl. ſanctæ l. 4. verbo Egeſip.
b Lib. 2. de Rom. Pont. c. 3.
c L. 2. de Purg. c. 8.
d Lib. 1. de Pont. Rom. c. 23.
e Lib. 4. de not. Eccl. c. 14.
f Hierarch. Eccleſ. l. 3. c. 13.
g Part. 1. de vitis ſanct. p. 295.

Atque quo faciliùs magnam in animis hominum opinionem de Hegeſippo iſto ingenerent, [h] Pighius confidenter aſſerit, *ipſiſſimum eſſe Hegeſippum, qui Romam adijt vnà cum Polycarpo Iohannis diſcipulo: qui & Irenæo aliquanto vetuſtior, & hæc ipſa de Petro tunc temporis ſcripſerat, quo ſupererant plurimi, qui & viuentem audiuerant, & morientem viderant.* [i] Lypomanus verò, ad marginem cuiuſdam loci ab Hegeſippo citati, hoc gloſſema appingit: *Tu qui negas Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe, quid dicere potes contra tantum & tam vetuſtum authorem, qui tempore Aniceti fuit, imò Apoſtolorum vicinus temporum, vt ait D. Hieronymus?*

h Loco citato.
i Loco citato.

Laurentius de la Barre, qui hos libros, vnà cum multis alijs, edidit Pariſijs an. 1583. in præfatione operis, pluribus

Argumentis confirmat, fieri non poſſe, vt hij libri eius ſint *Hegeſippi* Apoſtolorum temporibus vicini. E quibus hoc omnium euidentiſſimum eſt, quòd meminit *Conſtantinopolis. Accedit omnium euidentiſſimum argumentum quòd hic ſcriptor ſe ætate poſteriorem eſſe prodat*, [k] inquit Laurentius. *Meminit enim Conſtantinopolis cui par Romanæ Ciuitati dignitas ſit attributa, quod primùm in Conc. Conſtantinopolitano, Gratiano & Theodoſio Imperatoribus, factum legimus. Ex quo hunc ſcriptorem horum Imperatorum tempora ſequutum manifeſtè conuincitur, cum Hegeſippus duobus circiter ſeculis anteceſſerit.*

k Præfat. hiſt. Chriſtianæ vet. Patrum.

Laurentio ſubſcribit Margarinus de la Bigne. *Nam Is* (videlicet Hegeſippus) *eſſe non poteſt quem Euſeb. Eccle. Hiſt. lib. 4. cap. 11. apud Anicetum Papam vixiſſe tradit, vt doctè conycit Renatus Laurentius ex eo quod lib. 3. cap. 5. ait, Antiochiam 3. loco, ante ex omnibus quæ in orbe Romano eſſent Ciuitatibus æſtimatum: quarto demum cenſeri, poſtquam Conſtantinopolis excreuit, Ciuitas Bizantiorum*, inquit [l] Margatinus.

l In Indice Chronolog. ad finem to. 6. Bib. vet. pat. ſecu. 1.

Eadem eſt opinio Cardinalis Baronij quæ eſt Laurentij & Margarini. *Nam fertur Hegeſippi nomine Commentarius de excidio Hieroſolymitano: & ad ipſum appoſita Anacephalæoſis: ſed alterius planè eſt opus, qui (vt aliàs diximus) poſt tempora Conſtantini floruerit*, inquit [m] Baronius. Loca verò, ad quæ reſpicere videtur in ijs (*vt aliàs diximus*) reperiet Lector To. 1. Annal. ad An. 34. nu. 227. & ad an. 72. nu. 27. in quibus authorem hunc longè iuniorem Hegeſippo illo qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum conſtanter aſſerit.

m Annal. tom. 2 ad an. 167. nu. 15.

Iacobus Gretſerus, videtur agnoſcere eandem eſſe omnium eruditorum ſententiam. Nam *Oſtendit Whitakerus, 5. illos libros de excidio Hieroſolymitano, qui ſub Hegeſippi nomine circumferuntur: non eſſe priſci illius & ab æuo Apoſtolico parum diſtantis Hegeſippi*, inquit [n] Gretſerus. Subijciens non ſine irriſione, *Scilicet valde neceſſaria erat hæc diſputatio. Quis ex eruditorum numero abnuit?*

n Defenſ. l. 4. c. 7. Rob. Bel. Col. 1660.

Mentitur Ieſuiticè Gretſerus, in eo quòd *neminem ex eruditorum numero abnuere aiat*, quod oſtendit vir beatæ memoriæ Whitakerus. Nam [o] Cardinalis Bellarminus (quem [p] Gretſerus tantopere prædicat,) in monumentis ſuis *incredibili*

o Lib. 2. de Ro. Pont. c. 3.

p Epiſt. Dedic. ad Aquauiuam.

dibili eruditione refertis, ſi mulo mulum ſcabenti credendum eſt, authorem lib. de Excidio Hieroſolymitano Hegeſippum vicinum Apoſtolorum temporibus eſſe tenet. Verùm quod ad inſtitutum noſtrum attinet, non obſtante Ieſuitæ mendacio, apparet ſatis Ieſuitam ſenſiſſe omnes eruditos agnouiſſe authorem recentiorem fuiſſe antiquo illo temporibus Apoſtolorum vicino. Conſultiùs etiam tandem Bellarminus ipſe in lib de Script. Eccleſ. nouiter recuſo; *Egeſippi hiſtoria Eccleſiaſtica, cuius meminerunt Euſebius & Hieronymus, nunc non extat: Libri verò de excidio Hieroſolymæ qui ſub nomine Egeſippi circumferuntur, aut alterius Egeſippi recentioris, aut ſuppoſititij ſunt. Certè ex lib. 3. c. 5. Colligitur poſt Conſtantini tempora libros illos fuiſſe conſcriptos.*

Liber de Mariæ Tranſitu falsò adſcribitur Melitoni.

IN Tom. 7. Bibl. vet. Pat. edit. 3. habetur *Liber D. Melitonis Epiſcopi Sardenſis de Tranſitu virginis Mariæ.* Quem librum [q] Margarinus de la Bigne legendi ſtudioſis proponendum duxit, non obſtante Gelaſij P. M. decreto, quo libellus de *Tranſitu Mariæ* inter Apocrypha ſcripta reijcitur. q Præfat. ad initiū l. to. 7.

Tractatus de Tranſitu B. Mariæ falsò adſcribitur D. Melitoni, inquiunt authores Indicis Expurgatorij Hiſpanici.

Libellum de Tranſitu B. Mariæ, qui conſcriptus eſt ex perſona Melitonis Epiſcopi Aſiæ, Beda, libro Retractationum in Acta, figmentum vocat, & de mendacijs conuincit, inquit [r] Molanus. *Indignus liber eſt, qui Melitoni tribuatur*; inquit [*] Bellarminus. r In Martyr. Vſuardi. excuſ. anno 1568. Auguſt. 15. * In lib. de ſcript. Eccleſ.

Miratus ſum vehementer Trithemium inter Melitonis lucubrationes illum (videlicet librum de Tranſitu Mariæ) *adnumeraſſe — cum præſertim quæ in eo ſcripta habentur, tanto viro indigniſſima iudicentur. Quippe qui multa contineant, quæ Apoſtolorum Actis (vt notat Beda) repugnent. Et quamuis in edito recenter volumine aliqua ad cenſuram Bedæ ſint emendata, multa adhuc habet fatua, delira, atque Chriſtianis auribus indigna,*

 digna,

digna, inquit [r] Baronius. Et alibi, *Cum Melitonis lucubrationes tum ab Euſebio, tum etiam à ſancto Hieronymo adeo exactè ſint enumeratæ, planè conſtat librum illum de tranſitu Virginis, Melitonis nomine decoratum, alterius eſſe potius authoris: nec vel Melitonis continere apicem, eruditus quiſque facilè iudicabit; ſed enim illum recens emerſiſſe, & antiquos omnes latuiſſe certum eſt, ac proinde Apocryphum iure cenſendum*, inquit idem [t] Baronius.

r Tom.1. ad an. Chriſt.48.nu.12.

t To.1.ad.an. 172. nu.5.

[u] Suarez, [x] alijque multi idem per omnia cenſent, quod Baronius. Sed ad derogandam omnem fidem huic ſcriptioni, ſatis ſuperque ſit annotaſſe, [y] Ioh. Mariam, magiſtrum ſacri Palatij, paucis abhinc annis hanc cenſuram illi præfigendam curaſſe: videlicet, *Certum eſt librum hunc falsò S. Melitoni aſcriptum, Apocryphum: nullius authoritatis, immixtis nonnullis planè reijciendum.*

u In 3. par. Thoto.2.q.37.art. 4. diſput.21.2u 1.

x Poſſeuin. Apparat.ſac.verb.Melito.

y In Indice Ro. l. expurgand. to.1. pag.248.

Teſtamentum 12. *Patriarcharum eſt ſuppoſititium.*

IN Bibliotheca veterum Patrum, Tom.5. edit.3. habetur *Liber qui de* 12. *Patriarchacharum Teſtamentis* inſcribitur, *Roberto Lincolnienſi interprete.* In quo *plures ſunt hortationes ad virtutem, atque ad Dei cultum*, ſi credimus [a] Sixto Senenſi, & [b] Poſſeuino. Hic liber citatur à [c] Coccio, vt probet: Angelos rectè ab hominibus inuocari.

a Bibl.ſanctæ l.2. Patriarch.

b Apparat.ſac.verbo, Patriar.

c To.1. Theſ. Cathol.l.4.art.4.de Angelis.

Liber hic Apocryphus eſt, pſeudopigraphus, fabuloſus, & indignus planè qui legatur: multa enim continet partim erronea, partim vana, & mendacia, nullo authore aut fundamento ſubnixa, quæ facilè lector diſcernet, & repudiabit, inquit [d] Fr. Ioh. Maria ſacri Palatij Apoſtolici magiſter. Cuius cenſura præfixa eſt huic libro in [e] Bibl. vet. Pat. licet ſuppreſſo nomine Authoris, & approbatur à Poſſeuino in Apparatu ſacro, verbo, Teſtamentum, edit. vltimæ.

d To n.1.Ind. Ro. expurg. impreſ. Ro.1607. p.185.

e To.5.Col.611.

Inquiſitores Hiſpanici eodem propemodum ſunt iudicio. Nam licet, propter *antiquitatem* permittant, *Apocryphum* tamen [f] iudicant: *Cuius non liceat dictis, & authoritati fidere.*

f Index Expurg. Hiſpan.impreſſ. 1601.fol.149. Orthodoxogr.

Hippolytus

Hippolytus de Conſummatione Mundi, & Antichriſto, eſt ſuppoſititius.

HIppolytus vixiſſe [a] dicitur circa ann. 220. ſub cuius nomine habetur oratio de Conſummatione Mundi & Antichriſto, quæ citatur ab [b] Anglo-Rhemenſibus, quo probent Antichriſtum aboliturum Miſſam: & [c] Eliam venturum ante diem Iudicij ad prædicandum Iudæis & gentibus. Quibus nominibus citatur etiam à [d] Bellarmino. Qui & [e] citat, vt probet, Chriſtum in anima deſcendiſſe ad inferos: & [f] Antichriſtum non regnaturum niſi tres annos cum medio: &, [g] à Iudæis tanquam Meſſiam recipiendum. Eadem oratio citatur ab [h] Anglo-Duacenſibus, quo probent: Antiquos patres opinatos fuiſſe Antichriſtum futurum de tribu Dan: Et, Eliam vnà cum Henocho in viuis huc vſque eſſe. Atque quo maior fides ei habeatur, [k] adſcribunt ei titulos, *Beatiſſimi, & Martyris*, ac paſſim, *ſanctum nominant*. De eo mirè gloriatur [l] Campianus, inquiens, *Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, quam belle, quam clare, Antichriſti neruum, Lutherana tempora, præmonſtrauit?*

a Baron. Annal. To. ad an. 220.
b Annot. in Math. 24. 15.
c Annot. in Apoc. 11. 3.
d Lib. 3. de Rom. Pont. c. 6. & 7.
e In Apolog. ad lib. Iacobi magnæ Britan. Regis c. 7. & l. 4. de Chriſto c. 14.
f Lib. 3. de Rom. pont. c. 8.
g Lib. 3. de Rom. pont. c. 12.
h Annot. in Gen. 49. 17.
i Annot. in Gen. 5. 24.
k Ioh. Picus qui primò edidit Pariſijs.
l Ratione 5.

Hanc orationem, ſuppoſititiam eſſe euincit primò ipſa forma dicendi. Quis enim ex veteribus vnquam, ſi diſertus, aut doctus, orationem incipiendam eſſe duxit, ab *enim*, vel Ἐπειδὴ γὰρ, quod hic facit?

Secundò, ſomnia quæ narrat iſte, ementitum Authorem clamant. Hic, Antichriſtum non alium fore quàm ipſummet *Diabolum* ſub ſpecie ſimulata humani corporis, & naturæ, apertè docet: cum tamen cæteri Patres communi conſenſu ſcribant, imò & * S. Paulus, (quod fatentur [m] Bellarminus & [n] Pererius) Antichriſtum verum hominem futurum. Hic ſuſpicatur *templum Hieroſolymitanum* in gratiam Iudæorum reuocatum iri ab Antichriſto, in eoque ſeſſurum ipſum quaſi Deum: cum tamen Theodoretus, Damaſcenus, & alij, opinantur eum ſeſſurum in *templis Chriſtianorum*: quia hæc ſola verè dici poſſunt templa Dei, quan-

* 2. Theſſ. 2. 3.
m Lib. 3. de Rom. pont c. 12.
n Comment. in Dan. l. 14. p. 694.

doquidem Iudaicum templum, poſt mortem Domini noſtri, omni ſanctitate religioneque priuatum, profanum, impurum, & impium euaſit, vt annotat [o] Pererius. Qui & verè ſubſequentibus verbis obſeruat: *Et Dominum noſtrum & Danielem prædixiſſe, deſolationem illius templi fore in omne æuũ irreparabilem.*

o Comment. in Dan. l. 14. p. 718.

Hic exiſtimat *Iohannem Euangeliſtam*, quaſi miminè mortuum, ſimul cum *Enoch* & *Elia* manſurum vſque ad tempus Antichriſti: Cum tamen *B. Iohannem* obijſſe mortem aſſerat Eccleſia, teſte [p] Pico, qui hanc orationem primò euulgauit: & hanc ſententiam ſummopere cauendam monuit, vtpote peculiarem, & alienam ab Eccleſiaſtica doctrina.

p Epiſtola dedicatoria Cardinali à Lotharingia.

Opera falsò adſcripta Tertulliano.

TErtullianus floruit circa annum 200. Eius opera, in quinque tomos diſtributa, excuſa ſunt Pariſijs 1598. cum annotationibus *Iacobi Pamelij*.

Tomo 2. extat *liber de pœnitentia*, qui citatur à [a] Bellarmino pro confeſſione auriculari; & vt probet, [b] Pœnitentiam eſſe ſacramentum; [c] Deo ſatisfieri poſſe pro pœna temporali, culpa dimiſſa; & alibi ſæpius, & alijs de cauſis.

a De pœnitentia l. 3. c. 6.
b Ibid. l. 1. c. 10.
c Ibid. l. 4 c. 9.

Sciat Lector librum hunc viſum Eraſmo noſtro Roterodamo bonæ memoriæ, non eſſe Tertulliani propter phraſin diuerſam. Cuius Iudicio ſubſcribimus tãdem, vtvt verbis & figuris iiſdem vtatur author ille, quiſquis fuit, eius indubiè ſeculi, & Tertulliani ſtudioſiſſimus, inquit [d] Beatus Rhenanus.

d In argumento lib. de pœnitentia impreſ. 1566. to. 2.

Liber de *Trinitate* To. 5. citatur à [e] *Pereſio*, pro Purgatorio.

e De tradition. pars 3. fol. 173.

Hic liber non eſt Tertulliani, ſed potiùs Nouatiani, inquit [f] Bellarminus: & [g] rurſus, *Librum non eſſe Tertulliani patet, tum quia nominatim refelluntur in hoc libro Sabelliani, qui nondum orti erant tempore Tertulliani, tum etiam quia B. Hieronymus libro 2. contra Ruffinum hunc librum tribuit Nouatiano.* Bellarmino aſtipulatur [h] *Iacobus Pamelius. Nam, Tertulliani non eſſe patet, tum ex eo quòd cap. 6. author negat in Deo corporea*

f De Chriſt. l. 1. c. 6
g Ibid.
h Annotation. in hunc librum. p. 1153.

porea Lineamenta, quem Tertullianus non ſemel corporeum, agnoſcere videtur; tum quòd cap 12, Sabellianorum meminit, quum multo poſt Tertullianum exortus ſit Sabellius, inquit ille.

Tertullianus in Definitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum cap. 71. citatur à [i] *Bunderio*, pro voluntaria paupertate: [k] & libero arbitrio; [l] à *Polydoro Virgilio*, pro reliquijs.

Falſò adſcribitur Tertulliano in quadam Italiæ Bibliotheca liber de definitionibus fidei, quum ille idem ſit, [m] *qui inter opera B. Auguſtini de dogmatibus Eccleſiaſticis inſcribitur; quem etſi in Belgicis Bibliothecis B. Fulgentio, B. Iſidoro, imò & Gregorio Papæ adſcriptum reperiamus, tamen Gennadij eſſe Maſſilienſis preſbyteri, Doctores quoque mecum fatebuntur*, inquit [n] Pamelius. *Non eſt Catholici ſcriptoris*, inquiunt Louanienſes.

Opera falsò adſcripta Origeni.

ORigenes floruit circa annum 230. Eius opera excuſa ſunt duobus voluminibus *Baſileæ* per *Frobenium* anno 1536. & ex eo tempore alibi ſæpius.

In Tomo primo habentur *homiliæ 16. in Leuiticum*: quarum prima citatur à [o] Bellarmino, vt probet: Suſannæ hiſtoriam eſſe Scripturam canonicam, 2. & 3. pro [p] confeſſione auriculari: 5. pro [q] obſcuritate Scripturarum: 8. & 9. pro [r] ſacramento confirmationis: 10. pro [ſ] quadrageſima: 14. pro [t] igne purgatorio, 16. pro [u] ſatisfactionibus.

Hæc teſtimonia penè omnia citantur ab alijs Pontificijs, ijſdem de cauſis, ex ijſdem Commentarijs, ſub nomine *Cyrilli Alexandini*, vt videre licet infrà: & [x] eædem homiliæ excuſæ ſunt ſub nomine *Cyrilli Alexandrini*, & *Origenis*: verùm non conſtat an ſint ipſius *Cyrilli* vel *Origenis* potiùs, aut neutrius. [y] *Bellarminus* negat eſſe *Cyrilli*, ſed non audet affirmare eſſe *Origenis*, cuius ſunt in dubio relinquit; nam *Reſpondeo* (inquit) *homilias illas in Leuiticum non eſſe B. Cyrilli, ſed Origenis vel neſcio cuius alterius, qui paſſim liter m deſtruit*,

i Compend. rerum Theol. tit. 34 art. 2.
k Ibid. Tit. 7. art. 2.
l De Inuentor. l 8. c. I.
m Vide Eraſm. cenſuram in Auguſtinum de Ecclei. dogmatibus tom. 3.
n Annotation. in Tertul. p. 1117.
o De verbo dei l. 1. c. 9.
p De pœnitentia lib. 3. c. 7.
q De verbo dei l. 3. c. 1.
r De confirm. l. 2. c. 5.
ſ De verbo dei. l. 4. c. 9.
t De Purg. l. 1. c. 4.
u De pœnit. l. 4. c. 9.
x Sixt. Senenſis Bibilo. l. 4. de falſa libro. inſcriptione.
y Bell. de verbo Dei l. 4. c. 11.

deſtruit, & myſticos ſenſus ex capite ſuo ſtatuit, proinde homilias illas nos eſſe magnæ authoritatis.

Eodem Tomo habentur *tres libri commentariorum in Iob.* Hôrum ſecundus citatur à [a] *Lindano*, [b] *Genebrardo*, [c] *Copo*, [d] *Colonienſibus*, [e] *N.D.* & alijs Pontificijs, pro inuocatione ſauctorum: tertius citatur à [f] *Piſano* Ieſuita, pro abſtinentia à carnibus in Quadrageſima, & ab [g] *Alano* Cardinale, pro eleemoſynis faciendis in diebus funerum, ad ſalutem animarum.

a Panop.l.3.c.26.
b Chronol.l.3.
c Dialog. 3. c. 3.
d In cenſura dialog.6.
e triplex Conuerſ Part.2.p.9.
f De abſtinentia c.9.
g Suffrag.pro defunctis, c.5.

Hi Commentarij non ſunt *Origenis*, nam *Origenes* apud *Græcos* omnium princeps, teſte [h] *Vincentio Lirinenſi*: hic autem vnus ex *Latinis* erat. Hic enim interpretatur Græcas voces Latinè. *Adamantus*, inquit, *interpretatur in Græca lingua, Indomabilis, inflexibilis, inalterabilis, &c.* Hic ludit ſimilitudine verborum Latinorum, inquiens, *Ita conſummatus eſt B. atque glorioſus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, &c. ob hoc enim Lucianus cognominatus eſt, tanquam lucidus, aut proprio nomine ſibi fulgens, aut alijs lucens.*

h Aduerſ.profanas hæreſes.
Lib.2.com.in Iob.
Ibid.

Secundò, author iſte mentionem facit *Luciani* Martyris vt modò memini: verùm longe ante *Luciani* tempora *Origenes* obijt, nempe ſub *Gallo* & *Voluſiano*; *Lucianus* autem vltima perſequutione ſub *Maximiano* coronatus eſt Martyrio, agnoſcente [i] *Baronio. Origenes* ergo non fuit author horum commentatiorum. Quod, & hac ipſe ratione motus, fatetur [k] *Baronius*: & [*] *Bellarminus* etiam.

i Baronius An. in Martyrolog.Rom. Ianuarij 7.
k Ibid.
* Libr.de Scrip. Eccleſ.

Tertiò, reijciuntur hi commentarij vt falsò adſcripti *Origeni*, ab *Eraſmo, Genebrardo*, & *Sixto Senenſi*. *Ego ſentio authorem fuiſſe Latinum & Latine ſcripſiſſe, virum in diuinis literis pulchre exercitatum, &c. ſed Arianum. Id non obſcurè deprehenditur in quo hæc ſcribit, Tria* (inquit) *cornua facit diabolus in typum atque figuram trionymæ illius ſectæ, triumque Deorum hæreſis, quæ vniuerſum orbem terræ in modum tenebrarum repleuit, &c. Ex his, opinor, liquet ſatis, fuiſſe Arianum; ex quo conſequitur authorem non fuiſſe Origenem, poſt cuius ætatem exorta eſt Arianorum ſecta.* Sic [l] Eraſmus. Idem ſentit [m] *Genebrardus* Theologus Pariſienſis, ſic enim ille, *Commentarij in Iob non ſunt, nec habentur Origenis.* Idem [n] Sixtus Senenſis, Nam *nunc habemus Origenicis voluminibus inſertum duplex*

l To 8. operum ſuorum.
m Collectan.de vita Orig.c 6.nu.1.
n Bibl.Sixti Senenſ.l.4. verbo, Origenes.

plex explanationũ opus in Iob —ſed neutrum Origenis eſt. Nam præterquam quòd amborum phraſis, & docendi methodus longè diſtat ab Origenica dictione, illud quoque accedit, quòd author prioris operis (intelligit Commentarium à Pontificijs ſuprà citatum) *contra Origenis conſuetudinem, innumeris penè battologijs redundat, multumq́ temporis conſumit, dum perſonis orationes plus æquo longiores affingit, & nunc ad Iob, nunc ad diabolum per Apoſtrophen loquitur, & inter hæc Luciani Martyris celebrat agonem, & Homouſianorum ſententiam commemorat — conſtat autem & Lucianum Martyrem ipſumque Homouſij & Homouſianorum nomen longè poſt Origenis tempora enatum,* inquit Sixtus. Idem etiam [o] Poſſeuinus. o Apparat. verbo Origenes.

Eodem Tomo habentur *homiliæ 9. in Pſal.* 36. 37. & 38. Harum vna in Pſal. 36. citatur à [p] Bellarmino, vt oſtendat, *Origenem* in ea fuiſſe opinione, vt putaret, purgari debere poſt hanc vitam tam bonos quam malos, Chriſto excepto. [q] Harum altera, ſecunda videlicet in Pſal. 37. citatur ab eodem, tum vt probet: Impios verè comedere corpus Chriſti in ſacramento; [r] tum, pro auriculari Confeſſione, pro qua citatur etiam à [ſ] *Lindano*, [t] *Caniſio*, [u] *Sacrificulis noſtratibus* & alijs. Harum tertia in Pſalmum trigeſimum octauum citatur ab Anonymo *P. R.* pro Purgatorio. Atqui de Homilijs his [*] fatetur ipſe Bellarminus, *aliquos dubitare an ſint Origenis.*

p De Purgator. l.2.c.1.
q De Euchar. l.1. c.13.
r De pœnitentia l.3.c.7.
ſ Panop. l.4.c.68.
t Catech. de Confeſſion.
u Petitio ad Iacobum Regem.
* Lib. de ſcript. Eccleſ.

De Commentarijs in tres Pſalmos ſum ancipiti ſententia, inquit [x] Eraſmus; *vix referunt Origenis ingenium ac phraſin: ſuſpicor qui ſcripſit fuiſſe Latinum.*— Et quidem authorem fuiſſe *Latinum*, ex hoc licet conijcere, quod in diuerſis textibus explicandis, quo modo Latinè, quo modo Græcè ſe habent, enarrat. Exempli gratia in Pſal. 36. *hic* (inquit, verba faciens de textu quodam in Deuteron.) *vbi Latinè dicitur, in zelum adduxerunt me, & ego in zelum adducam, in Græco idem ipſe ſermo eſt qui & in Pſalmi initio eſt dictus, æmulati ſunt me, & ego æmulabor eos.* Et paulo poſt verba faciens de eo quod habetur verſu 3. Pſal. 36. *Sciendum* (inquit) *quia hoc quod dixit in Latino, delectare in Domino, in Græco, delitiare in Domino dicitur; hoc enim Græcus ſermo indicat, quod eſt* κατατρύφησον. Et alibi, *quod Latini interpretes plagas dixerunt,*

x To.8. operum Eraſmi.

in Græcis codicibus flagella ſcriptum eſt. Nam pauciſſimi ex Græcis Latinè ſciuerant, pauciores ſoliciti erant, ſiue ſic, ſiuè ſecus, apud Latinos ſcriptum fuit; nam vt rectè [y] Gloſſa, *Græci parum aut nihil curant linguam Latinam.*

y In Authent. de non alienan aut permutand. rebus Eccl. in fine col. 2.

Eodem Tomo habetur *Commentarius in Cantica Canticorum*, qui diuiſus eſt in 4. homilias: quarum tertia citatur à [a] *Copo*, pro inuocatione ſanctorum, vtpote quæ *manifeſtum dat contra nos teſtimoninm*, Copo iudice; Et à [b] *Coccio*, vt probet: libros Machabæorum eſſe canonicos.

a Dialog. 3. l. 3.
b To. 1. l. 6. de ſacra Scriptur. art. 18. p. 688.

Cōmentarius in Canticum canticorum, mea quidem ſententia Hieronymi non eſt, nec Origenis, nec alicuius Græci inquit [c] Eraſ. Et [d] rurſus, *Græcū non fuiſſe, vel hinc colligas licebit, quòd in prologo citat Græcos velut alienos. Quum apud Græcos*, inquit, *qui eruditi & ſapientes videntur. Idem liquet ex interpretatione amoris, charitatis, dilectionis & cupidinis.* Hæc Eraſmus. Qui & hoc adijcere potuiſſet, quod author dicat, *verbum* Dei *apud Græcos maſculino genere proferri, apud nos neutro genere.* Nam ex eo ſolùm euidenter perſpicitur non *Græcum*, ſed *Latinum* fuiſſe. Sed &, *Multa ſunt quæ Latini hominis eſſe, non Græci comprobent*, inquit Bruno Amerbach. præfat. in Hieron. tom. 7. [f] *Sixtus Senenſis* fatetur hoc opus in vetuſtis quibuſdam codicibus nomine Hieronymi prænotatum, & *magiſtrum ſententiarum & D. Thomam* teſtimonia ex hoc opere citaſſe, ſub nomine *Ambroſij.*

c Cenſura in initio Com.
d Cenſura Eraſ. ad initium to. 1.
e Hom. 3.
f Bibl. l. 4 Orig. Lugduni excuſ. 1592.

Eodem tomo habetur *Origenis Lamentum*, quod citatur à [g] *Theologis Colonienſibus*, [h] *Hoſio Cardinale*, [i] *N. D.* & alijs, pro inuocatione Sanctorum.

Hic liber annumeratur à *Gelaſio* Papa inter Apocrypha, *teſte* [k] *Baronio. Lamentum hoc nec ab Origene ſcriptum eſt, nec ab Hieronymo verſum, ſed figmentum eſt alicuius indocti, qui ſtuduerit huiuſmodi colore Origenem infamare*, inquit [l] Eraſmus.

g Cenſura Col. dial. 6.
h Confeſſ. petrik. c. 58.
i Triplex conuerſio Angliæ part. 3. p. 9.
k Annal. to. 3. ad an. 253. nu. 118.
l Cenſura præfixa lamento.

Tomo ſecundo habentur *homiliæ 10 in diuerſos Euangelij locos*, quarum ſecunda citatur à [m] Bellarmino pro reali Chriſti in ſacramento præſentia; & à [n] *Duræo*, vt probet; *Dionyſium Areopagitam* authorem eſſe Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & reliquorum tractatuum qui eius nomine circumferuntur. Octaua citatur à [o] *Caniſio*, ut oſtendat: quis ſit

m De Euchar. l. 2. c. 8.
n Cont. Whitakerum p. 109.
o Catechiſ. de adoras Euchar. q. 6.

ſit vſus, & fructus in eo, quòd crucem Chriſti digitis efformamus. *Homiliæ in diuerſa loca Euangelij ſine dubio non ſunt omnes Origenis*, inquit [*] Bellarminus. [*] Lib. de Script. Eccleſ.

In ſecunda homilia mentio facta eſt Arianorum, quorum Secta exorta eſt poſt tempora Origenis, inquit [p] Eraſmus. [p] Cenſura. Arius non innotuit mundo ante annum 300. Origenes verò mortuus eſt ad annum 256 teſte Baronio. Origenes ergo non potuit eſſe author huius homiliæ. Mentio etiam facta eſt *Manichæorum*. At *Manes* qui huius ſectæ dux fuit, virus ſuum ſparſit circa annum Domini 273. Origenes ergo qui obijt anno 256. *Manichæorum* mentionem facere non potuit. In hac ſententia ſunt *Sixtus Senenſis*, *Baronius*, *Poſſeuinus*, & *Gretſerus*. *Homiliam, cuius initium eſt, vox Spiritualis aquilæ, apparet Origenis non eſſe, tum ex Manichæorum, tum ex Arianorum nominibus in ea commemoratis, quæ multo poſt Origenem exorta ſunt*, inquit [q] Sixtus. *Hom. 2. in diuerſos non eſt Origenis*, inquit [r] Baronius. *Hom. 2. ad diuerſos falsò tribuitur Origeni*, inquit [ſ] Poſſeuinus. *Cedamus Whitakero (Hom. 2 in diuerſos non eſſe Origenis)* inquit [t] Gretſerus, *quandoquidem ita ſentit præſtantiſſimus Annalium ſcriptor*, Baronium intelligens.

[q] Bibl. l. 4. Orig.
[r] Annal. to. 2. ad an. 109.
[ſ] Apparat. Dionyſius Areopa.
[t] Defenſ. Bellar. tom. 1. l. 4. c. 7. col. 1653.

Hom 8. quæ dicitur *homilia de Epiphania* Domini, reijcitur etiam ex parte ab ipſis Pontificijs, nam in *Origine* edito per *Merlinum* anno 1530. hæc nota huic homiliæ præfigitur, *Hom. de Epiphania Domini, quam multi putant eſſe Origenis, licet non plenè ſtylum eius redoleat,*

Hæc homilia eſt ipſiſſima cum Sermone 30. *De Natiuitate Domini*, qui habetur tomo nono Operum *Hieronymi* ex editione Victorij.

Cypriano Opera falsò adſcripta.

C*Yprianus* floruit circa An. 250. cuius opera diuiſa ſunt in Tomos 5. Quibus interiectæ ſunt Annotationes *Iacobi Pamelij*, cum antidoto *Simonis Goulartij*. Hæc impreſſa fuere anno 1595. Quæ impreſſio cenſetur prioribus emendatior.

In huius editionis Tomo 2. habetur *liber ad Fortunatum*

a De verbo dei l. 1. c. 15.
b Lib. 1. de Bapt. c. 6.
c Vide Bell. l. 3. de Laicis c. 21.

de exhortatione Martyrij, qui citatur à [a] *Bellarmino*, vt probet, libros Machabæorum eſſe canonicos: & , [b] Martyrium eſſe baptiſmum, & quidem baptiſmo aquæ præſtantionem: &, [c] alijs de cauſis.

d Annotat. in 2. To. Epiſt. S. Hieron. Scholijs in Apologiam ad Pammachium.

Extat Cypriani nomine liber ad Fortunatum inſcriptus: verùm non Cypriani, ſed Hilarij eſſe, cum ex ſtylo, tum etiam ex Hieronymi conſtat authoritate, inquit [d] Marianus Victorius.

e In Catech. tit. de Conſilijs Euang. nu. 4.
f Nu. 22.

Tomo 3. habetur *Liber de Diſciplina & bono pudicitiæ*, qui citatur à [e] *Caniſio*, pro excellentia virginitatis: Et, in quo (vt [f] notat *Pamelius*) eſt locus, pro Matrimonij indiſſolubilitate.

g Lib. 3 de continentia c. 13. p. 222.
h Cenſura in hunc lib.

Author eſt incertus, inquit [g] Eſpencæus: *Stylus palam arguit non eſſe Cypriani. Nam fluit ille, ac Lectorem ducit; hic argutè & breuiter, ſententijs & Enthymematis pungit*, inquit [h] Eraſmus.

i Nu. 31.
k Nu. 68.

Eodem Tomo 3. habetur *liber de laude Martyrij*. In quo (ſi *Pamelio* credimus) [i] vnus eſt locus, qui facit pro Purgatorio: & [k] alius, qui mirè facit pro inuocatione Sanctorum.

l In Cenſura.

Opinor neminem fore tam obeſæ naris, quin illico ſenſurus ſit ſtylum huius operis longè lateq; diſcrepare à dictione Cyprianica — apparet opus fuiſſe meditantis & exercentis calamum: non habetur in codicibus excuſis, inquit [l] Eraſmus.

Eodem Tomo 3. habetur *Liber ad Cornelium Papam de cardinalibus Chriſti operibus*, continens tractatus ſeu ſermones 12. viz. de *Natiuitate*, de *Circumciſione*, de *Epiphania*, *Baptiſmo*, *Ieiunio*, *Cœna*, *Ablutione pedum*, *Chriſmate*, *Paſſione*, *Reſurrectione*, *Aſcenſione*, & *Spiritus ſancti miſſione*.

m Nu. 5.
n Nu. 16.

In horum primo, qui eſt *de Natiuitate*, vt *Pamelius* [m] annotat, vnus eſt locus qui facit pro immunitate B. Virginis à peccato Originali. Et [n] alius, qui facit pro libero arbitrio, qui etiam mirè facit (vt loquitur ille) contra eos qui dicunt impoſſibilem continentiam. In alio loco recenſet Priuilegia Virginis deiparæ, quòd ſine dolore peperit.

o Tract. de Bapt. paruulorum c. 4.
p Chronolog. l. 3.
q Loc. com. de Inuocat. ſanct.
r De Inuocat. ſanct.
ſ Annot. in hunc Tract. nu. 7.

Tertius horũ, qui eſt *de Epiphania*, ſeu *Stella* & *Magis*, citatur à [o] *Greg. de Valentia*, vt probet: Paruulos ſaluari per Martyrium vice Baptiſmi: & à [p] *Genebrardo*, & [q] *Io. Caſpare*, & [r] *Garetio*, pro inuocatione Sanctorum. Ex eo [ſ] *Pamelius* colligit, *Cypriani* tempore ſolennem fuiſſe Epiphaniæ diem.

Quartus

Quartus Tractatus, qui eſt de *Baptiſmo*, citatur à [t] Bellarmino, vt probet: Sacramenta ex opere operato conferre gratiam: Et à [u] *Lindano*, vt probet: ritus quoſdam (putà exorciſmos & exufflationes) Sacramentis ab ipſis Apoſtolis adhibitos: & à [x] Durante vt probet, Præcipuè ſigni Crucis virtutem elucere in Eccleſiæ myſterijs & Sacramentis,

Quintus Tractatus qui eſt de *Ieiunio*, citatur à [y] *Caniſio*, & [z] *Pereſio*, vt probent: Ieiunium religioſum eſſe cultum.

Sextus Tractatus, qui eſt de *Cœna Domini*, citatur pro tranſubſtantiatione à [a] *Bellar.* [b] *Catech. Rom.* [c] *Copo*, [d] *Rhemenſibus*, [e] *Grego. de Valentia*, & ab otioſo illo Hibernico [f] *Fitzimon*, qui quaſi præ gaudio extra ſe raptus, ob teſtimonium tam luculentum, in hæc verba prorumpit: *O conſolatione plenum, & valde Catholicum teſtimonium, non minus* 1400. *annis antiquum!* Citatur etiam idem Tractatus à [g] Pontificijs, pro reali Chriſti in Sacramento præſentia, pro [h] Sacrificio Miſſæ, pro [i] vſu Altarium, & vt [k] doceant: Hierarchas in Sacrificijs olim eleuatione manuum Crucis myſterium repræſentaſſe. Et, [l] Sacramenta ex opere operato conferre gratiam.

Septimus Tractatus, qui eſt de *ablutione pedum*, citatur à [m] *Lindano*, vt probet: plura eſſe Sacramenta quàm duo: Atque ad maiorem huius teſtimonij fidem, [n] dicit: *verba eſſe aurea, & authorem habere Cyprianum, clariſſimum florentis Chriſtianæ Eccleſiæ Lumen, Orbis vniuerſi Magiſtrum, imo vero totius orbis miraculum, eaq; prolata eſſe non in leui aliqua exercendi cauſa ingenij, diſceptatiuncula, non in coacta aduerſum hoſtes velitatiuncula, ſed in graui apud Chriſtianos concione, ſed in ſeria populi ſui in fide Catholica inſtitutione, ſed in meditata otium ſuæ fidei creditarum eruditione.*

Octauus Tractatus qui eſt de *Unctione*, citatur pro confirmatione à [o] *Caniſio*; pro externo ſacerdotio ab [p] *Hardingo*, pro Chriſmatis antiquitate, à [q] *Bellarmino* & [r] *Lindano*.

Nonus Tractatus, qui eſt de *Paſſione*, citatur à [ſ] *Martiale* pro ſigno Crucis in Baptiſmo, & à [t] *Coſtero*, vt probet, B. Paulum

t Lib. 2. de effectu ſacram. c. 7.
u Panopl. l. 4. c. 8.
x Lib. 2. de ritibus Eccl. c. 45. nu. 7.
y In Catech. tit. de Ieiunio. q. 4.
z De Tradit. part. 3. de Ieiunio, fol. 250.
a Lib. 3. de Euchar. c. 20. Apol. c. 8.
b Tract. de ſacram.
c Dial. 6. c. 8.
d Annot. in Heb. 10. 11.
e De Tranſub. l. 2. c. 3.
f Contra Riderum ſect. 70, p. 128.
g Cop. dial. 6. c. 8.
h Ibid.
i Ibid.
k Ibid.
l Bellar. de effectu ſacram. l. 2. c. 7.
m Panopl. l. 4. c. 6. & 76.
n Cap. 6.
o In Catechiſ. tit. de ſac. confirmat. nu. 2.
p In Replica pro Miſſa ſect. 15. fol. 243.
q Lib. 2. de effectu ſacram. c. 7.
r Panopl. l. 4. c. 29
ſ Contra D. Calfhil. de cruce.
t Enchirid. c. 13. de ſanct. cruce.

Paulum Eph.3.18.myſterium ſigni crucis explicuiſſe.

In Decimo, qui eſt de *Reſurrectione Chriſti*, habentur verba (niſi [u] mentiatur *Pamelius*) quæ mirè faciunt contra Caluiniſtas.

u Annot.in hunc tractat.nu.4.

Duodecimus, qui eſt de *Spiritus ſancti miſſione*, citatur à [x] *Bellarmino* in graui illa cum Græcis controuerſia, de proceſſione Spiritus ſancti.

x Lib.2.de Chriſto, c.24.

Hoc opus non eſſe Cypriani ſtylus arguit, nec habebatur in exemplaribus manu deſcriptis, quibus vſus ſum, inquit [y] Eraſmus. *Liber de Cardinalibus Chriſti operibus ad Cornelium Papam falsò tribuitur Cypriano*, inquit [z] Poſſeuinus.

y In Cenſura.

z Præfat. Apparatus.

Libellus de Cardinalibus Chriſti operibus, inter opera Cypriani impreſſus quidem eſt, ſed Cypriani non eſt, inquit [a] Iohannes Heſſels Louanienſis. Et licet [b] *Pamelius* confidenter dicat, *Cuiuſcunque ſit hic liber, ſcriptum fuiſſe ætate Cornelij & Cypriani*, atque *adeo eandem authoritatem mereri*; tamen *Bellarminus* hac in re non minùs confidenter negat, [c] dicens: *Sermones de operibus cardinalibus Chriſti ſunt authoris antiqui & docti, ſed Cypriano, imò & Auguſtino, ſine dubio poſterioris.* * *Author ſermonum de Cardinalibus Chriſti operibus, qui habentur inter opera Cypriani, reuera non eſt Cyprianus*; * *Cypriani nomen gerit, ſed Martyr ille non eſt*: inquit idem.

a Lib.de communione ſub vnica ſpecie, fol. 62.

b Annotat.in l. de cardinal. Chriſti operibus, in initio.

c De Amiſſ. grat. &c.l.6.c.2.

* Bell. de ſacram. confirm.l.2.c 6.

* Idem in Apolo. c 8.contra Sereniſſ. Regem Iacobum.

Quinetiam in lib. de Script. Eccleſ. *Sermones hi non videntur eſſe Cypriani. Primùm enim ſtylus multò humilior eſt, quàm S. Cypriani eſſe ſoleat. Deinde in Sermone de tentatione & ieiunio docet hic Author, Diabolum cecidiſſe de cœlo ante hominis creationem: cuius ſententiæ contrarium habet S. Cyprianus in tract. de Zelo & liuore. Denique in præfatione ſic alloquitur S. Cornelium Papam: Quia*, inquit, *ſolent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam. At S. Cyprianus ſemper Cornelium fratrem & collegam appellabat; nec ignorabat ſe non minus doctum & diſertum quàm Cornelius eſſet. Et cum præterea Epiſcopus ante Cornelium ordinatus fuiſſet, & in Eccleſia vniuerſa mirificè clareret; nunquam profectò ſcripta ſua nugas appellaret, neque diceret ſublimitatem Cornelij lingua balbutienti Cypriani oblectari debere.* Hæc omnia

Bellarminus. Quæ quidem de *Cypriano* ipſo verè dicuntur: Verùm *D. Cornelium* Cypriano coætaneum quî potuit Author iſte ſic compellare, cum fuerit, *Bellarmino* ipſo id aſſerente, *Auguſtino etiam ſine dubio poſterior?*

Sileant ergo [d] Pontificij, & aures noſtras diutiùs non obtundant, dicendo, *Hîc hîc mihi aduigilate Euangelici, hîc vos alloquitur beatus Martyr Cyprianus, vniuerſi orbis magiſter, orbis totius miraculum.* Nam in his ſermonibus de Cardinalibus Chriſti operibus *Cyprianus Martyr* non loquitur, teſte [e] *Bellarmino*; *falsò illi aſcribuntur*, inquit Bellarminus. *falsò illi tribuuntur*, inquit Poſſeuinus, *non ſunt Cypriani*, inquit *Iohan. Heſſels*. Quo mihi inſignior videtur illius impudentia, qui nuper prodijt in lucem & conſpectum hominum, [f] clamans: *Nos immerito affirmare librum hunc eſſe ſuppoſititium.*

In Bibliotheca Collegij *omnium animarum* in florentiſſima Academia *Oxonienſi*, reperitur tractatus iſte *de Cardinalibus Chriſti operibus* ſub nomine *Arnoldi Bouauillacenſis Abbatis*, ad Adrianum Papam, teſte [g] *Thoma Iameſio.* Ex quo, ſi ementitus Titulus non ſit, colligitur, Authorem hunc non eſſe *valde antiquum*, ſed *recentem* admodum: quandoquidem hic *Arnoldus*, contemporaneus fuit *S. Bernardi*, qui peruenit ferè ad An. 1200. Sed ſiue *antiquior*, ſiue *recentior*, hoc certum eſt, *Cyprianum* non fuiſſe.

Atque vt Pontificij hoc fatentur in genere, ita in ſpecie fatentur, Sermonem illum de *Cœna Domini*, qui illis præ alijs omnibus maximè vſui eſſe ſolet, ſpurium & ſuppoſititium eſſe. *Extat inter opera Cypriani, ſermo de Cœna Domini qui Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis eſſe non videtur*, inquit [i] Bellarminus: *Author ſermonis de Cœna Domini non eſt Cyprianus, ſed aliquis poſterior*, inquit idem [k] Bellarminus. *Author ſermonis de Cœna Domini eſt ignotus*, inquit [l] Garetius. Falſum eſt ergò ipſis Pontificijs iudicibus, quod [m] Hardingus Pontificius dixit, *Sanctus Cyprianus, eruditus ille Epiſcopus & ſanctus Martyr, dicit in ſermone de Cœna Domini.*

Eodem Tomo 3. habetur *liber de Aleatoribus*, qui citatur à [n] *Durante* vt probet: Crucis ſignum infractum eſſe, & contra

d Lindan. Panopl. l.4.c.6.

e In Apologia ad lib. Iacobi magnæ Britanniæ Regis c.8. p. 117.

f Author. Apolog. proteſtant. Tract. 1. ſect. 3.

g Tract. de ſuppoſit. ſcriptis Anglicè, p. 12. 13.

i Lib. 2. de Euchar. c. 9.

k Lib. 4. de Euchar. c. 26.

l De veritate corporis Chriſti fol. 181.

m Reſponſ. ad Iuelli prouocationem Art. 10.

n Lib. 2. de ritibus Eccleſiæ c. 45. nu. 2

contra ſpiritualium hoſtium potentiam munitiſſimum.

o Præfat. in To. 3. operũ Cypriani.
p In Apparat. ſac. verbo, Cyprianus.
Hic liber vnus ex illis eſt, [o] *Pamelio* confitente, quorum *ſtylus nonnihil hæſitationis adfert, num Cypriani ſit.* Imò [p] *Poſſeuinus* de hoc libro verba faciens, appellat *opus attributum Cypriano:* Ex quo conſtat, iudicio *Poſſeuini*, non eſſe *Cypriani. Non videtur eſſe Cypriani:* inquit [*] Bellarminus; qui etiam contendit alicuius eſſe *Pontificis Romani, qui S. Cypriani ſcriptiones imitetur, ſed ſtyli eius elegantiam non ſit aſſecutus.*

* Lib. 1. de ſcript. Eccleſ.

q Lib. 1. de cruce. c. 20.
Eodem Tomo 3. habetur *liber de Montibus Sina & Sion*, qui citatur à [q] *Gretſero*, vt probet: Tabulam tituli clauis fuiſſe cruci affixam.

r Loco proxime citato.
ſ Annot. in hunc librum.
Stylus nonnihil hæſitationis adfert num Cypriani ſit, [r] agnoſcente *Pamelio.* Imò ſtylus & argumentum refragantur, ne *Cypriani* credatur, teſte eodem [ſ] *Pamelio*; nec *Pamelio* ſolùm, ſed & alijs viris eruditiſſimis. Atque hinc eſt, quòd in prioribus *Cypriani* editionibus *inter opera adſcripta Cypriano* recenſeatur, non *inter opera Cypriani.* Mitto dicere, quæ [t] habet *Rabbinorũ* deliria ex *Thalmudiſtarum* traditionibus accepta, nomen *Adam* tangentia, & alia quædam paradoxa, quorum vnum eſt illud: [u] *Spiritum ſanctum eſſe filium:* Quæ abunde comprobant non eſſe *Cypriani.*

t Nu. 4.
u Nu. 8.

Tractatus de monte Sion & Sina totus diuerſus eſt à ſtylo Cypriani. Bellar. Ind. M. S. & in lib. impreſſo de Script. Eccleſ. *Non habet ſtylum S. Cypriani.*

x Annot. in Vſuardi Martyrolog. Septemb. 23.
Eodem Tomo 3. habetur *Oratio B. Cypriani*, quam ſub die paſſionis ſuæ dixit, quæ citatur à [x] *Molano*, vt probet: Veteres meminiſſe Theclæ Martyris, de qua multas narrant nobis (ſine dubio) fabulas Pontificij.

y Loco ſupra citato.
* Lib. de ſcript. Eccleſ.
Hæc oratio recenſetur in prioribus editionibus *Cypriani*, non *inter opera Cypriani*, ſed *inter opera adſcripta Cypriano:* & *ſtylus quidem nonnihil dubitationis affert* (vt legimus apud [y] Pamelium) *num Cypriani ſit. De Orationibus & Carminibus nihil certi habere ſe* [*] fatetur Bellarminus, *neque vlla apud veteres de eis teſtimonia haberi, vnde probentur eſſe Cypriani.*

z Annot. in 1. Tim. 3. 2.
a De Tradit. part. 3. de voto continentiæ, fol. 298.
Eodem Tomo 3. habetur *liber de ſingularitate Clericorum*, ex quo [z] *Rhemenſes*, & [a] *Pereſius* colligunt: Sacerdotes debere

bere eſſe Cælibes: & in quo [b] *Pamelius*, ait vnum locum eſſe inſignem, pro veneratione Sanctorum: & alium, pro voto continentiæ coniugum.

Hic liber citatur à [c] *Turriano* ſub *Auguſtini* nomine, vt probet: Clericos *Auguſtini* ſeculo Cælibes extitiſſe. Et quidem videtur aliquando inter opera *Auguſtini* extitiſſe, licet hiſce temporibus inter ea non reperiatur: Nam *ſequebatur* (inquit [d] *Eraſmus*, ad finem lib. *Aug.* de bono viduitatis:) *hoc loco libellus de ſingularitate Clericorum, qui toties & Hieronymi, & Cypriani nomine excuſus eſt. quum phraſis nec Hieronymum nec Cyprianum, nec Auguſtinum referat; proinde non eſt viſum eo præſens volumen onerare.* Ex quo patet *Eraſmum* reſecuiſſe ex *Auguſtini* Tomis. Citatur etiam à [e] *Pamelio* ſub *Origenis* nomine, *cui nonnulli recentiores adſcribunt, licet falsò*, vt legimus apud [f] *Baronium. Bellarminus* ipſe ignorat, cui adſcribat: quod ex modo citationis conſtat. Nam *Cyprianus, ſiue quicunque eſt Author, in libro de ſingularitate Clericorum affirmat, &c.* [g] inquit ille. Sed extra controuerſiam eſt, non eſſe *Cypriani*. Nam in eo reperiuntur multa vocabula admodum barbara, videlicet, *inordinaliter, contubernaliter, fiducialiter, inordinabilis, ſodalitas, participia, abſentare, coniugalitas, contubernalitas, tranſeunter, &c.* Cum Cyprianus ſcripſit *elegantiſſima phraſi, & Ciceroniano candori proxima*, vt teſtatur [h] Sixtus Senenſis: Cum diſcernere nequeat homo, vtrum ne *Cyprianus eſſet* ornatior in loquendo, an fœlicior in explicando, teſte [i] Lactantio.

Liber de ſingularitate clericorum falsò Cypriano videtur adſcriptus, inquit [k] Eraſmus. *Rectè cenſuit Eraſmus, lib. de ſingularitate clericorum, Cypriani non eſſe*, inquit [l] Pamelius: & [m] alibi, *Certis argumentis deprehendi alterius eſſe Authoris. Aliqui putant eſſe Origenis. Sed ſtylus clamat librum Latinè eſſe ſcriptum: Qui diuerſus tamen ſatis eſt à ſtylo S. Cypriani: & verba multa parum Latina admiſcet, quæ in Cypriano non inueniuntur, qualia ſunt, inordinaliter, contubernalitas, mulcedo & paſſibilitas*, inquit [*] Bellarminus.

Eodem Tomo habetur *liber de Duplici Martyrio ad Fortunatum.* Hic liber tanquam ipſius *Cypriani* citatur à [n] Bellarmino, vt probet: Ritum Abrenuntiationis in bap-

b Anno. in hanc lib. nu. 91. & 98.

c Auguſtiniana confeſſ. l. 4. c. 7.

d To. 4. operum Aug. p. 737. edit. 1528.

e Annot in Tertull. de Corona militis. nu. 43.

f Annal. To. 3. ad An. 253. nu. 43. & 44.

g L. 1. de Clericis c. 19.

h Bibl. ſanct. l. 4. verbo, Cyprian.

i Inſtitution. li. 5. c. 1.

k In Cenſura.

l Annotat. in hunc librum.

m Præfat. to. 3. operum Cypri.

* Lib. 1. de ſcript. Eccleſ.

n Lib. de baptiſ. c. 25.

tiſmo: & à [o] *Greg. de Valentia*, vt probet: Ioh. cap. 1. loquutum eſſe de originali peccato. *Hunc librum non eſſe Cypriani patet, quòd in eo Diocletiani Imperatoris, & belli Cæſarei contra Turcas fiat mentio*, inquit [p] Pamelius, ſubiungens, *Neoterici cuiuſdam eſſe cenſeo, & H. Grauius ipſius Eraſmi eſſe iudicat. Liber de duplici Martyrio male Cypriano tribuitur, cum Diocletiani, Maximini, Turcæ mentio etiã fiat illic*, inquit [q] Durantus. *Cypriani eſſe non poteſt, quia mentionem facit Diocletiani & Maximiani Imperatorũ, & belli Cæſarei contra Turcas:* inquit [*] Bellarminus. *Liber de duplici Martyrio non eſt S. Cypriani, vt iampridem viri docti monuerunt*, inquit [r] Gretſerus.

o Lib. de peccato Originali c. 8. fol. 792.

p In arg. præfix. libro.

q De ritibus Eccl. l. 1. c. 1. nu. 12. l. 1. c. 19. nu. 31.

* Lib. de ſcript. Eccleſ.

r To. 1. Defenſ. Bell. l. 1. c. 17. Col. 312.

Eodem Tomo habetur *Liber de* 12. *Abuſionibus ſeculi*, ex quo probat [f] *Gratianus*, furta & crimina à Rege eſſe cohibenda; & in quo, pulchre explicat Author illud, *Vnius vxoris virum*: vt annotat [t] *Pamelius*.

f 23. q. 5. Rex.

t Annot. in hunc l. nu. 31.

Hic liber extat Tomo 9. operum *Auguſtini*.[u] Louanienſes, *Incerti Anthoris* confitentur. [x] *Eraſmus* ſuſpicatur eſſe *boni cuiuſpiam Laici. Pamelius perperam Cypriano aſcriptum* dicit. *Stylus ipſe, Tritbemio teſte, & ſcripturæ citatæ iuxta* 70. *ſatis arguunt neque Cypriani eſſe, neque etiam Auguſtini, cui aſcribitur To.* 9. inquit [y] Pamelius. *Liber de* 12. *Abuſionibus ſeculi S. Cypriani eſſe non poteſt, cum paſſim citet Scripturas ex verſione S. Hieronymi: qua ratione neq; Auguſtini erit, quamuis inter eius etiam opera feratur*, inquit [*] Bellarminus.

u In Cenſ. to. 9. operum Aug.

x In Cenſ. to. 9. operum Aug.

y In Arg. libri.

* Lib. de ſcript. Eccleſ.

Eodem Tomo habetur *Tractatus de Iudaica incredulitate*, in quo [z] *Pamelius* dicit eſſe Epiphonema, quod mirè confirmat Sanctorum inuocationem.

z Pamel. annotat. in hunc locum nu. 15.

Patet authorem huius tranſlationis non Cyprianum ſed Celſum quendam fuiſſe, inquit [*] Pamelius. *Non dubito non eſſe Cypriani, cum ob alia, tum quia in fine ſeipſum Celſum appellat, & antè ſe iam Senem teſtatus eſt, cum Cyprianus ad ſenium non perueniſſe, Martyrio impediente, videatur*, inquit [*] Bellarminus. [*] *Nihil eſt aliud niſi verſio in Latinam linguam Dialogi Græci inter Iaſonem Chriſtianum & Papiſcum Hebræum:* inquit idem Bellarminus.

* Ibid. nu. 16.

* Cenſura M.S.

* Lib. de Script. Eccleſ.

Euſebij Alexandrini ſermones ſunt ſuppoſititij.

TVrrianus[a] aſſerit ſe nuper, *In libro vetuſtiſſimo Bibliothecæ Cryptæ Ferraræ, reperiſſe ſermones* 18. *Euſebij Alexandrini*, quem vixiſſe[b] ait, ante annos 1300. Horum ſermonum vnus eſt, De Aſcenſione Domini, quem citat[c] *Turrianus* ad probandum, verbum Homouſion in vſu fuiſſe ante conc. Nic. 1. Alter eſt de Reſurrectione Domini, quem[d] citat ad probandum, Eccleſiam fundatam ſuper Petrum. Tertius eſt, de ſanctis colendis, quem[e] citat, ad probandum, feſta Sanctorum à nobis obſeruanda. Et alius, de Dominico, quem[f] citat pro Purgatorio: qui ſermo citatur etiam à[g] *Coccio* eodem nomine, & à[h] *Pamelio*, itidem.

Hos ſermones ſuppoſititios eſſe, miminè dubium eſt. Nam[i] *Petrus de Natalibus* recenſens ſucceſſiones Epiſcoporum Alexandrinorum per ſpacium ferè 400. annorum, à *Marco* vſque ad *Theophilum*, qui vixit circa tempora *Arcadij, & Honorij Auguſtorum*, licet viginti duos nominatim numeret, tamen nullum habet *Euſebium*. Imò nec *Baronius*, ne in 600. aut 700. annorum ſpacio, licet quis, cui ſucceſſerit in illa ſede, diligenter[k] obſeruet; nec[l] *Nicephorus* in *Chonologia*, qui tamen ſucceſſionem ducit à *Marco*, vſque ad quendam *Petrum* qui quinquageſimus ſecundus ab eo erat. Nec iuuat *Turrianum*, quod tamen ſæpius inculcat, quaſi multum faceret ad conciliandum authoritatem huic *Euſebio*, quòd *Anterus* Pontifex Romanus eius meminit in Epiſtola quadam. Nam Epiſtola illa vna eſt ex Decretalibus, quas ementitas eſſe & confictas[m] ſuperiùs euicimus.

a Pro Epiſt. Pont. l. 2 c. 12.

b Lib. 5. c. 17.

c Lib. 2. c. 12.

d Lib. 2. c. 6.

e Lib. 5. c. 17.

f Lib. 4. c. 14.

g Theſau. Cath. l. 7 Art. 5. to. 2.

h Annot. in Tertul. de Corona Militis nu. 36.

i In Catal. ſanct. l. 11. c. 6.

k Vide Indic. Baronij, verbo Alexandrinæ.

l Vide Niceph. Chron. in Bibl. vet. pat. to. 7. edit. 3.

m Pag. 51.

Zeno Veronenſis eſt ſuppoſititius.

TOmo 2.Bibl.ſanctæ veterum Patrum,edit.3. habentur *Zenonis ſermones* : quorum hic eſt Titulus: *Sancti Zenonis Veronenſis Epiſcopi & Martyris, doctoris eximij ſermones, illuſtriſſimi ac reuerendiſſimi Auguſtini Valerij Cardinalis Veronæ iuſſu editi : ſanctiſſimo Patri ac Domino noſtro, Domino Sixto 5. Pontifici maximo ab eo Cardinale didicati.* Hic *Zeno* vixiſſe [a] fertur circa An. 260. Ex his ſermonibus quidam citantur à Pontificijs pro erroribus ſuis confirmandis. Sermo de *Reſurrectione* citatur à [b] *Coccio* pro Purgatorio, & [c] vt probet, Samuelis animam verè apparuiſſe Sauli. Ser. 1.de *Natiuitate Chriſti* citatur ab [d] eodem vt probet: Baruch Canonicam eſſe ſcripturam. Ser. 5. *de Daniele & tribus pueris* : Et [f] Ser. 8. citantur ab eodem, vt probet: Canticum trium puerorum eſſe Canonicum. [g] Idem citat Ser. 9. vt probet: Hiſtoriam Suſannæ Canonicam eſſe Scripturam: Et Serm. *pro fidei puritate*, vt [h] probet: Hiſtoriam Belis & Draconis Canonicam eſſe Scripturam: & [i] ſer. 5. de *S. Arcadio*, & Ser. *de Reſurrectione*, vt probet libros Machabæorum eſſe Canonicos.

a Petrus de Natalibus in Catal. ſanct.l.1 c.43.
b To.2.Theſau l.7. art. 5.de Pœnitentia.
c To.1 l. 5.art. 10 de ſanct.Eccl.
d To.1.l. 6. art 11.
e Ibid.art.14.
f Ibid.
g Ibid.art 15.
h Ibid art.16.
i Ibid art.18.

Hos ſermones non eſſe *Zenonis*, ex parte colligitur ex eo quòd inter eos habetur vnus de præcepto, *Attende tibi.* Qui idem plane eſt cum concione in *Baſilio*, de dicto hoc, *Attende tibi ipſi* Et alter, *de Liuore & Inuidia* qui idem omnino eſt cum *Baſilij* Concione *de Inuidia*, quæ incipit, *Bonus eſt Deus.* Rurſus *Zenonis* ſer. *de Pſal.* 126. *& de* 127. *&. de* 128. *& de* 130. reperiuntur totidem verbis apud *Hilarium.* Idipſum plenius probatur ex eo quòd in antiquis editionibus horum ſermonum quicunque tandem fuit, Author verba faciens de *Epiſtola S. Pauli ad Corinthios*, eam ſcriptam [k] dicit *ante annos ferme Quadringentos vel eo amplius.* Nam quum Author meminerit 400. *annorum* à ſcriptione Paulinæ Epiſtolæ: & *Zeno* vixerit ad an. 260. manifeſtum eſt *Zenonem* horum ſermonum Authorem non extitiſſe, ſed eos ſuppoſitos eſſe ſub eius nomine, quod & Pontificij fatentur. Nam,

k Ser. de Continentia.

Negandum

Negandum non eſt, (inquit [l] Baronius) *nonnullos ſermones inter Opuſcula S. Zenonis impreſſos, Martyri qui ſub Galieno coronatus eſt, conuenire non poſſe, in quibus arbitramur eos eſſe, qui Arij hereſin confutant manifeſte.— Pro ſermonibus Zenonis Veronenſis, Guarinus Veronenſis Orator centum abhinc annis volumen ſermonum diuerſi generis emiſit in lucem, quos conſtat maiori ex parte collectos eſſe ex diuerſis authoribus qui ducentis pene annis fuere Zenone poſteriores,* [m] inquit Sixt. Senenſis.

[l] Annotat. in Ro. Martyrolo. Apul. 12. a.

[m] Bibl. ſanct. l. 4. verbo, Zeno.

Conſtat hos ſermones maiori ex parte collectos eſſe ex diuerſis authoribus, qui ducentis penè annis fuerunt Zenone poſteriores. inquit [n] Poſſeuinus.

[n] Poſſeuin. Apparat. Zeno.

Sermones, quos Guarinus emiſit, non ſunt S. Zenonis, ſed nonnulli ſunt S. Hilarij, nonnulli S. Baſilij, nonnulli aliorum Sanctorum, inquit [o] Bellarminus, quem ſequitur, vt tempore, ſic iudicio, [p] Ferreolus Locrius. *Huius Zenonis nulla fit mentio apud Euſebium in hiſtoria, nec apud Hieronymum in Catalogo Scriptorum: nec de ſermonibus his vlla extat mentio apud veteres;* [*] inquit idem Bellarminus.

[o] Lib. de ſcript. Eccl. M.S.

[p] Lib. 5. c. 14. Mariæ Auguſtæ in marg.

[*] Lib. de ſcrip. Eccle. impreſſo.

Arnobij Commentarius in Pſalmos eſt ſuppoſititius.

ARnobius vixit circa an. 300. teſte *Baronio.* Sub eius nomine habetur *Commentarius in Pſalmos* impreſſ. Pariſijs 1580. cuius Titulus hic eſt: *D. Arnobij Afri, vetuſti pariter ac laudatiſſimi ſcriptoris, Commentary, pij iuxta ac eruditi in omnes Pſalmos Dauidis.* Ex his Commentarijs Pontificij probare conantur [q] Inuocationem ſanctorum: [r] Chriſti deſcenſum in Limbum Patrum: [ſ] Realem Chriſti in ſacramento præſentiam: [t] ſacrificium Miſſæ: [u] Primatum Petri [x] Præeminentiam Romanæ Eccleſiæ, &c. Et quo maiorem excitent de eo opinionem, [y] aiunt fuiſſe, *Patrem antiquum, eloquentem, doctum, qui tempore Preſequutionum, ante Conſtantini ſcilicet Magni ætatem, vixerat: quique Lactantium Firmilianum magno excellentique ingenio & eloquio diſcipulum habuit.*

[q] Garetius de inuo. S. fol. 14.

[r] Feuardentius in Irenæum.

[ſ] Garetius de reali præſentia fol. 11.

[t] D. Smith. de externo ſacrificio fol. 29.

[u] Dormam. diſp. p. 67.

[x] Stap. doc. princi. l. 6. c. 15.

[y] Dormam. diſp. p. 67.

Stylus inconditus, ac ſermo innumeris ſolœciſmis & barbariſmis ſcatens, palam arguit Authorem magis, quàm Cœ- lum

lum à terra, diſtare ab Arnobio illo cuius nunc habemus ſeptem facundiſſimos contra gentes libros, inquit[z] Sixtus Senenſis.

z Bibl 4. Arnobi-ns.

In expoſitione Pſalmi 109. nominatim refellitur Photinus. (inquit * Sixtus & * Bellarm.) *Fieri autem non poteſt, vt Arnobius, qui Lactantium adhuc iuuenem ſub Diocletiano Principe, hoc eſt, circa An. Domini 290. diſcipulum habuit, Photini hæreſin audiuerit: qui, vt ex S. libro Hiſtoriæ tripartit. & ex Hieronymo tam in Catalogo, quàm in Chronicis colligitur, impietatem ſui dogmatis docere cœpit anno 358. &c.*

* Ibid.
* Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 285.

Sixto Senenſi, & *Bellarmino* aſſentiunur *Maldonatus*, & *Bellarminus alibi.* Nam *commentarij in Pſalmos falsò tribuuntur Arnobio*,[b] inquit Maldonatus.

b Com. in Lucam c. 1. 8.

Hic Author, quicunque ſit, certè non eſt Arnobius ille, præceptor Lactantij qui ſcripſit libros 7. adu. Gentes, ſed aliquis multo recentior, vt aliqui ante nos obſeruarunt, inquit[c] Bellarminus. Atque hinc eſt, quòd promittens, in quæſtione de ſacrificio Miſſæ, ſe adducturum teſtimonia patrum Græcorum & Latinorum ordine temporis: poſt *Auguſtinum*, & *Leonem* primum,[d] citat *Arnobium comment. in Pſal* 109. & alibi citans eum poſt Greg. 1. *Hunc Authorem hoc loco poſuimus* (inquit[e] ille) *quoniam non floruit poſt Bedam — & tamen floruit poſt hæreſin Pelagianam exortam, vt ex multis locis commentariorum eius in Pſalmos intelligi poteſt. Itaque non eſt ille Arnobius qui ſcripſit 7. libros contra gentes, ſed alius recentior. * Refellit enim etiam hæreſin prædeſtinatianorum, * quæ tempore Auguſtini, vel poſtea exorta eſt: * refellit & Photinum, qui tempore Valentiniani Imperatoris vixit, quo tempore Arnobius ſuperſtes eſſe non poterat.* Hæc ille.

c De amiſſa grat. & ſtatu peccati. l. 4. c. 9.
d Lib. 1. de Miſſa cap. 6.
e Bella. de libero arbitrio, l. 5. c. 26.
* Lib. de ſcrip. Eccleſ.
* In Pſal. 108.
* Pſal. 109.

Victorinus in Apoc. eſt ſuppoſititius.

LIber *Victorini in Apocalypſin* excuſus *Pariſijs* anno 1542. cum commentarijs *Theophylacti* in minores Prophetas, habetur in Bibliotheca ſanctorum Patrum to 5. & citatur à[f] *Serario* Ieſuita, vt probet: libros Machabæorum eſſe canonicos.

f Comment. in Machab. præloq. 3

Victorinus in Apocalypſin non eſt omni ex parte Victorini genuinus fœtus, inquit [g] Maluenda.

Non [h] *deſunt rationes quæ hoc opus S. Victorino abſtrahant. 1. Hieronymus in Ezek. cap. 26. inter patres Chiliaſtas Victorinum enumerat. At author huius commentarij longe abeſt ab eo errore: poſtremis enim verbis libri ait, Ergo audiendi non ſunt, qui mille annorum regnum terrenum eſſe confirmant. 2. Citat Epitomen Theodori de numero librorum ſacræ Scripturæ; conſtat autem Victorinum Martyrem occubuiſſe in perſecutione Diocletiani, & Theodorum ſub Iuſtiniano vixiſſe.*

S. Victorinus multa opera ſcripſit, — nunc ſolùm extat commentarius in Apoc. & de hoc ipſo dubium eſt, an ſit Victorini opus, inquit [i] Bellarminus. *Scribit enim S. Hieronymus Victorinum in iſto commentario ſequutum eſſe errorem Chiliaſtarum —At commentarium quod nunc extat ſub nomine Victorini, non ſolùm hoc caret, ſed contra hunc errorem etiam pugnat.*

g De Antichriſto, l. 1. c. 1. Romæ impreſſ. 1604.

h Biblio. vet. Pat. editio. 3. to. 1. p. 1095.

i Lib. de ſcript. Eccleſ. ad An 270.

Conſtantini Donatio ficta eſt & ementita.

Conſtantini Donatio habetur [a] Tomo primo Conciliorum, & [b] alibi etiam, ſub hoc Titulo: *Edictum Domini Conſtantini Imperatoris.* Eius ſumma habetur apud [c] *Gratianum.* Conuerſa fuit è Græco in Latinum à *Gentiano Herueto*, & à *Picerna de Monte arduo.* Hic Vaticanum, neſcio quod, ſequutus eſt exemplar. Ille, quod reperit apud *Balſamonem*, Latinè reddidit. De hac Donatione cuncti *curioſi Canoniſtæ magnum faciunt feſtum*, vt vtar phraſi [d] *Pauli Langij Monachi*. Imò & Theologi etiam. Nam [e] *Leo 9.* in Epiſtola prima, ſiue libello aduerſus *Michaelem* C. P. & *Leonem Acridanum* ferè integrum edictum refert. Et *Petrus Damianus* in diſceptatione Synodali inter Regium aduocatum & Romanæ Eccleſiæ defenſorem: Lege, inquit, *Conſtantini imperatoris edictum, &c.* Ex hac *Donatione*, licet ſuppreſſo nomine, [f] *Briſtous* noſtras narrat, quo modo *Imperatores Romani, totius orbis Domini, vt primùm Chriſtianam fidem agnouerint, Romanam vrbem, &*

omnem

a Edit. Crab. 1551.

b In Faſciculo rerum expetendarū impreſſ. Colon. 1535.

c Diſt. 96. Conſtantinus.

d In Chronico ad annum 1404.

e Gregoriani cenſores not. in diſt. 96. Conſtantinus.

f Motiu. 41.

omnem Italiam conceſſerint Sylueſtro Papæ vicario Ieſu Chriſti, à quo Baptiſmum ſuſceperant: ipſi interim aliò ſe conferentes, vbi Imperij ſedem ſtabilirent. Ex hac *Donatione* colligit g *Molanus*, ita pingere pictores ad viuum, Petrum & Paulum Apoſtolorum Principes, vt facilè ex ſola facie cognoſci poſſint: *Atque Orthodoxos & verè Catholicos fateri, Donationem Conſtantini eſſe veram*, affirmat Carerius de poteſt. Ro. Pont. lib. 2. cap. 21.

g Lib. de Picturis, c. 65.

Hanc *Donationem* eſſe fictam & ementitam euincunt multa. Nam in hac, *Conſtantinus* dicitur tradidiſſe *B. Sylueſtro*, & omnibus ſucceſſoribus, *Palatium Lateranenſe*, deinde *Diadema*, viz. *Coronam capitis ſui*, ſimulque *Phrygium*, id eſt, mitram, nec non *Superhumerale*, viz. lorum, quod imperiale circundare aſſolet collum; *Chlamydem* etiã *purpuream*, atque *tunicam Coccineam*, & omnia *Imperialia indumenta, &c.* In hac, *Conſtantinus* dicitur *Romanam vrbem*, & *omnes Italiæ ſeu occidentalium regionum prouincias, loca, & ciuitates, beatiſſimo Sylueſtro conceſſiſſe atq; reliquiſſe.* Verùm, licet multi extent Hiſtorici qui res *Conſtantini* literis mandarunt: in quibus, *Euſebius, Socrates, Theodoretus, Euagrius, Ruffinus, Eutropius, Paulus Diaconus, Oroſius, Beda, Zonaras, Nicephorus*; tamen nullus horum meminit tam immenſæ, tam effuſæ, magnificentiæ dicam, an prodigalitatis? quod tamen, ſine dubio, feciſſent, ſi qua ab illo vnquam talis facta fuiſſet donatio.

Rurſus, in hac *Donatione, Conſtantinus* dicitur ſanxiſſe vt Romana Eccleſia Principatum, tam ſuper quatuor ſedes, *Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, Conſtantinopolitanam*, quàm etiam ſuper omnes in vniuerſo orbe terrarum Eccleſias Dei obtineret. Atqui licet Papæ ipſi ſæpe multumque de ſua potentia & amplitudine cum alijs Epiſcopis contenderint, tamen in ſuo iure perſequendo, & inſtrumentorum ſuorum oſtenſione, ne verbum quidem de hac *Donatione* feciſſe leguntur. Ex quo conſtat antiquis temporibus eiuſmodi *Donationem* non eſſe cognitam.

Tertiò, In hac *Donatione, Conſtantinus* dicitur, *Lepræ morbo* grauiter laboraſſe, & eius curandæ cauſæ, ex medicorum conſilio,

conſilio, *Infantium ſanguine balneum ſibi parari iuſſiſſe:* Quod ab omni veriſimilitudine abhorret, ſiquidem nec *Euſebius*, qui vitam eius quinque libris complexus eſt, nec *Zoſimus*, qui Religionis odio, quæcunque vel ex triuio arrepta conuitia in *Conſtantinum* obijcit, nec *Paulus Diaconus*, neque alius ex probatis hiſtoricis quiſquam, vllam, vel *Lepræ*, vel *balnei puerilis*, mentionem faciat. Nam vt verè [h] *Canus, Scriptores veteres eius ætatis, non omiſiſſent, ſi ſciuiſſent; ſciuiſſent omnino rem, ſi fuiſſet.* Quæ eſt & ſententia Platinæ: Nam *quod in Lepram inciderit, vt vulgo dicitur, Conſtantinus, baptiſmoq; mundatus ſit, confictæ prius de ſanguine infantium neſcio qua fabula, nullo modo credo. — Non reticuiſſet hoc Oroſius, non Eutropius, non illi, qui Conſtantini res geſtas quàm diligentiſſimè ſcripſere*, inquit [i] Platina. Qua in opinione (vt omittam quæ habet [k] *Alciatus* & [l] *Ludouicus Viues*) videtur *Quignonius* Cardinalis fuiſſe, vtpote qui totum hoc de *Conſtantini Lepra, de balneo puerili*, in antiquioribus *Breuiarijs* repertum, è [m] ſuo penitus reiecerit.

Quartò, In hac *Donatione, Conſtantinus* dicitur baptizatus, *ætate vegetiore, à Sylueſtro Papa Romæ.* Cum tamen [n] *Euſebius*, [o] *Socrates*, [p] *Theodoretus*, [q] *Euagrius* [r] *Ambroſius*, [ſ] *Hieronymus*, (agnoſcentibus [t] ipſis Pontificijs,) teſtentur, eum baptizatum eſſe ab *Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo in extrema ſenectute.*

Quintò, In hac *Donatione*, *Conſtantinus* dicitur ſtatuiſſe (quod ſupra monui alium ad finem) vt *Rom. Eccleſia* Principatum haberet ſupra *ſedem Conſtantinopolitanam*; cum tamen certum ſit, [u] confitente *Baronio*, nec dum fuiſſe nomen *Conſtantinopolis*: tantum aberat, vt eo tempore *Conſtantinopolis* eſſet vna ex Patriarchalibus ſedibus, ſuper quam Principatum exerceret Rom. Eccleſia.

Sextò, In hac *Donatione*, *Conſtantinus* dicitur ſeceſſiſſe Roma, vel hac potiſſimùm de cauſa, quoniam *vbi Principatus ſacerdotum & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt, iuſtum non erat vt illic Imperator terrenus haberet poteſtatem*: quaſi *Moſes* & *Aaron* vnà cohabitare non poſſunt. Quod quàm ſit ridiculum, & indignum *Conſtantino*, vel ex eo colligi poteſt, quòd Principes *Iudæ*,

h Loc.Com.l.11.c.5.ad Arg.14.
i De vitis Pontificum in Marco 1.
k Parerga Iuris l.7.c.19.
l Lib.2 de cauſis corrupt.artium.
m In feſto S. Sylueſtri Breuiar. Ro. a Quignonio recognitum.
n De vita Conſtantini l.4.c.61.& 62.
o Hiſt.Eccl.l.1.c.26.
p Hiſt.Eccl.l. 1. c. 32.
q Lib.3.c.41.
r Orat de obitu Imperat Theodoſij.
ſ In Chron. Euſebij.
t Conccius in Theſauro Cathol. l.7. Art.9.To 2.Alciat. Parerg.iuris,l.7.c.19.
u Annal. to.4. ad An.324.

N verbi

verbi gratiâ, *Salomon*, *Aſa, Ezechia, Ioſia*, domiciliorum ſuorum ac Regni ſedem Ieroſolymis ſtatuerint, vbi Principes ſacerdotum habitabant.

His adde, quod maximi momenti eſt ad totam euertendam fabulam, patere ex hiſtoricis, *Euſebio, Socrate*, *Sexto Aurelio Victore, Zoſimo*, perexiguo ante obitum tempore, *Conſtantinum* hanc imperij ſui diuiſionem inter ſuos filios feciſſe, vt natu maximo, *Occidentem:* ſecundo, *Orientem:* tertio, *interiectam regionem* aſſignaret. Nam quo iure legare teſtamento poſſet filio natu maximo *Occidentem*, quod feciſſe teſtantur Hiſtorici fide digni, ſi prius *Occidentem* donarat *B. Syluestro & ſucceſſoribus in perpetuum*, quod ſolus narrat iſte fabulator? Omitto dicere quod ex alijs Hiſtoriographis manifeſtum eſt; Imperatores per *Praefectos vrbis* Romam gubernaſſe quadringentis annis ab eo tempore, quo Byzantium, Roma relicta, commigrauit *Conſtantinus*. Omitto dicere, quod apud [x] *Bellarminum* videre eſt, *Italos vectigalia ſoluiſſe ad Gregorij 2. tempora*, *Imperatoribus Graecis.* Quae planum faciunt, Ipſam Romam, & Italiam, ſub Imperatorum Graecorum imperio permanſiſſe aliquot ſecula poſt Conſtantinum mortuum. Qui plura volet, legat *Brutum fulmen*, titulo, Crimen falſi, pag. 129. &c. & *Ioh. Rainold.* In Colloq. cum Harto cap. 7. ſect. 7.

x Lib. 5. de Rom. Pontif. c. 8.

Hoc vnum porrò ſciat, nonnullos ex ipſis Pontificijs, ſuperioribus Argumentis, & alijs quàm ſimillimis, commotos, *Donationem hanc* vt fictam, & falsò ementitam reieciſſe. In quibus, primo loco dignus eſt qui enumeretur *Laurentius Valla, Patritius Romanus, & Eccleſiae D. Ioh. Lateranenſis Canonicus*, qui vixit anno 1420. temporibus *Nicolai* 5. & *Eugenij* 4. Hic enim habuit *Declamationem* bene longam, qua *Conſtantini Donationem falsò creditam & ementitam* oſtenderet: quae extat tum inter Germanicos ſcriptores, tum in *Faſciculo* rerum expetendarum, Coloniae 1535: licet prohibeatur in *Indice* librorum prohibitorum. Proximus huic ſit *Aeneas Syluius*, poſtea Papa, gerens nomen *Pij* 2. Hic enim ſcripſit *Dialogum de Donatione Conſtantini. In qua* (teſtibus [y] *Felino, &* [z] *Balbo*) *inuehit in miſeros legiſtas, qui laborant in diſputando, num valuerit id, quod nunquam*

y De Maioritate & obed. c. Solitae.
z Balbus Epiſcopus, l. de Coronat. p. 49.

quam fuit: & in qua præciſe dicat, Dicta palea, Conſtantinus, (*In qua Donatio Conſtantini* continetur apud *Gratianum*) *falſa eſt.*

Pio ſecundo ſuccedat *Raphael Volaterrannus* in Commentarijs dicatis *Iulio* 2. Hic enim poſt paucula verba de *Conſtantino*, ſic inquit: [a] *De dono eius aut conceſſione apud nullos extat authores præterquam in libro Decretorum: idque in antiquis voluminibus minime contineri, author eſt Antoninus præſul Florentinus in Chronicis,*— ſubijciens: *Libellus Apocryphus* (ipſum edictum Conſtantini notans) *De Elephantia, deque ſanguine puerorum, & Sylueſtri baptiſmate, omnino reijciendus.* *Raphaeli Volaterrano*, accedat *Nicolaus Cuſanus*, qui cum obſeruaſſet penè omnium ſententiâ indubitatum fuiſſe, *Conſtantinum* Imperatorem Occidentale imperium Rom. Pont. *Sylueſtro*, ac eius in æuum ſucceſſoribus perpetuo dono tradidiſſe, ſic [b] infit: *In veritate ſupra modum admiror, ſi res ita eſt, eo quod in Authenticis libris & in hiſtorijs approbatis non inuenitur. Relegi omnia quæ potui geſta imperialia, ac Romanorum Pont. hiſtorias: S. Hieronymi, qui ad cuncta colligendum diligentiſſimus fuit, Auguſt. Ambroſij, ac aliorum Opuſcula peritiſſimorum: reuolui geſta ſacrorum Conciliorum quæ poſt Nicenum fuere: & nullam inuenio concordantiam ad ea, quæ de illa Donatione leguntur.* Et poſt aliquot, *Ego ad longum hanc ſcripturam in quodam libro inueni*, inquit ille, *& diligenter eam examinans, reperi ex ipſamet ſcriptura, argumenta manifeſta confictionis & falſitatis*, — concludens tandem his verbis: *Sunt meo iudicio illa de Conſtantino Apocrypha.*

a Antropol. lib. 23.

b Cuſanus de concord. Catholica l. 3. c. 2.

Nicolao Cuſano conſentit R.D.P. *Hieronymus Paulus Catthalanus* Canonicus *Barcinonenſis*, Iuris vtriuſque doctor, ac Cubicularius *Alexandri* 6. Cuius verba hæc ſunt. [c] *Quod Donatio Conſtantini etiam de facto non fuerit, lege Laurentium Vallam & Papam Pium in Dialogo. Nec de tali Donatione quicquam legi apud probatũ hiſtoricum, præſertim inter eos qui ſcripſerint illa ætate, vel illi proxima. Nam nec Euſebius qui fuit diligentiſſimus ſcrutator, & narrator rerum Chriſtianarum meminit, quod tamen nullo modo videtur omittendum: nec Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Baſilius, Ioh. Chryſoſtomus, nec Ammianus, nec hiſtoria Tripartita, nec ipſemet Damaſus*

c Practica Cancellariæ Apoſtolicæ apud Rebuffum, p. 436.

Papa in ſuo Chronico, nec Beda, nec Oroſius meminerunt. Et conſtat per plures quàm 300. annos poſt Conſtantinum, Imperatores tenuiſſe gubernacula vrbis & Italiæ per duces, præſides, & Exarchas, &c.

Hieronymo Paulo conſentit *Guicciardinus* Patritius Florentinus, & Leoni 10. Pont. Max. à ſecretis conſilijs. Nam *fama eſt* (inquit [d] ille) *Conſtantinum, Imperij ſedem Byzantium transferre compulſum, Pontifici Romanæ vrbis aliarumque & vrbium & regionum in Italia imperium donaſſe. Quæ fama quanquam à ſequentibus Pontificijs diligenter fuerit enutrita, & ſuſtentata, eorumque authoritate à multis credita, eſt nihilominus cum ab ſcriptoribus grauiſſimis, tum verò rebus ipſis refutata. Illud autem certò conſtat, & tunc, & longo poſt tempore, vrbem Romam, Italiamque omnem tanquam imperio Cæſarum obnoxiam, ab Imperatorum miniſtris ac præfectis fuiſſe gubernatam.*

d Lib.4. hiſtor.p. 156.nu.44.

Poemata Lactantio adſcripta ſunt ſuppoſititia.

INter opera *Lactantij*, qui floruiſſe dicitur circa an. 320. habentur tria *Poemata*. Primum, quod inſcribitur, *Phœnix*. Secundum, de *Reſurrectione*. Tertium, de *Paſſione Domini*. *Phœnix*, à nemine citatur quod ſciam. Verùm, illud de *Reſurrectione* citatur ſub *Lactantij* nomine à [a] *Lenſæo* pro Limbo Patrum: à [b] *Smythæo*, pro externo Chriſti Sacerdotio: & Tertium de *Paſſione Domini*, citatur à [c] *Bellarmino*, [d] *Baronio*, [e] *Coſtero*, & alijs [f] Pontificijs, pro adoratione imaginis Crucifixi, ſeu, Crucis Chriſti.

Carmina quæ in excuſis libris Lactantio aſcribebantur, in nullis antiquis codicibus inuenit Michael Thomaſſius, qui tamen quinque Vaticanos, & duos Bononienſes inter alios contulit cum impreſſis, inquit [g] Poſſeuinus. Quod quidem verè ab eo dictum, ex ipſo *Thomaſſio* conſtat. Nam, *Carmina quæ in libris impreſſis Lactantio attribuuntur, in nullis antiquis codicibus inueni*, inquit ipſe [h] Thomaſſius. Cuius verba referuntur etiam à [i] *Margarino de la Bigne* in ſua ſacra Bibl. ſanctorum

a Lib. de Limb. Patrum c 12.
b Lib. de exter. Chriſti Sacerd. fol 29.
c Lib.2. de imag. c.28. & in Apolog. ad I. Iac. Mag Brit. reg cap 8 p.111.
d Annal. To.1. ad an.57. nu 116.
e Apolog.1. pro 1. parte Enchirid. c.7
f Cop. dial.4. c. 11. Biſhop contra Perkinſ. Tract. de imag. p. vlt.
g Apparat. ſac. verbo, Lactantius.
h Schol. in Lactan. ad finem annexis.
i To.9. edit. 2. quæ fuit 1589. in ſcholijs ad finem Lactan.

Patrum,

Patrum. Quo magis miror * Bellarminium negare ſe certum vllum habere Argumentum, quo probentur *Lactantij* non eſſe. Fatetur quidem [k] *Thomaſſius* ſe carmina *de Paſcha ſiue Reſurrectione*, inter Opuſcula *Venantij Fortunati* poetæ Chriſtiani inueniſſe. At illius tertij Poematis *de Paſſione Domini* nullum veſtigium vſquam inueniri potuiſſe, profitetur ingenuè.

* De ſcript. Eccleſ. ad an. 290.

k Loco ſupra citato.

Ex quo patet, *Thomaſſium* ſenſiſſe, *Poema de Paſſione Domini*, ſine dubio ſuppoſititium: & alterum, de Reſurrectione, non videri Lactantij, licet fortaſſis *Venantij Fortunati* eſſe poſſit.

Quod planiùs agnoſcit [l] *Feuardentius*, citans hæc Carmina ſub nomine *Fortunati*, & obiter adnotans, *perperam Lactantio adſcribi.*

l Notat. in Irenæū agnoſcente Pamelio Adnotat. in Tertul. l. de Anima, nu. 604.

Opera omnia Lactantio adſcripta, exceptis Carminibus, ſine controuerſia Lactantij ſunt. Sed carmen de Phœnice Ethnici hominis eſſe videtur. Carmen de Reſurrectione & de Paſchate, vt etiam de Paſſione, ambiguum eſt an Lactantij ſint: inquit * Bellarminus.

* Lib. de Script. Eccleſ.

Opera falsò adſcripta Athanaſio.

ATHANASIUS floruit circa an. 340. obijt verò ad an. 372. relictis ad Poſteros multis præclaris ingenij ſui monumentis, quæ excuſa ſunt Tomis tribus. Sed, *Vt fertiliſſimis agris multa zizania vnà cum optimis frugibus naſcuntur: Ita optimo cuique authori plurimi falſi & nothi libri aſcribuntur: Nulli autem plures quàm Athanaſio*, quod verè annotauit [a] *Petrus Nannius*, in collegio *Buſlidiano* apud *Louanienſes* Latinæ linguæ *Profeſſor*, vir magni nominis apud ſuos. Nam,

a Epiſt. Nuncupatoria.

Tomo 3. habetur *liber de ſalutari aduentu Ieſu Chriſti, contra Apollinarium*, qui citatur à [b] *Coccio*, tanquam ipſius Athanaſij, quo probet: Chriſti animam verè ad inferos deſcendiſſe.

b To. 1. l. 2. de Chriſto ſaluat. art. 4. p. 163.

Hic liber ex eorum numero eſt, de quibus loquitur [c] *Nannius*, dicens: *In tertiam claſſem relegaui omnes ſuppoſititios*

c Epiſtol. citata.

tios libros, quos Athanaſij non puto.

Eodem Tomo 3. habetur *liber contra omnes hæreſes*, qui citatur à [d] *Coccio*, vt probet: Orationem Azariæ, & Hymnum trium puerorum, eſſe Authenticam & canonicam Scripturam, & [e] Pœnitentiam eſſe quartum nouæ legis ſacramentum.

d To.1.l.6.de ſac. ſcrip.Eccle.art.14. p.663.
e To.2.l.7. de Pœnitentia, art. 1. p. 782.
f Epiſto. citata.
g To. 8. operum Eraſmi impreſſ. Baſ.1540.p.561.

Hic liber reijcitur à [f] *Nannio* inter *ſuppoſititios* quos non putauit eſſe Athanaſij. Hunc librum *eſſe hominis deliri*, cenſuit [g] Eraſmus.

Eodem Tomo 3. habetur ſermo in illud, *Profecti in pagum qui ex aduerſo eſt, inuenietis pullum alligatum, &c.* Qui citatur à [h] Pontificijs, pro auriculari confeſſione; &, pro [i] Limbo Patrum;

h Bel.l.1.de Pœnitentia c.8.
i Léſſæus de Limb. pag.379.
k Epiſto. ſupra citata.
l Loco ſupra citato p.328.

Hic ſermo vnus eſt ex *ſuppoſititijs* teſte [k] *Nannio*. Ad initium huius ſermonis *Eraſmus* præfixit hanc Annotatiunculam: *Apparet eſſe fragmentum ex opere quopiam decerptum: Torquet Scripturas quaſi ludens.*

Eodem Tomo 3. habetur *Epiſtola de Interpretatione Pſalmorum ad* Marcellinum, quæ citatur à [m] Coccio, quo probet: Horas Clericorum *Canonicas*. Hanc Epiſtolam in tertiam claſſem relegauit *Nannius* inter libros quos non putauit *Athanaſij*.

m To.2.l.8.de Ordine.art. 9.pag. 971.

Eodem Tomo 3. habetur *liber de Virginitate* ſiue de *Meditatione*, qui citatur à Pontificijs, vt probent [n] Ieiunium eſſe opus meritorium: [o] pro delectu ciborum: & [p] in laudem Virginitatis, & [q] alijs de cauſis: eiuſque author donatur [r] à *Pereſio* titulo *Diui* & *Magni*.

n Bellar.l.2.de bonis operibus in partic.c.11.
o Pereſius de Tradit.part.3.tit.de delectu ciborum. fol.270.
p Bellar. l.2. de Monach.c.27.
q Vide Bellar.l.2. de Monach. c.40. & l. 1.de ſanct. beat.c.13.& lib.2. de pœnit. c.1.
r Lib cit.tit.de Ieiunio fol.251.
ſ Epiſt.citata.
t Loco ſupra citat.p.332.

Author huius libri nec *Diuus* videtur nec *Magnus*. Nam hic Author multus eſt in hoc, vt virgo *veſtitum ſuum habeat fuſcum, non tinctum, ſed natiui coloris: vt capillos habeat circumtonſos. Vt quum ſteterit in oratione, pedes calciamentis obductos haberet. Vt quum lauarit faciem ſuam, non lauaret ambabus manibus, neque adhiberet herbam, &c.* Quæ omnia cum ſint nullius ad pietatē momenti, tam indigna ſunt *Diuo* & *Magno Athanaſio*, quàm digna aliquo fraterculo. Certè [ſ] *Nannius* hunc librum relegauit inter eos quos non putauit *Athanaſij*. Et *Eraſmus* liberè profitetur: Quod *ſi ſit Athanaſij, eum mire deieciſſe ſtylum ad captum Virginis.*

Eodem

Eodem Tomo 3. habetur *liber de communi eſſentia Patris & Filij & Spiritus ſancti*, qui varijs nominibus citatur, à *Coccio*. 1. vt probet, [u] Cœleſtes Spiritus in certos ordines ſeu Choros eſſe diſtinctos, ac alios alijs præeſſe & præferri. 2. vt probet, [x] Suſannæ hiſtoriam eſſe Canonicam Scripturam. 3. vt probet [y] Pœnitentiam eſſe quartum nouæ legis, ſacramentum. Citatur etiam à [z] Duacenſibus Anglis, vt probent Angelos offerre hominum preces Deo. Hunc librum relegauit [a] *Nannius* inter eos quos non putauit *Athanaſij*.

Eodem To. 3. habetur *ſermo de ſanctiſſima noſtra Deipara*, qui citatur à Pontificijs, [b] pro Inuocatione Sanctorum; & pro [c] aſſumptione Virginis Mariæ, & [d] pro alijs religionis ſuæ capitibus, Atque author illius inſcribitur ab [e] *Andradio, magnus ac illuſtris*.

Hic ſermo non eſt *magni & illuſtris Athanaſij*: Hunc in tertiam claſſam relegauit [f] *Nannius*, inter eos quos non putauit eſſe *Athanaſij*: Hic ſermo reijcitur à *Baronio*. Nam *ſermo qui Athanaſij nomine inſcribitur, alicui alteri potius adſcribendum exiſtimamus, quam Athanaſio*, inquit [g] Baronius, Nam *cum ibi Author multus ſit in confutando Neſtorij Dogmate, de quo tunc eſſet controuerſia, & vrgere Monothelitas conetur, plane alius ab Athanaſio eſſe conuincitur. Si enim ea ab Athanaſio ſcripta fuiſſent, Cyrillus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, & alij Patres qui Epheſino Conſilio aduerſus Neſtorium interfuere, & cuncta quæ à Sanctis Patribus ſcripta eſſent volumina, vt illius hæreſin impugnarent, euoluerunt, nequaquam adeo laboraſſent, ſed nullo negotio quod de Incarnatione Verbi ſentiendum eſſet, vna illa tanti Patris edita homilia, occluſiſſent ora omnium blaſphemantium.* Hæc Baronius. Quocum ſentit eruditus vir *Antonius Agellius*, [h] referente ipſo *Baronio*: Et [i] *Antonius Poſſeuinus*, & *Franciſcus Suarez*, imo, & ipſe Bellarminus. Nam *pleriq; viri eruditi dubitant, an ſit Athanaſij, quia videtur poſt tempora Epheſini Concilij editus, cum in eo refellatur error Neſtorij: Et Cyrillus ac alij Patres Concilij Epheſini nunquam illius operis meminerint. Cum tamen Authoritate Athanaſij ſæpius vtantur*, inquit [k] Suarez. Et,

Sermo de ſanctiſſima Deipara non videtur eſſe S. Athanaſij, ſed

u To.1.l.4.de Angelis,art.2.p.342.
x To. eod. l. 6. de ſac.ſcript.Eccleſię, art.15.
y To.2.l.7.de pœnentia,art.1.p.782.
z Annotat.in.Tob. 12.v.12.
a Epiſt.citata.
b Bell.de ſanct. beatit.l 1.c.19.
c Rhem.Anno.in Act.1.14.
d Vide Bellar.lib. 3.de cultu ſanct.c. 16. & l.2. de Monach.c.22.
e Orthodox. explic.l.9 p.720.
f Epiſt.ſupra citata.
g To.1.Annal. ad an 48.an.nu.19.
h Loco citato nu. 23.
i Aparat.ſac.verbo Athanaſius.
k In 3.part Thom. To.2.q.37.art.4. diſput.21.ſect.1.

ſed alicuius poſterioris, qui poſt Concilium 3.*&* 4. *imò etiam* 6. *floruit*; inquit [l] Bellarminus; *ita enim accuratè diſputat de vnione diuinæ* & *humanæ naturæ in vna hypoſtaſi: nec non de appellatione Deiparæ, quòd Virgini ea appellatio iure conueniat, & denique de duabus voluntatibus, & operationibus vnius volentis & operantis Chriſti, vt dubitari non poſſit, quin iſte Author viderit decreta Conciliorum contra Neſtorium, Eutychetem, & Monothelitas,—Adde quòd in explicatione vocabuli ὁσία, dicit vocem ἰσία, ſignificare æqualitatem: at Græcis ἰσότης eſt æqualitas, non ἰσία; & tota illa diſtinctio vocis ὁσία à voce ἴσος eſt leuior, quàm vt Athanaſium decere videatur.*

l De ſcript. Eccleſ. ab an. 300. ad 400. Athanaſius.

Eodem Tomo 3. habetur *ſermo in paſſionem & crucem Domini*, qui citatur à Pontificijs, pro [m] Limbo Patrum: pro [n] libero arbitrio: & vt probent, [o] eos qui vouerunt vitam monaſticam non poſſe ad ſeculum redire.

m Lenſæus de Limbo p. 373.
n Bell. l. 4. de gra. & l. arbit. c. 9.
o Coccius To. 2. l. 4. de vita monaſtica, art. 6. p. 426.

Hic ſermo reijcitur à *Nannio*, inter eos quos non putauit eſſe *Athanaſij*.

Et de hoc ſermone, verba faciens *Eraſmus*, [q] *Sequentis* (inquit) *operis phraſis non ſapit Athanaſium: ludit enim quodammodo in ſacris literis, quod ille non ſolet.*

p Epiſt. ſupra citata.
q To. 8. operum Eraſmi, p. 311.

Eodem Tomo 3. habetur *ſermo in illud Euangelij, Quicunque dixerit verbum, &c.* qui citatur à [r] *Coccio*, vt probet Belis, Draconis, Danielis & Abacuk hiſtoriam eſſe Authenticam Scripturam.

r To. 1. l. 6. de ſac. ſcript. Eccl. art. 16. p. 675.

Hunc ſermonem relegauit [ſ] *Nannius* inter eos quos non putauit eſſe *Athanaſij*.

ſ Epiſt. ſupra citata.

Eodem Tomo habetur *ſermo breuiſſimus de Paſſione Domini*, qui incipit; *Hominum certè peccata*: qui citatur à [t] Bellarmino, vt probet: Adamum in monte Caluariæ ſepultum eſſe.

t Lib. 3. de amiſſ. grat. &c. c. 12.

Hic ſermo reijcitur à [u] *Nannio* in tertiam claſſem, inter eos quos non putauit eſſe *Athanaſij*.

u Epiſt. citata.

Eodem Tomo 3. habetur *homilia de Semente*, quæ citatur à *Coccio*, vt probet: [x] Chriſti animam verè ad inferos deſcendiſſe, vt Sanctorum animas inde liberaret. Et eodem Tomo 3. habetur *liber de Incarnatione*, qui incipit, *Mos pij hominis*, &c. Citatur à [y] *Bellarmino* in eundem finem.

x To. 1. l. 2. de Chriſto ſaluatore, art. 4. p. 163.
y Lib. 4. de Chriſto cap. 14.

Hic liber de *Incarnatione*, & illa homilia *de Semente*, reijciuntur

ciuntur à [z] *Nannio*, inter eos quos non putauit eſſe *Athanaſij*.

Tomo 4. operum *Athanaſij* habetur *libellus de diuerſis quæſtionibus ſacræ Scripturæ ad Antiochum Principem*, ſub nomine *Athanaſij*; in quo continentur *Quæſt.* 162. licet in [a] alijs varijs editionibus habentur tantùm 41. *à Reuelino Latinè redditi*. Hic liber citatut à Pontificijs varijs de cauſis. Nam quæſtio 4. [b] citatur pro diuerſis ordinibus Angelorum: octaua citatur pro modo apparitionum dæmonum. 34. [d] pro Purgatorio. 39. [c] pro Imaginibus: eiuſque libri Author ad cœlum vſque laudibus extollitur.

Sanctus Athanaſius, (inquit [f] Alanus) *bone Deus, qualem quantumq; virum verbo & opere iam nomino? Ipſum nomino, cuius memoria in Eccleſia Dei beata eſt, cuius ſolius verbum præponderat ad vnum omnibus minutis Proteſtantibus. Mirum ni aduerſarij trepident, cum eum nominatum audiunt*, inquit Alanus. Atqui luce clarius eſt, libellum hunc filium eſſe populi, nec nouiſſe parentem ſuum. Nam,

Inter opera D. Athanaſij Alex. Patriarchæ, To. 2. Comel. edit. Græcolat. editus eſt libellus quæſtionum breuium ad Antiochum, quem magni illius Athanaſij non eſſe colligitur, quod in ijs, ſancti Epiphanius & Gregorius Nyſſenus citantur, illo magno Athanaſio Iuniores, inquit [g] Martinus Delrio.

Quæſtionum ex veteri & nouo Teſtamento ad Antiochum Principem lib. 1. *continens quæſt.* 162. *cuius initium eſt, Vnde declarari poteſt*; Athanaſij non videtur, inquit [h] Sixtus Senenſis. *Suſpicor hunc ex varijs Patrum ſcriptis collectum à ſtudioſo quopiam, qui in q. 4. Theologiam myſticam Dionyſij allegat, Athanaſij ſeculo, vt arbitror, ignotam: & q. 33. citat Athanaſium ipſum, & ab eo etiam diuerſam ſententiam profert*, inquit idem [i] Sixtus.

Poſſeuinus eodem eſt iudicio, quo *Sixtus*: ſubnixus tamen melioribus argumentis quàm *Sixtus*, ſi *Poſſeuino* de ſeipſo loquenti credi fas ſit. Nam *Validiora ſunt Argumenta quæ librum non eſſe Athanaſij euincunt*, [k] inquit ille. *Nam in quibuſdam Exemplaribus feruntur quæſtiones* 162. *in quibuſdam ſolùm* 46. *& in harum* 4. *citatur Epiphanius, in opere inſcripto, Panarius; & q.* 8. *Greg. Nyſſenus in lib. de homine, tanquam*

 antiqui

z Epiſt. ſupra citata.

a Viz. in Hagenaenſi, anno 1519. & Lugdunenſi, anno 1532. & in Colonienſi, anno 1548.

b Coccius To. 1. l. 4. de Angelis, art. 2 p. 342.

c Duacenſes Annot. in Iob. p. 1061

d Bellar. l. 1. de Purgar. cap. 6.

e Harding art. 14. adu. Iuellum.

f Lib. de orat. pro animabus defunctis, c. 5. fol. 168.

g Vindiciæ Areopagiticæ c. 14.

h Bibl. ſanct. l. 4. verbo, Athanaſius.

i Ibid.

k Apparat. ſac. verbo, Athanaſius.

antiqui Authores. Dicitur enim Sanctus pater noſter Epiphanius. Conſtat autem Athanaſium illos præceſſiſſe. Quin & inde conſtat ψευδεπίγραφον eſſe, quòd Chryſoſtomus, Scala Iohannis, Maximus, Nicephorus, & alij in illo citantur, inquit idem Poſſeuinus.

Bellarminus ipſe qui hunc libellum tanquam *Athanaſij* germanum citauit, de notis Eccleſiæ lib. 4. cap. 9. & lib. 1. de Purgat. cap. 6. in *recognitione operum* agnouit errorem ſuum,[l] dicens: *Librum quæſtionum ad Antiochum non exiſtimo eſſe S. Athanaſij Alexandrini Epiſcopi, quippe qui in ipſo libro alicubi citatur, & reijcitur, niſi fortè inſerta ſint multa ab aliquo poſteriore authore*: & pleniùs in * libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui * nouiter impreſſus eſt, in quo ſic legimus: *Quæſtiones ad Antiochum, Athanaſij eſſe non poſſunt; nam Quæſt. 23. citat author Magnum Athanaſium, & ab eo diſſentit. Quæſt. 108. dicit, Romanos eſſe Francorum genus: ex quo apparet, auctorem eſſe recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in Regnis Turcarum. Quæſt. 129. citatur S. Gregorius Theologus, qui tamen poſterior eſt Athanaſio. Multo minùs Athanaſij ſunt quæſtiones 46. quæ in alijs codicibus inueniuntur: nam in ijs citantur vt antiqui Patres, Epiphanius, Greg. Nyſſenus, & alij.*

l Recognit. lib. de conc. & Eccle. pag 49.

* Ab. an. 300. ad 400. Athanaſius.

* Anno 1613. Coloniæ.

Eodem Tomo 4. habetur *Liber de Paſſione Imaginis Chriſti*, qui citatur à [m] Pontificijs, pro adoratione imaginum: Et quo concilient ei maiorem authoritatem, [n] aiunt eſſe *Hiſtoriam memoratu digniſſimam*; [o] *ipſiſſimum opus Athanaſij, Epiſcopi Alexandrini. Hæc* [p] (inquiunt) ſcripſit *nobiliſſimus ille Græcus Author, & acerrimus propugnator fidei Catholicæ. Athanaſij Alexandrini luculentus, ac pius ſermo.* Crab. in indice to. 2. Concil.

m Bell. l. 2 de imag. c. 10. & 12. Catech. Ro. in explicat. præcepti 1. p. 418. & alij.

n Colon. dial. 3. p. 59.

o Lipom. de vitis S. part. 1. nu. 26.

p Colon. loco citato.

Hic liber mirè redolet *Legendam Auream*; ſuntque ex ipſis non infimæ ſortis homines, qui ingenuè profitentur non eſſe opus *Athanaſij Magni.*

Redolere *Legendam Auream* vel minimè naſuto conſtare poteſt, ſi currens tantùm perlegerit. Hæc enim in ſumma eſt. Contigit quòd quidam è Chriſtianorum numero domicilium à quodam conductum habitaret, qui ex aduerſo lectuli imaginem Ieſu Chriſti Domini noſtri fixerat, quæ integram

integram Chriſti Domini proportionem exprimeret. Hic, non ita diu poſt id temporis, quærebat ædes maiores, quas cum inueniſſet, è domo quam habuit, in alteram migrauit: Cumque res ſuas omnes in eam tranſtuliſſet, imaginem tamen illam Domini illic obliuione reliquit, quamuis nouerat Nicodemum qui ad Ieſum noctu venerat, proprijs manibus eam compoſuiſſe, & morientem Gamalieli tradidiſſe: Gamalielem cum diem ſibi cerneret adeſſe extremũ, Iacobo eam reliquiſſe. Iacobũ Simeoni, Simeonẽ Zachæo, &c. Poſtea Iudæus commoditate loci captus, ædiculam illam conduxit, nondum animaduertens eiuſmodi imaginem illic affixam, ſuaque iſtuc transferens, aliquandiu illic habitauit. Quodam autem die cum quoſdam ex ſuis in prandium inuitaſſet, contigit vt quidam conuiuarum inſpiceret, qui plauſtra conuitiorum in Saluatorem effudit, & ad Principes Sacerdotes hominem detulit, quòd imaginem Saluatoris in ædibus conſeruaret, Nazaræumq; non eieciſſet. Conuiuator ſeipſum purgare ſtudens, terribilibus ſacramentis profitebatur ſe huiuſmodi Imaginem hactenus non vidiſſe: Attamen mane facto, congregati ſummi Sacerdotes & Seniores, cum ingenti hominum eiuſdem nationis turba, ad ædes illas in quibus imago Domini noſtri habebatur, ire pergunt, & confeſtim imaginem contemplati, furore pleni, imaginem detrahunt. Tunc omnes cœperunt expuere in faciem imaginis, colaphiſque hinc illinc faciem cædebant. Talia conuitia euomuerunt in imaginem, quæ nemo ſanæ mentis excogitare poſſit; imaginis pedes manuſque clauis ferreis forauerunt, acceptaque ſpongia aceto plena, ad os imaginis applicuerunt, ſumpto calamo caput imaginis cædere cœperunt, & tandem iuſſerunt, vt quidam latus imaginis lancea transfigeret, ex quo confeſtim ſanguinis & aquæ riuuli manarunt. Eiuſque virtute infinita planè miracula patrata ſunt, ſuper paralyticos, cœcos, claudos, ſurdos, leproſos, &c. Sicut in paſſione Dei Filij Saluatoris mundi olim contigit, cœlum expauiſſe, ita nunc quoque, &c. inquit Author.

Verùm nunquid habet probabilitatis, quenquam tam nullius memoriæ, vt eiuſmodi imaginem à parentibus ex hac

hac luce migrantibus tanquam Mnemoſynon ſibi legatum penitus obliuiſceretur, cum è domo migraret, præſertim cum ad pedes lectuli ſtaret? Ecquid probabilitatis habet Iudæum, qui in ædibus per aliquod tempus inhabitauerat, ipſam imaginem nunquam vidiſſe; è vicinis verò aliquem ad cœnam vocatum, inter cœnandum continuò deprehendiſſe? Ecquid probabilitatis habet ſanguinem ex re non ſanguinea profluxiſſe? Sed mitto hæc improbabilia: Non eſſe Athanaſij magni, neceſſarijs euincam argumentis.

a Vide edit. Colon. an. 1548. & Baſil. 1564.

Atque primum ſumam ex primis verbis. Exorditur enim Author totam fabulam verbo (*Itaque*) dicens: *Dilectiſſimi itaque, &c.* Quis enim tam iniquus rerum æſtimator, vt credat Magnum illum *Athanaſium* illaturum concluſionem ex præmiſſis nullis?

Secundum Argum deſumetur ex orationis modo. Vbi verba faciens de morbo quo leuabatur ſenex quidam per ſanguinem ex imagine profluentem, obſeruat fuiſſe eum, qui Græca locutione παράλυσις: Latina verò, *diſſolutio membrorum* dicitur. Nam, *Athanaſium* Magnum tam præciſe notaſſe quo nomine Græco, quo Latino, morbus ille diceretur, incredibile eſt, cum eum Latinè aliquid ſciuiſſe inauditum eſt.

Tertium & palmarium Argumentum colligitur ex titulo, qui antiquitus huic operi præfigi ſolebat. Qui titulus hic eſt: *D. Athanaſij Archiep. Alexandrini, de Paſſione imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qualiter crucifixa eſt in Syria, in vrbe, quæ Berythus dicitur, temporibus Conſtantini ſenioris, & Hyrenæ vxoris eius.* Nam lippis & tonſoribus notum eſt, *Athanaſium Magnum* per aliquot annorum centurias emortuum fuiſſe, priuſquam *Conſtantinus ſenior & Hyrene* vxor eius rerum potirentur.

His adde, quòd ſi *Athanaſius Magnus* hæc ſcripſiſſet, ipſius *Athanaſij* tempore res ipſa contigiſſet. Nam cum ipſe Author in ſuæ narrationis exordio, dicat id accidiſſe *diebus ſuis*: plane apparet rem geſtam ſui temporis Authorem ſcripſiſſe: verùm res iſta non contigit *Athanaſij Magni* temporibus, ſed tempore *Conc. Nicæni* 2. ſi fortè vnquam contigit. Nam, *cum qui aderant in Synodo Patres, vt in re hacte-*

nus

nus inaudita, in fletum prorupiſſe Concilij Nic. 2. Acta teſtentur, ſane quidem rem recens geſtam eſſe demonſtrant, vt recte colligit [r] *Baronius.* Quod & pluribus confirmat in [ſ] Annalibus: & in Annotat. in Martyrolog. Rom. Vbi, *Plane* [t] (inquit) *conſtat Authorem illius Hiſtoriæ non eſſe Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, vt habet recens inſcriptio, nec in Synodo tanquam Athanaſij illius cognitam, &c.* & paulò poſt: *Alicuius alterius potiùs Athanaſij in Syria, Epiſcopi, quam Alexandrini tractatus ille eſſe conſpicitur.*

r Annal. to. 9. ad an. 767. nu. 29.
ſ Nu. 3.
t Nouemb. 9. 1.

Cuius cenſura eo magis obſeruanda, quòd [u] *Gretſerus* & [x] *Poſſeuinus*, par Papiſtarum, qui *Baronio* alioqui ſunt addictiſſimi, & quaſi in eius verba iurati, hac in cauſa *Baronium* deſerunt, impudentiſſime aſſerentes, vt & etiam [y] *Bellarminus*, quòd *licet dubium eſſe poteſt num ſit opus Magni Athanaſij, tamen certum eſt eſſe antiquiſſimi Authoris, quandoquidem citatur* (ſic enim mentiuntur) *tanquam antiquiſſima Hiſtoria in 7. Synodo Act. 4.*

u Lib. 1 de ſanct. Cruce, c. 98.
x Apparat. ſac. verbo Athanaſ.
y Lib. 2. de imagin. c. 10.

Verùm audiamus Cardinalem Ieſuitam ex hiſtoriæ iſtius aſſertoribus virum primarium, & ſibi ipſi & ſocijs ſuis os obſtruentem. *Liber*, * inquit, *De Paſſione Imaginis Domini citatur in 2. Nicena Synodo* (quam * ipſe collocat in anno 787) *Act. 4. vbi totus hic liber legitur & recipitur ſub nomine S. Athanaſij: Sed non videtur eſſe S. Athanaſij huius, ſed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidiſſe hoc miraculum Anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quæſtio agitabatur de cultu ſacrarum imaginum.* Hæc Bellarminus.

* Lib. de Script. Eccleſ.
* In Chronol. lib. eid. ſubiecta, part. 2

Eodem Tomo 4. habetur *Epiſtola* ſub nomine *Athanaſij & Egyptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam*, quæ citatur à nonnullis [u] Pontificijs, partim vt probent, Pontificis Primatum; partim vt probent, plures Canones in prima *Nicena* Synodo confectos, quàm 20. Verùm hanc Epiſtolam *ſuppoſititiam* eſſe, & falsò *Athanaſio Magno* attribui, qui primas tenent inter Pontificios, liberè agnoſcunt. Quorum primus ſit [x] *Bellarminus* Cardinalis, cuius hæc ſunt verba: *Quod illi canones non ſunt omnes* (loquitur de canonibus. Conc Nic. 1.) *probant nonnulli ex Epiſtola Athanaſij ad Marcum Papam, in qua petit exemplum Niceni Con-*

u Lindan Panopl. l. 4. c. 89. fol. 441.
x Lib. 2. de Rom. Pont. c. 25. Vide eundem l de Eccl. ſcript. ab an. Dom. 300. ad 400 Athanaſius, & ab anno Dom. 1100. ad 1200. Gratian.

 cilij

cilij ex Romani Pontificis ſcrinio, aſſerens exempla quæ erant Alexandriæ, fuiſſe cremata ab Arianis. Sed hoc argumentum ridetur à Magdeburgenſibus, & verè non eſt ſolidum. Nam illa incenſio librorum accidit tempore Cōſtantini Imperatoris, quando Athanaſio expulſo Georgius quidam Arianus in eius locum ordinatus eſt, vt ipſe Athanaſius teſtatur in Epiſtola ad omnes Orthodoxos: Conſtat autem ex Chronico Hieronymi, Marcum Papam eo tempore iam fuiſſe defunctum. Deinde ſi Marcus Papa exemplum miſiſſet ad Alexandrinos ex Romano ſcrinio, certe conueniſſent deinceps inter ſe exemplaria Romanum & Alexandrinum. Quomodo ergo in exemplari à S. Cyrillo ex Alexandria ad Affricanos miſſo, deerant iſti canones tres qui inueniebantur in Romano? Hactenus Bellarminus.

y Annal. To. 3. ad an. 336. nu. 59.

Cui concinit [y] *Baronius*, cuius hæc ſunt verba. *Mirum certe, cum diu multumque inter Eccleſiam Affricanam & Romanos Pontifices Zoſimum ac Bonifacium agitata ſit controverſia de numero Nicænorum canonum, ipſos eiuſmodi Epiſtolas* (Videlicet Athanaſij ad Marcum, & Marci ad Athanaſium) *præteriiſſe. At Mercatoris merces nonnihil ſuſpectæ redduntur, vtpote quæ germano rectæ rationis & temporis ſigno minime inueniantur eſſe ſignatæ. Quonam pacto, quæſo, ſub dictis Coſſ. potuit Athanaſius Alexandria ad Marcum ſcripſiſſe, qui iam exul hoc anno agebat in Gallis? Et quænam ſub Conſtantino graſſatio Arianorum contigit in Ægypto, cum non Marci tempore, ſed multo poſt, quando Conſtantinus Georgium in locum Athanaſij ſubrogauit, paſſa ſit Eccleſia Alexandrina violentam Arianorum vaſtationem? Sed quonam pacto Marcus potuit decimo Kalend. Nouembris ſcripſiſſe ad Athanaſium, cùm hoc ipſo anno nonis Octobris reperiatur eſſe defunctus? Eum quidem non niſi 8. menſes ſediſſe, S. Hieronymus teſtatur in Chronico*, inquit Baronius. Quæ adeo vera viſa ſunt *Peſſeuino*, vt Categoricè [z] concludat: *Ad Marcum Papam Epiſtolam, & Marci reſcriptum, ſine dubio non eſſe Athanaſij.* Bellarminus denique verbo vno totum ferè Tomum hunc quartum diſpungit. *In hoc*,[*] inquit, *Tomo nihil ferè eſt, quod verè ſit Athanaſij.*

z In Apparat. ſac. verbo Athanaſius.

* Lib. de Script. Eccleſ.

In 1. Tomo Concil. edit. Binnianæ habetur *Epiſtola*, quam *Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorum, Thebaidarum, & Lybiorum*

Lybiorum Epiſcopi in ſuncta Alexandrina Synodo, gratia Dei, congregati, dicuntur ſcripſiſſe ad Fœlicem. 2. Papam Romanum. Hæc citatur à [a] Pontificijs paſſim, pro Primatu Pontificis Romani: *Omniumque authoruatum eò ſpectantiũ hac maximè obſeruanda*, inquit [b] Hardingus.

Si hæc epiſtola ſuſpiciendum maximè præbeat argumentum pro primatu Pontificis Romani, actum eſt de Pontificis Romanis primatu. Nam hæc Epiſtola eiuſdem eſt farinæ cuius illa altera (de qua diximus) ad *Marcum.* Sic enim de hac [c] *Baronius. Quæ fertur Athanaſij nomine ad Fœlicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina ſcripta ab Epiſcopis Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, haud æquè probatur, quippe quòd talis fuerit ſtatus Eccleſiæ Alexandrinæ, ab eo tempore, quo, exulante Liberio, Fœlix ſedere cœpit, vt nullus plane locus, vel tempus cogendæ Synodi potuerit eſſe, Athanaſio fuga elapſo, & in eremo latitante, atque alijs Epiſcopis pariter exturbatis. Sunt præter hæc multa alia, quæ ibi poſita minus arrident, vt cum de ipſius Fœlicis ordinatione Athanaſius eundem Fœlicem reddit certiorem. At ipſe ſuas merces Mercator emat.* Hactenus Baronius, cuius cenſuram totidem verbis refert Binnius, eamque approbat. Nam *hæc Epiſtola ſub nomine Athanaſij, &c. de fide ſuſpecta eſt, &c.* inquit [d] Binnius.

a Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10. & l. 2. c. 15. Campian. ratione 5. Hardin. art. 4. ad Iuelli prouocat.

b Loco citato.

c Annal. To. 3. ad an 357. nu. 66.

d To. 1. Conc. pag. 492. in notis.

Opera falsò adſcripta Athanaſio, quæ alibi quàm in prædictis Tomis reperiuntur.

HAbentur *Commentarij* ſub nomine *D. Athanaſij In omnes Pauli Epiſtolas* impreſſas Lugduni, 1532. & alibi ſæpius. Hij citantur à [b] *Whito*, & [c] *Verniero*, pro reali Chriſti præſentia in Sacram. & à [d] *Smytho* & alijs, pro cœlibatu ſacerdotum.

Hos ſuppoſititios eſſe fatentur Pontificij. Nam *ſunt qui data opera per fraudem & dolum inſcriptiones deprauent, & immutent, idque ob varios, ſed peſſimos fines. Alij vtilitatis, quæſtus, ac turpis lucri gratia, ceu ſunt voluminum ſcriptores, impreſſores, inſtitores vel venditores, qui vulgarium & interdum quoque obſcurorum hominum partus nobiliorum authorum titulis*

b Diacoſ. Martyr. fol. 23.

c In magno & vniuerſali Concilio.

d De cœlibatu ſacerdotum c. 3.

tulis coronant, nimirum tali fuco, ſtultam feſtinantium emptorum credulitatem aucupantes.— Sic Theophylacti collectiones in Paulum, ſub ſplendidiore Diui Athanaſij nomine vendidere, inquit [f] Sixtus Senenſis. Qua etiam in ſententia ſunt [g] *Salmeron,* [h] *Poſſeuinus,* &, qui vnus eſt inſtar omnium, [i] Bellarminus, cuius hæc ſunt verba: *Tribuuntur S. Athanaſio à nonnullis Commentaria in omnes Epiſtolas S. Pauli. Sed ea Theophylacti ſunt, non Athanaſij.*

In libro qui inſcribitur *de vitis Patrum,* habetur *vita S. Antonij Abbatis,* quæ ab *Athanaſio* Epiſcopo Alexandrino dicitur conſcripta; quæ citatur varijs in locis à [k] *Bellarmino,* [l] *Copo,* & [m] alijs Pontificijs. Quam vitam [n] *Bellarminus* ait, *reuera eſſe inſigne volumen.*

Hanc vitam non eſſe reuera *inſigne illud volumen* quod ſcripſit *Athanaſius,* vel ex eo conſtare poteſt, quòd in hoc *Antonius* in ipſo quaſi mortis articulo, duobus fratribus qui ei iam ſeni cœperant miniſtrare præcepit, vt *Melotem & pallium tritum cui ſuperiacebat, Athanaſio Epiſcopo darent, quod ipſe nouum illi detulerat.* Nam teſte [o] *Hieronymo, Paulus Eremita* ante aliquot annos dono petierat, obtinueratque pallium illud ab *Antonio.*

Rurſus *S. Hieronymus* multa notatu digna de *Antonio* refert, quorum nullum in hoc volumine veſtigium. Sanctus *Hieronymus* [p] refert *Antonium conſpexiſſe hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocentauri vocabulum indidit. S. Hieronymus* refert congreſſum *Antonij* cum *Paulo Eremita,* & quo modo *Coruus integrum illis panem quaſi cœlitus detulit, &c.* Atqui vnde harum rerum notitia *Hieronymo* præterquã ex volumine illo *Athanaſiano de vita Antonij,* quam *Hieronymus* tranſtuliſſe dicitur? Quæ cum in iſto non habentur, apparet hoc aliud prorſus ab illo eſſe.

Nec quicquam huic rationi præiudicat, quod [q] *Baronius* & *Poſſeuinus* notant, viz. *Inde accidiſſe vt in vita Antonij ab Athanaſio conſcripta, de congreſſu Pauli cum eo nulla penitus mentio habeatur, quod Athanaſius res geſtas Antony, ipſo adhuc viuente ſcriptis commendauit.* Nam ex ipſa præfatione operis manifeſtum eſt, libellum hunc conſcriptum fuiſſe poſt mortem *Antonij.* Sic enim in ea legimus. *Quoniam exegiſtis*

f De falſa librorũ inſcriptione ad finem l.4. Bibl. Sanctæ.
g In Epiſt. Pauli diſput. 19.
h In Apparat. ſac. Athanaſius.
i De ſcript. Eccl. Athanaſius. ad an. 340.
k Lib. 2. de Imag. c. 29. l. 3. de cultu ſanct. c. 4. l. 2. de Monachis c. 5. l. 2. de reliqujis c. 3.
l Dial. 3. c. 11. & Dial. 4. c 6.
m Cenſura Colon. Dial. 3.
n Lib. 2. de Monach. c 5.
o In vita Pauli To. 1.
p Loco citato.
q Annal. To. ad An. 343. nu. 6.

exegiſtis à me, vt vobis ſcriberem de conuerſatione B. Antonij, volentibus diſcere quemadmodum cœpit, quidve fuerit ante ſanctum propoſitum, qualem etiam habuerit terminum vitæ, & ſi vera ſunt ea, quæ de eo fama diſperſit, vt ad eius æmulationem atque exemplum vos inſtituere poſſitis, magna cum lætitia ſuſcepi veſtræ charitatis imperium. Quod & ex concluſione etiam conſtat, Nam *quis finis eius vitæ fuerit, dignum eſt & me commemorare, & vos cum deſiderio audire*, inquit idem Author. Oſtendens porro, quam ſalutare conſilium moriens dederit aſtantibus, quemadmodum quæ habuit, diſtribuerit, quo modo de funere prouidit, & qua fidelitate egerunt diſcipuli, corpus humo operientes vt præceperat. r Apparat. ſac. verbo. Antonius Ægyptius.

* *Athanaſius vnum habet locum inſignem & minimè tritum, de ſeruanda imagine ſaluatoris. In quo inducit Chriſtum & Eccleſiam mutuò inter ſe, dialogorum more, colloquentes. Qui locus non eſt tritus*, inquit [ſ] *Hardingus. Age, inquit Chriſtus, ad Eccleſiam, dic mihi cur oppugnaris? Oppugnor (inquit Eccleſia) propter verum & firmum Paſcha, quod agito, & propter religioſam & puram imaginem tuam, quam mihi Apoſtoli reliquerunt, vt haberem depictam arcam humanitatis tuæ, in qua myſterium redemptionis operatus es. Hîc Chriſtus, Si propter hoc (inquit) te oppugnant, ne grauiter feras, neve animum deſpondeas, cum ſcias, ſi quis Paſcha neget, aut imaginem, me eum negaturum coram Patre meo & electis Angelis.* * Athanaſius in ſer. de ſanct. patribus & prophetis. ſ Artic. 14. ad Iuelli prouocat.

Verum quidem eſt illud, *Hardingi*, hunc locum non eſſe tritum; nam nullibi inter opera *Athanaſij* reperitur. Impreſſa habemus opera *Athanaſij Romæ, Baſileæ, Pariſijs*, Anno 1520. 1555. 1564. 1572. 1581. 1582. 1598. 1608. & alibi aliàs: verùm hic locus nullum locum habet in aliqua harum editionum, ne in [t] *Comelini* quidem. In * qua tamen habentur *fragmenta aliquot operum D. Athanaſij, ſiue amiſſorum, ſiue vulgo non extantium.* Veriſimile mihi videtur, pulchellum hunc locum *Veronæ* in Italia ſitu & puluere iacuiſſe cum *Hardingi Amphilochio*. Nam huc vſque in hac terrarum orbis parte nuſquam viſus eſt, nec auditus quidem, niſi à Romanenſibus nugiuendulis. t An. 1600. * To. 2. prope finem.

Operæpretium feciſſent Romanæ Eccleſiæ Principes, qui hunc locum nobis obtrudunt ſpecioſo nomine *Athanaſij*, ſi notaſſent, qua orbis parte, quibus hoſtibus, quanto tempore, Eccleſia Chriſti adeo oppugnata fuit, ob imaginem Chriſti. [u] *Bellarminus* Cardinalis aſſerit *Zenaiam Perſam primum fuiſſe qui aſſeruit Chriſti & Sanctorum imagines non eſſe venerandas.* Et hunc *Zenaiam Perſam* vixiſſe circa annum Domini 485, teſtatur [x] *Baronius*, Cardinalis æque ac *Bellarminus*. Si *Zenaias Perſa*, qui vixit circa annum 485 *primus* fuit *Iconomachus*, quî oppugnari potuit Eccleſia Dei ob imagines tempore *Athanaſij*, cum ſatis pateat *Athanaſium* 100. prope annis emortuum eſſe priuſquam de *Zenaia Perſa* verbum vllum? Sin oppugnata non fuit Eccleſia tempore *Athanaſij*, pueriliter egit Eccleſia conquerens de non illata iniuria, & iniuriam faceret *Athanaſio* non paruam, qui eum nulla de cauſa Eccleſiam tam querulam facere, aſſerit.

u Lib.4.de notis Eccleſiæ, c.9.

x Annal. To.6.ad an 485. nu.16.

Faceſſat ergo [y] *Gretſerus*, vnà cum *Hardingo*, qui ex eodem loco nobis perſuadere velit, *D. Athanaſium authorem grauiſſimum, & ſanctiſſimum, exiſtimaſſe in Eccleſiis Galatarum fuiſſe crucifixi imagines, eundemque minime pro Idolis aut alio titulo illicitis habuiſſe imagines crucifixi*; & quod mirabile magis, *D. Athanaſium* collegiſſe *Galatas* habuiſſe imagines crucifixi, ex illis Apoſtoli verbis: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus depictus eſt in vobis crucifixus?* Nam nemo niſi inſenſatus prorſus, quem aliquis *Balaam* faſcinauit, ne veritati crederet, vnquam credet *Athanaſium* virum tam doctum, tam diſertum, è textu tali ſenſum talem eruiſſe.

y To.1.lib.2. de cruce, c.1.

Cap. 3. 1.

Marci Papæ Epiſtola ad Athanaſium, & omnes Ægypti Epiſcopos, citatur à [a] *Bellarmino*, vt probet: Romanum Pont. ex Cathedra docentem non poſſe errare: Et, [b] *Petro* ſuccedere in Eccleſiaſtica Monarchia. Citatur à [c] *Cano*, vt probet: Septuaginta eſſe *Nicêni Concilij* Capitula; & appellatur à [d] *Coſtero, præclariſſima Epiſtola.*

a Lib.3. de verbo Dei, c.5.
b Lib.2.de Rom. Pont.c.14.
c Loc.Com. lib.6. c.4.
d Enchirid. controu c.3.
e Epiſtola Nuncupat. in Athanaſiū.

Hæc Epiſtola relegatur à [e] *Nannio* tanquam ſuppoſititia, idque merito. Primo, quia cum diu multumque inter Eccleſiam *Africanam*, & Romanos *Pont. Zoſimum ac Bonifa-*

cium agitata ſit controuerſia, *de numero Nicênorum canonum*, hæc Epiſtola minimè illis cognita fuit, agnoſcente [f] *Baronio.* Secundò, quia in hac Epiſtola *Marcus Papa* dicitur miſiſſe in Ægyptum ad *Athanaſium*, 70. *Nicêni Concilij Capitula*, quæ *Athanaſius* à Romana Eccleſia, datis ad Marcum Papam literis, poſtulabat impartiri: cum *Athanaſius* hoc anno, non in *Ægypto*, ſed in *Galijs* exul agebat, [g] fatente eodem *Baronio.* Tertiò, quia hæc Epiſtola data eſt 10. *Kalendas Nouembris, Nepotiano atque Facundo Coſſ.* Cum hoc ipſo anno nonis Octobris, *Marcus Papa* reperiatur eſſe defunctus. Quomodo enim fieri potuit, eam datam eſſe ab ipſo *Marco* Epiſtolam, ſi iam ante ipſe ex humana vita deſierat, vt verè annotat [h] *Baronius?* Quartò, Si *Marcus Papa* exemplum *Nicêni Conſilij* miſiſſet ad *Athanaſium & Alexandrinos ex Romano* ſcrinio, (quod in iſta ſub *Marci* nomine Epiſtola affirmatur) certe conueniſſent deinceps inter ſe exemplaria *Romanum* & *Alexandrinum.* Atqui id falſum. Nam in exemplari à *Sancto Cyrillo* ex *Alexandria* ad *Africanos* miſſa, deerāt *Canones tres* qui inueniebantur in *Romano*, vt patet in *Concilio Carthaginenſi 6.* nec diffitetur [i] *Bellarminus.* [k] *Baronius* eundem eſſe putat *Authorem*, qui has concinnauit literas, cum eo qui finxit Epiſtolam illam *Bonifacij Papæ ad Eulaliū Epiſcopum Alexandrinum, de reſtituta communione Eccleſiæ Africanæ.* Atqui is inſulſus aliquis Nebulo fuit, vt paulo infra, ex *Bellarmino*, & *Baronio* oſtendam. * Bellarminus ipſe, *conſtare* ait, *hanc Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam.*

Iulij primi Epiſtola prima ad Orientales Epiſcopos citatur à [l] *Bellarmino*, vt probet: Omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationem, & dignitatem à Romana Eccleſia. Citatur à [m] *Greg. de Valentia*, vt probet: Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, B. Petri ſucceſſorem eſſe: & ab [n] *Hardingo*, vt probet: Non debere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrare.

Hæc Epiſtola data eſt *Feliciano & Maximiano Coſſ.* At ex [o] *Baronij Annalibus* conſtat, in Pontificatu *Iulij* nullū *Maximianum* extitiſſe Conſulem.

Iulij primi Epiſtola ſecunda contra Orientales pro Athanaſio, citatur à [p] *Bellarmino*, vt probet: grauiores cauſas per-

f Annal. To.3. ad an.336. nu.59.

g Loco citato.

h Loco citato.

i Lib.2. de Rom. Pont. c.25.

k Ad an. 336. nu. 60. to.3.

* Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an.340. & ad an.1145.

l De Rom. Pont. l.1. c.23.

m Analyſis fidei l.7. c. 11.

n Art.4. ad prouocat. Iuelli.

o To.3. ad an.337. &c.

p De verbo Dei, l.3. c.7.

tinere ad iudicium ſedis Apoſtolicæ ex decreto *Concilij Nicêni.* Citatur à [q] *Cano*, vt probet: licere omnibus Epiſcopis in cauſis grauioribus appellare Apoſtolicam ſedem, idque ex decreto etiam *Concilij Nicêni.*

[q] Loc.com.l.6.c.4.

Hanc Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe multis probatur argumentis, ac primò, quia data eſt ijdem *Coſſ.* quibus prior, *Feliciano* viz. & *Maximiano.* Nam vt ſupra dixi, In toto Pontificatu *Iulij* nullus fuit *Maximianus* Conſul. Secundò quia omnino diuerſa eſt ab ea, quæ certa & indubitata eſt Epiſtola *Iulij*, quam videre licet apud [r] *Athanaſium.* Tertiò quia meminit multorum *Canonum Nicênorum*, quorum ne vnus quidem repertus fuit, vel in [ſ] exemplari *Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis*, vel *Cyrilli Epiſcopi Alexandrini*, vel *Attici Conſtantinopolitani*: vel in quoquam probato *Authore*, qui Canones Concilij Nicêni recenſuit. Quartò, quia hoſce *Canones in ſacro Rom. Eccleſiæ ſedis ſcrinio* repoſitos eſſe, ſancte iurat, inquiens, *Verum me dixiſſe, teſtis eſt diuinitas.* Cum tamen in illa nobili controuerſia de *Numero Nicênorum Canonum*, inter *Africanos* & *Rom. Pontifices*, de qua ſupra, hæc Epiſtola non magis cognita illis fuit, quam altera *Marci.* Quî enim fieri potuit, vt hij *Canones* laterent *Zoſimum*, & reliquos, ſi *Iulius* tam tuto loco eos repoſuiſſet, in ipſo *Eccleſiæ Rom. ſedis ſcrinio?* Quintò, quia hæc tota eſt in deprædicando *Pontifice Romano*, cum illa quæ apud *Athanaſium* extat, & vera, legitimaq; cenſetur ab omnibus, Conciliorum authoritatem prædicat.

[r] Apolog.2.

[ſ] Conc.Carth.6.c.9.Conc. African. c.102.c.103.

His, & huiuſmodi argumentis adductus eſt [t] *Baronius*, vt hanc Epiſtolam *ſuſpicione laborare* dicat. De qua ſi quis deſideret plura, videat *Ioh.Rainold.* in Colloq. cum Hatto c.8. ſect.6. & *D.Bilſonum* de Chriſtiana obedientia, &c. part.1.

[t] Annal To.3.ad an.341.nu.59.

Fœlicis ſecundi Epiſtola prima ad Epiſcopos Ægypti citatur à [u] *Cano*, vt probet: Hæreticos quædam Capita è Concilio Nicêno expunxiſſe. Et à [x] *Stapletono*, vt probet: licere ex toto orbe ad Romanum Pont. appellare.

[u] Loc.com l.6.c.4.fol.196.
[x] Relect.controuerſ.cont.3.q.7.

Hæc Epiſtola data eſt *Agario & Iuliano Coſſ. At alterius iſtorum, Agarij videlicet, nemo eorum qui Romanos Conſules recenſent, mentionem facit*, teſte [y] Petro Crabb. Præterea poſtrema pars huius Epiſtolæ verbatim deſumpta eſt ex Epiſtola

[y] Annot. in hanc Epiſt.to.1.conc. p.362.

ſtola *Fœlicis Papæ* 1. *ad Epiſcopos Galliæ.*

Habetur Epiſtola nomine *Damaſi ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem*, poſita in initio *Tom.* 1. *Conciliorum*: quam præcedit Epiſtola eiuſdem *Aurelij* nomine ad *Damaſum* primò ſcipta, qua petierat ab Apoſtolica ſede ad ſe mitti *Decreta Romanorum Pontificum.* Hæc citatur à [z] *Gratiano*, vt probet: In Spiritum ſanctum blaſphemare qui Pontificios Canones violant.

z 25.q.1.violatores.

Hæc Epiſtola data eſt *Gratiano & Siricio Coſſ.* At *apparet nec poſt annos quindecem Aurelium creatũ eſſe Epiſcopum Carthaginenſem, ſed perſeueraſſe Diaconum*, inquit [a] Baronius: ex quo videre poteſt lector, longe abeſſe vt Damaſus hoc anno ad Aurelium Epiſcopum ſcripſerit, vel acceperit ab Aurelio Epiſcopo literas.

a Annal to.4.ad an. 374.nu.11.

Non fuere eius literæ quæ nomine Damaſi leguntur ſcriptæ ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, poſitæ ab Iſiodoro Mercatore in ſuæ collectionis exordio, inquit [b] Poſſeuinus.

b Apparat. ſac. verbo, Damaſus.

Damaſi Epiſtola de Chorepiſcopis ad Numidiæ Epiſcopos, citatur à [c] *Bellarmino*, vt probet, Romanum Epiſcopum ſuccedere *Petro* in Eccleſiaſtica Monarchia.

c Lib.2.de Rom. Pont.c.14.

Hæc Epiſtola data eſt *Libio & Theodoſio Coſſ. At iſtorum Conſulum annus non memoratur à Caſſiodoro, aut Gregorio Haloandro, aut Mariano Scoto, ſed tempore Damaſi Papæ*, teſte [d] Petro Crabb; nec à *Baronio* quidem in Annalibus. [e] *Duarenus* ait, hanc Epiſtolam eſſe *verboſam*; ſi dixiſſet etiam *ineptam*, & *puerilem*, nihil aberraſſet à vero. Quid enim puerilius & ineptius, quam admonere Epiſcopos (quod hic facit) *Epiſcoporum nomen pluralem in ſe continere numerum, & apud Grãmaticos pluralis eſſe genitiui?* Præterea, poſtrema pars huius Epiſtolæ habetur in *Epiſtola Ioh.* 3. *ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ. Damaſi Epiſt. ad Stephanum*, citatur à [f] Bellarmino, vt probet: Cauſas grauiores ad iudicium ſedis Apoſtolicæ pertinere.

d Notis ad finem huius Epiſt. to.1. Conc.

e De ſac. Eccle. Miniſt. &c.l.1.c.9.

f Lib.3.de verbo Dei,c.7.

Hæc Epiſtola data eſt Octauo Kal. Nouembris, *Flauio & Stilicone Coſſ.* At *Horum Conſulum annum non recenſent ſub tempore Damaſi Papæ, nec Marianus Scotus, nec Caſſiodorus, nec Gregorius Haloander*, inquit [g] Crabb: nec *Baronius* in Annalibus.

g Notis ad finem huius Epiſtol.to.1. conc.

h De verbo Dei, l.3.c.7.

Damaſi Epiſtola ad Epiſcopos Italiæ, citatur à [h] *Bellarmino*, vt probet: librum Eccleſiaſtici eſſe Canonicum.

Hæc Epiſtola data eſt *Syricio & Ardubure Coſſ.* At *Syricium & Arduburem ſimul, nec Caſſiodorus, nec Gregorius Haloander, nec Marianus Scotus ponunt*, inquit [i] Crabb; cui & addas, nec *Baronius* in Annalibus.

i Notis in hanc Epiſto.1.conc.

Inter Epiſtolas *Damaſi* habetur Epiſtola cuiuſdam *Stephani Archiep. Mauritaniæ.* Hæc Epiſtola *Stephani* citatur à [k] *Bellarmino*, vt probet: Rom. Pontificem dici Patrem Patrum, & ſummum Pontificem.

k Lib. 2. de Rom. Pont.c.31.

Hic *Stephanus*, *Archiepiſcopum* ſe vocat *Concilij Mauritaniæ*, ſtylo prorſus nouo & inaudito. Hic *Stephanus* precatur Deum pro *Damaſo* his verbis, *Conſeruet vos Deus Paſtorem bonum.* Qui barbariſmus recentiorem ætatem redolet. Quod ex *Ænea Syluio* patet. [l] Is enim *Iohanni Capiſtrano* ſcribens, *Dabis* (inquit) *mihi veniam, Pater optime, ſi tuæ reſponſurus Epiſtolæ, non plurali, quemadmodum vſus modernorum habet, ſed ſingulari te numero compellauerim. Sic enim & Hieronymi & Auguſtini & omnium veterum obſeruantia fuit, meo iudicio, quàm noſtri temporis conſuetudo multo melior, atque conuenientior. Quid enim abſurdius aut ineptius eſſe poteſt, quàm ſi vnum allocuturus hominem, Audite, inquam? Maiores certe noſtri hoc vitium inter Barbariſmi ſpecies numeraſſent.* Hæc ille. Quid quod Epiſtola *Damaſi* qua huic reſpondet, ſuppoſititia eſt, vt ſupra oſtendimus?

l Epiſt.405.vide etiam Epiſt. 105.& 125.

Anaſtaſij Epiſtola prima, citatur à [m] *Bellarmino*, vt probet: Homines audire debere Euangelium ſtantes, ob reuerentiam Domini loquentis.

m Lib.2. de Miſſa c.16.

Duæ Anaſtaſij nomine habentur ſcriptæ epiſtolæ decretales, ſed quarum prior cum data reperiatur Coſſ. Arcadio & Bautone, ante annos ab eiuſdem Anaſtaſij ingreſſu quatuordecim; plane apparet, (ſi legitimam & non ſuppoſititiam eam velimus) alijs Pontificibus quàm Anaſtaſio adſcribendas. Illud etiam non ignoramus, maximam partem eiuſdem prioris epiſtolæ, vbi agitur de Manichæis, reperiri apud Leonem Magnum Rom. Pont. in Epiſt. 2. data ad vniuerſos Eccleſiæ Epiſcopos; quod quidem de impoſtura ſuſpicionem auget, inquit [n] Baronius.

n Annal. to. 5. ad An.402.nu. 48.

Prima Epiſtola Anaſtaſij legitur data, Arcadio & Bautone Coſſ.

Coſſ. quorum tamen conſulatus ſecundùm Caſſiodorum, Proſperum, & Gregorium Haloandrum, fuit circa an. Domini 387. —*circa initium Papatus Syricij, qui quindecim annis ſediſſe ſcribitur; vnde difficile eſt intelligere, quomodo Conſules iſti attigiſſe inueniantur tempora Anaſtaſij Papæ,* inquit [o] Crabb.

Innocentij 1. *Epiſtola ad Decentium* citatur à [p] Bellar. vt probet: Confirmationem eſſe ſacramentum: Et, [q] die Sabbathi ieiunandum; &, [r] Auricularem confeſſionem, & [ſ] Papiſticam ſatisfactionem.

In hac Epiſtola legimus, *Manifeſtum eſſe in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Aphricam atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores, conſtituerunt ſacerdotes.* Legimus etiam, *nuſquam inueniri alium Apoſtolorum à Petro, in his prouincijs docuiſſe.* Atque hæc tam craſſa, tam patentia, tam obuia ſunt mendacia, vt *Innocentium* non videantur referre parentem. Nam conſtat ex *Actis Apoſtolicis cap.* 28. *S. Paulum* docuiſſe in *Italia:* Conſtat ex Patribus [t] Græcis & [u] Latinis, eundem docuiſſe in *Hiſpania. Iacobum etiam docuiſſe in Hiſpania conſtans eſt traditio omnium Eccleſiarum Hiſpaniæ*, teſte [x] *Baronio.* Et idipſum legitur in *Breuiario Pij* 5. *Iulij* 25. Imo *Iacobum* illic fundaſſe Eccleſiam *Bracarenſem*, & illic præfuiſſe *S. Petrum Martyrem*, legimus in [y] *Alphonſo Villegas. Simonem Cananæum* docuiſſe in *Africa*, & in *Britannia*, teſtantur [z] *Dorotheus*, & *Nicephorus*, & *Græci* in [a] *Menologio. Philippum Gallos* Chriſtiana fide imbuiſſe, apud [b] *Iſiodorum* legitur, & in *Breuiario Toletano* inſtitutionis *S. Iſiodori.*

Innocentij 1. *Epiſtola ad Victritium*, citatur à Bellarmino, vt probet: Cœlibatum iure Apoſtolico rectiſſime annexum ſacris Ordinibus: Et, Matrimonium poſt votum ſolenne nullum eſſe.

Hæc Epiſtola, fere ad verbum, eadem eſt cum Epiſtola *Syricij ad Epiſcopos Africæ*, ac idcirco non videtur *Innocentij.*

Innocentij Epiſtola ad Exuperium, citatur à [c] *Bellarmino*, vt probet: Libros Tobiæ, Iudith, &c. eſſe Canonicam Scripturam: Et, [d] Matrimonium inſolubile eſſe quoad vinculum.

o Notis in hanc Epiſt. to. 1. conc.
p Lib. de confirmat. c. 3.
q Lib. 2. de bonis operibus in partic. c. 18.
r Lib. 3. de pœnitent c. 9.
ſ Lib. 4. de pœnit. c. 9.
t Athana. Epiſt. ad Dracontium. Theodoret. in Epiſt. ad Philip. c. 1.
u Greg Moral. l. 31. c. 22. & c. Vide Baronium in Annal. To. 1. ad An. 61. nu. 3 & in notis ad Martyrol. Rom. Martij 22.
x Annal. To. 1. ad An. 44. nu. 1.
y Flos ſanctorum, Iulij 25.
z In Synopſi.
a Lib. 1. cap. 40.
b De vita & obitu ſanct.
c Lib. 1. de verbo Dei, c. 10.
d Lib. 1. de Matrimon. cap. 16.

e Part.1.tripl.Conuerſ. Angl.c.4.nu. 29.

[e] *N. D.* inter alia Argumenta quibus probat Epiſtolam quæ fertur nomine *Eleutherij Papæ ad Lucium Britanniæ Regem*, eſſe ſuppoſititiam, hoc vrget, quod in illa *multa ſunt Scripturæ loca parum ad rem facientia, inepte applicata, indigna Eleutherio.* Atque ſane, ſi hæc ratio ſatis ſit firma ad id quod inſtituerat probandum, hæc Epiſtola *Innocentij ad Exuperium* ſuppoſititia etiam erit. Nam in hac ſunt Scripturæ loca parum ad rem facientia, miſere applicata, indigna *Innocentio.* Imo quædam ſunt loca quaſi è Scripturis citata, quæ in Scripturis noſtris non habentur. In hac Epiſtola legimus, quod *in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruientes ſacris oblationibus, puri & ab omni labe mundati, ſibi vindicent diuina myſteria.* Atqui hoc nullibi in Scriptura reperitur. In hac legimus in Euangelio ſcriptum; *Qui dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur, ſimiliter & qui dimiſſam duxerit mœchatur:* cum non legatur ſimpliciter eo modo, ſed cum exceptione: *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicatione, &c.* In hac Epiſtola vt probet, fas non eſſe vt admittantur ad ſacrificandum, qui exercent cum vxore carnale conſortium, allegat illud [f] Leuitici, *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum.* Et illud [g] Pauli, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum*: quaſi [h] *Paphnutius* erraſſet, qui *Caſtitatem eſſe in coniugio* dixit: Et [i] *Paulus* ipſe, apud quem ſcriptum inuenimus, *thorum eſſe immaculatum.*

f Leuit. 11.
g Tit.1.
h Socrat.Hiſt.lib.1.c.8.
i Heb.13.

Innocentij Epiſtola ad Conc. Carthag. quæ eſt 25. inter *Innocentij Decretales*, citatur à [k] *Bellarmino*, vt probet: Liberum eſſe arbitrium. A [l] *Cano*, vt probet: Apoſtolicam ſedem conſulendam eſſe. Et, [m] Epiſcopum Romanum ſucceſſorem eſſe *Petri.*

k Lib. 3. de lib. Arbit.c.25.
l Loc.com.l.6.c.4.
m Cap. 8.

In hac Epiſtola, & dictionem, & ingenium, tali dignam Præſule deſiderare cogimur, inquit [n] Eraſmus.

n Cenſura in epiſt.91.inter epiſt. Aug.

Innocentij Epiſtola ad Conc. Mileuitanum, quæ eſt 26. inter *Innocentij* Epiſtolas *Decretales*, & 93. inter *Epiſtolas Auguſt.* citatur à [o] *Bellarmino*, vt probet: Liberum arbitrium: &, [p] Paruulos ſine baptiſmo decedentes, mortis æternæ pœna eſſe damnandos. Atque hæc Epiſtola *ſine controuerſia eius eſt, cui tribuitur*, inquit [q] Bellarminus.

o Lib. 5. c.26. de grat.& l.arbit.
p Lib.6.c. 2. de Amiſſ.grat. &c.
q Lib. 5. de grat. &c.c.25.

Hæc Epiſtola non eſt ſine controuerſia *Innocentij*. Nam *Eraſmus*, qui priorem atro carbone notauit, nec hanc intactam præterijt, ſed *eiuſdem genij Epiſtolam* eſſe [r] dixit. Et quidem, non ſine cauſa. Nam hæc data eſt 6. Kalend. Feb. *Honorio & Conſtantino Coſſ.* cùm teſte [ſ] *Mariano Scoto*, [t] *Onuphrio*, & alijs, *Innocentius* defunctus eſt anno præcedenti, *Theodoſio & Palladio Coſſ.*

r Cenſura in epiſt. 93. inter epiſt. Aug
ſ Lib. 2. ætat. 6. ad an. 415.
t Chron. Rom. pont. ad An. 415.

Extat [u] Epiſtola ſub *Innocentij* nomine ad *Arcadium Imperatorem*, quæ citatur ab [x] *Alano*, & [y] *Bellarmino*, vt probent: *Innocentium* excommunicaſſe *Arcadium* & *Eudoxiam* vxorem eius.

u Binnius Tom. 1. Conc. pag. 989.
x Cont. Iuſtitiam Britannicam c. 5.
y Lib. 2. de Rom. Pont. c. 19.

Hæc Epiſtola ſeipſam prodit. In illa enim legimus *Eudoxiam* in viuis fuiſſe poſt obitum *Ioh. Chryſoſtomi*: quum tamen [a] *Socrates* & [b] *Sozomenus*, imò omnes veteres hiſtorici ante Georgium Alexandrinum vno conſenſu affirment, *Eudoxiam* mortuam fuiſſe triennio ante *Chryſoſtomum*, vt verè obſeruauit *Thomas Bilſonus*, Præſul Wintonienſis: & *Henricus Sauilius cuſtos Collegij Mertonenſis in Academia Oxonienſi.

a Lib. 6 c. 19. 20. 21
b Lib 8. c. 27. 28.
c Lib. Angl de primatu Regio. part. 1.
* In admonit. ad Lectorem de ſcriptoribus rerum Chryſoſtomi, &c.

Cum *Venericus Vercellenſis* incidit in mentionem huius rei; *Vnde hoc aſſumptum ſit, nos quidem adhuc incertum tenemus*, [d] inquit: *Sed hoc pro certo nouimus, quod nec in geſtis Ro. Pontificum inuenitur, vbi geſta pariter eiuſdem Innocentij deſcribuntur, nec in libro Decretorum eius reperitur: nec in Tripartita Hiſtoria, vbi plus quam alibi legimus de illius depoſitionis ſententia.* Ex quo, quæ illius fuit opinio de hac Epiſtola, ſatis conſtat.

d Lib. 2. de vnitate Eccleſ. conſeruanda.

Cœleſtini 1. *Epiſtola* 1. citatur à [e] *Bellarmino*, pro exorciſmis in baptiſmo, pro [f] libero arbitrio in moralibus: Pro [g] meritis operum.

e De Baptiſmo, c. 25.
f De grat. & l. Arbit. l. 5. c. 26.
g Lib. 5. de Iuſtif. c. 4.

Vndecim poſtrema capitula huius Epiſtolæ videri potius ab alio quopiam interpoſita, quam eſſe ipſius Cœleſtini Papæ, fatetur * Petrus Crabb. In ijs autem reperiuntur hæc *Bellarm.* teſtimonia. Et quidem primum teſtimonium habetur in *Homilia de Adam & Eua*, quæ fertur nomine *Chryſoſtomi*, ſed falsò: & in lib. de *Eccleſ. dogmatibus cap.* 31. qui perperam *Auguſtino* tribuitur. Reliqua duo habentur in eodem libro de *Eccleſ. dogmat. cap.* 32.

* Notis marg. in hanc epiſt.

Q *Bonifacij*

Bonifacij 2. Epiſtola ad Eulalium Alexandrinum Epiſcopum, citatur ab [c] *Hardingo*, [d] *Lindano*, [e] *Pighio*, [f] *Turrecremata*, [g] *Turriano*, & [h] *Stapletono*, vt probent: Aphricanas Eccleſias ſubmiſiſſe ſe Romano Pontifici. Atque hanc Epiſtolam eſſe genuinam & minime ſuppoſititiam, ita certò ſibi perſuaſit *Lindanus*, *vt eos nihil ſaluum relinquere ex omni antiquitatis hiſtoria affirmarit, qui hanc Africanæ Eccleſiæ reconciliationem hac Bonifacij Epiſtola — conteſtatam, ſeu fictitiam rident.*

c Art.4.ad prouocat. Iuelli.
d Panopl.l.4.c.89.
e Hierarch.l.6.c.7.
f Sum.de Eccl. l.3. c.49.
g Pro epiſt.pont. l.3.c.2.
h Relect.Cont.3. q.7.ad Arg.2.

Valde mihi ſuſpecta eſt hæc Epiſtola, inquit [i] Bellarminus *Nam Eulalius Alexandrinus ad quem Bonifacius ſcribere videtur, nullus fuit, aut certe eo tempore non fuit, vt patet ex Chronologia Nicephori Conſtantinopolitani. Præterea Bonifacius ſignificat in Epiſtola ſua, Iuſtino Imperante ſe ſcribere: at Iuſtinus obierat antequam Bonifacius ſedere inciperet, vt ex Hiſtorijs omnibus conſtat. Adhæc, Epiſtola hæc tota fere conſtat ex duobus fragmentis, quorum alterum ſumptum eſt ex Epiſtola Hormiſdæ Pontificis ad Iohannem; alterum ex Epiſtola S. Gregorij ad Epiſcopos Galliæ, quæ eſt 52. lib. 4. At Sanctus Gregorius eo tempore nondum erat natus, neq; credibile eſt Gregorium à Bonifacio illa verba ſumpſiſſe, ſiquidem ſtylus omnino Gregorianus eſt.* Idem ſentit [k] *Baronius*, inquiens: *falſa & adulterina eſt Epiſtola illa quæ fertur nomine Bonifacij 2. Rom. Pont. ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum. Nam non tantùm prædicti Bonifacij Papæ temporibus nullus eius nominis in Alexandrina Eccleſia ſediſſe reperitur, (ſedit namque eo tempore Timotheus eius nominis tertius, idemq; hæreticus) ſed nec prioribus vel poſterioribus temporibus aliquis eius ſedis Epiſcopus nominatus reperitur Eulalius ab his qui ſcripſerunt Catalogum Epiſcoporum Alexandrinorum, &c.* Idem ſentit & [l] Poſſeuinus. Nam *Bonifacij 2. nomine conficta fuit ab impoſtore Epiſtola nd Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, &c.* inquit ille.

i Lib.2.de Rom. Pont.c.25.

k Annot. in Martyrolog. Rom. Octob.16. & Annal.To.5.ad An. 419.nu.92.93 94.

l Apparat.ſac.verbo, Bonifacius.

Iohannis 3. Epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, citatur à [m] *Turriano*, vt probet: Linum & Cletum, non fuiſſe Romæ Epiſcopos, ſed tantùm coadiutores Petri. Citatur etiam à [n] *Bellarmino*, vt probet: Chorepiſcopos multa præſtare poſſe quæ præſtant Epiſcopi.

m Pro Epiſt.Pont. l.2.c.10.
n Lib.1. de Clericis c.17.

Hanc

Hanc Epiſtolam ab aliquo impoſtore, ſub nomine Iohannis Papæ 3. poſt obitum illius, ſuppoſitam fuiſſe, multis argumentis oſtendi poteſt, inquit * Binnius. 1. *quod ſub conſulatu Iuſtini 6. decimoquarto Kalend. Auguſti. anno 7. Iuſtini, & 572. Chriſti ſcripta fuiſſe reperiatur, quo tempore Iohannes Papa iam in viuis eſſe deſierat. 2. quod nota Conſulari inſignita ſit, qua his temporibus Epiſtolæ Pontificiæ conſignari deſierant. Tertiò quod in ea ſcribatur, Linum & Cletum fuiſſe tantum Chorepiſcopos; quos tamen omnis pene antiquitas ſcriptorum optimorũ, pro veris Pontificibus agnouit. Taceo, quod nomen Chorepiſcoporum, de quorum munere integra Epiſtola ſcripta eſt, in Gallia & Germania plane abolitum fuerit.* Hæc ille ex Baronio Annal. To. 7. ad an. 572. nu. 3.

* Notis in hanc Epiſt. to. 2. conc p. 636.

Libellus, qui Dorothei Synopſis inſcribitur, eſt ſuppoſititius.

DOrothei Synopſis imprimebatur *Romæ* per *Paulum Manutium* an. 1564. & habetur in To. 7. Bibl. ſanctæ veterum Patrum, edit. 3. ſub hoc titulo. *S. Dorothei Martyris & Epiſcopi Tyri, qui ſub Conſtantino Magno vixit, de vitis, ac morte Prophetarum & Apoſtolorum, Synopſis.* Hæc *Synopſis* citatur à [a] *Bellarmino*, vt probet: Petrum Romæ vſque ad mortem Epiſcopum fuiſſe: Et à [b] *Copo*, vt probet in genere, cultum ſanctorum, & reliquiarum honorem: & in ſpecie, inuocationem ſanctorum. Citatur etiam alijs de cauſis.

a L. 2. de Rom. Pont. c. 4.

b Dial. 3. c. 21. eod. dial. c. 4.

Increbuit error, vt putarint nonnulli, hunc ipſum (viz. Dorotheum Tyri) *authorem eſſe libri illius, qui Dorothei Synopſis inſcribitur*, inquit [c] Baronius.

c Annot. in Martyrolog. Ro. Iunij 5.

Synopſis, quæ Dorotheo Tyrenſi falsò adſcribitur, plena eſt narrationibus confictis atque mendacibus, inquit [d] Bellarminus. *Nam (vt alia prætermittam) qua ratione author ille defendi poteſt, cum inter diſcipulos 72. numeret Eunuchũ Reginæ Æthiopum, quem à Philippo conuerſum conſtat poſt Aſcenſionem Domini? & Iuniam Epiſcopum faciat, quam tamen cerſum eſt fœminam quandam fuiſſe? Et Cæſarem cuius meminit Paulus ad*

d Lib. 2. de Rom. Pont. c. 2.

Philippenſes, Diſcipulum Chriſti, & Epiſcopum fuiſſe dicat, cum perſpicuum ſit de Nerone Paulum eſſe loquutum? Hæc Bellarminus; qui [e] alibi, *Dorothei huius nullam*, inquit, *mentionem inueni apud Euſebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Iohannem Trithemiũ, qui ſcripſerunt de viris illuſtribus. Ipſa verò ſynopſis plena eſt fabulis. Non meminiſſem libri tam fabuloſi, niſi vidiſſem à multis citari, & non minini fieri.*

e Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 285.

Dorotheo Tyrenſi falsò adſcribitur Synopſis, quæ plena eſt narrationibus confictis atque mendacibus, inquit [f] Poſſeuinus, —adijciens paulo poſt, *Validis rationibus, euincitur ne præſtantis quidem alicuius viri eſſe potuiſſe illam Synopſim, in qua tam multa ſunt putida.*

f Apparat. ſac. verbo, Dorotheus.

Hoc opus non eſſe illius S. Dorothei Martyris, Tyri Presbyteri, qui ſub Diocletiano vixit, & ſub Iuliano Martyrium conſummauit, ſed cuiuſdam potius Dorothei recentioris Abbatis Romani: Baronius in Notis ad Martyrologium Ro. 5. Iunij, & alij eruditi deprehenderunt, inquit [g] Margarinus de la Bigne. *Multa enim inſunt huic libello, quæ fide hiſtorica vacillant, indigna prorſus antiquo illo Martyre Dorotheo.*—

g Notis præfix. huic Synopſi in to. 7. Bibl. ſanct. vet. pat. edit. 3.

Dico libellum hunc Apocryphum eſſe, ac proinde Martyri Dorotheo non eſſe tribuendum. Inter Apoſtolos enim recenſet tantùm vnum Iacobum, &c. inquit [h] Molanus.

h De Picturis c. 39 Impreſ. Louan. 1570.

Vide plura apud Baronium Annal. tom. 1. ad an. 33. nu. 41. & ad an. 45. nu. 44.

Titi Boſtrenſis Commentarij in Lucam ſunt ſuppoſititij.

IN Bibl. vet. Pat. Tomo 1. edit 3. habetur *Commentarius in Euang. ſecundùm Lucam*, ſub nomine *Titi Boſtrenſis*, qui tempore *Iuliani* Apoſtatæ claruiſſe dicitur. Hos Theodorus Peltanus primò edidit anno 1580. Ex his tanquam ipſius *Titi*, *Coccius* contendit probare, [i] Baptiſmum Iohannis non habuiſſe eandem efficaciam cum Baptiſmo Chriſti ad remiſſionem peccatorum: &, [k] Peccatorum coram ſacerdote confeſſionem.

i To. 2. l. 5. de baptiſmo, art. 5.

k To. 2. lib. 7 de Pœniten. art. 3.

Mortuum

Mortuum Titum ſub Valente S. Hieronymus in Catalogo prodit. At author huius operis, cum ſæpiùs citet Ioh. Chryſoſtomum, & Iſidorum Peluſiotam Chryſoſtomi diſcipulum, item & Cyrillum Alexandrinum—hinc non parua ſuſpicio eſt, alterius potius quam Titi Boſtrenſis Epiſcopi hoc eſſe opus: Inquit [l] Ioh. Maria Sacri palatij magiſter, quem ſequitur [m] Margarinus.

Obſeruandum eſt, Commentaria in Matthæum & Lucam, non poſſe eſſe Titi, quoniam author horum Commentariorum paſſim citat Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum & Peluſiotam, qui pueri erant cum Titus moreretur, inquit [n] Bellarminus.

l To 1. Indic. Ro. lib expurgand. p. 180.
m Notis præfix. huic Com. to. 3. Bibl. vet. pat. edit. 3. p. 903.
n Lib. 1. de ſcript. Eccleſ. ad an. 365.

Euſebij Emiſſeni homiliæ quinquaginta ſunt ſuppoſititiæ.

EXtat *liber Homiliarum*, Numero 52. ſub nomine *Euſebij Emiſſeni*, qui vixit, *Trithemio* teſte, ad an. 350. Hic liber excuſus eſt *Louanij* 1567. & ſæpiſſime citatur à Papiſtis. [i] *Bell.* citat Homiliam tertiam in Epiphania, pro Purgatorio: & [k] Hom. de S. Blandina, pro veneratione Reliquiarum, &, [l] Hom. 5. de Paſchate iterum atq; iterum in negotio Euchariſtiæ: [m] *Rhemenſes* noſtri citant Hom. de S. Stephano, pro Interceſſione ſanctorum: &, [n] Hom. 5. de Paſch. pro Miſſæ ſacrificio. [o] *Gregor. de Valentia* citat eandem Hom. 5. de Paſch. pro reali Chriſti in ſacramento præſentia, & pro [p] Tranſubſtantiatione. [q] Citat etiam Hom. 2. de Natali Domini, & Hom. in illa verba, *Ecce quam bonum*, vt probet, Virginem Mariam non patefacta ſui corporis lege peperiſſe. [r] *Alanus* citat Hom. 1. de Paſch. vt probet: Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe ad liberandum illinc animas fidelium: [ſ] &, Hom. 3. de Epiphania, & Hom. de Pœnitentia Niniuitarum pro Purgatorio. [t] *Lindanus* citat Hom. 4. de Paſch. pro adoratione Euchariſtiæ. [u] *Caniſius* citat Hom. 1. ad Monachos pro extrema Vnctione. [x] *Copus* citat Hom. de S. *Geneſio*, & de Epipodio & Alexandro, pro inuocatione ſanctorum: &, Hom. de S. Stephano, Blandina, & Epipodio, pro cultu ſancto-

i Lib. 1. de Purgat. c. 6.
k Lib. 2. de Reliq. c. 3.
l Lib. 1. de Euch. c 5. & 9.
m Annot. in act. 7. 60 in marg.
n An. in Heb. 7. 17.
o Lib. 1. de Chriſti præſentia in Euch. c. 5. p. 369.
p L. 2. de tranſubſtant. c. 4. p. 387.
q Lib. 3. de Euch. contra Fortunatũ c. 2. p. 401. & lib. 3. Exam myſt. Caluiniſtici c. 2. p. 470.
r Defenſ. Purgat. c. 2. fol. 35. & 94.
ſ Lib. cit. c. 12. fol. 106.
t Panopl. l. 4. c. 44.
u In Catec. de extrema vnctio. q. 3.
x Dial. 3. c. 4.

ſanctorum, &c. Atque quò, prætextu antiqui & ſancti Patris, incautos faciliùs decipiant, Authorem harum Homiliarum, *Pium ſcriptorem, antiquum valde, & magni nominis in Eccleſia Dei fuiſſe* [y] narrant. In fronte ipſius libri, [z] appingunt illi nomen, *Diui*, dicentes: *D. Euſebij Emiſſeni Epiſcopi Homiliæ*: & ipſas homilias *eloquentiſſimas & religioſiſſimas* eſſe aiunt.

y Alanus l. citat fol. 35. & 94. Linda. in Chronolog. præfix. Panop. ſeculo. 4.
z Io. Gagneyus in inſcript. lib.

Tantum abeſt vt *Euſebius Emiſſenus ſanctiſſimus Pater* dici mereatur, vt è contra potiùs, *impijſſimus hæreticus* exiſtimandus ſit. Quod ex *Theodoreto* & Hieronymo conſtat. *Nam, Euſebium fortaſſe audiſti, qui Emeſſæ vrbis ad Libanum fuit Pontifix*, inquit *Orthodoxus* apud [a] *Theodoretum.* Cui, *Incidi in aliquot eius ſcripta, & inueni eum conſentire cum Arij dogmatibus*, reſpondit *Eraniſtes. Is erat illius ſectæ*, inquit, *Orthodoxus. Euſebius erat Arianorum ſignifer factionis*, inquit * Hieronymus. *Theodoreto* & Hieronymo ſubſcribunt *Cæſar Baronius, Whitus, Poſſeuinus. Euſebius Emiſſenus homo impius, & Arianus*, [b] inquit Baronius. *Maxima authoris inſcitia, qui eius nomine quaſdam edidit homilias, inuenimus nominatum beatum, & ab alijs recenſitum perperam inter ſanctos*, inquit [c] idem.

a Theodo. Dial. Impatibilis.
* Chron. ad an. 10. Conſtat.
b Ann. to. 6. ad an. 441. Epito.
c Ibid. ad. an. 341. nu. 11.

Eſſet Emiſſenos inter, laus vnica, ciues
Euſebius, ſi non in caſtra Ariana ruiſſet, [d] inquit Whitus.
Euſebius Emiſſenus fuit Arianus, inquit [e] Poſſeuinus.

d In Diacoſio Martyr.
e In apparat. ſac. verbo, Euſebius Emiſſenus.

Præterea, quiſquis fuerit *Euſebius Emiſſenus*, harum homiliarum non fuit author, quod agnoſcitur ab ipſo *Bellarmito.* Nam *reuera* ([f] inquit ille) *Euſebius Emiſſenus non potuit eſſe author, tum quia ille Græcus fuit, & Arianus, vt ſcribit S. Hieronimus in Chronico: homiliæ autem illæ * Latinum & Catholicum authorem ſine dubio habuerunt: tum quia author Homiliarum illarum ſignificat varijs in locis ſe Monachum fuiſſe in Monaſterio Lirinenſi, quod erat in Gallia: Euſebius autem Epiſcopus fuit Emiſſenus in Græcia.*

f Lib. Recog. p. 64. & l. 2. de Euch. c. 30. & de ſcrip. Eccl. ad an. 430.
* Idem de ſacram. Confirm. l. 2. c. 6. Sine dubio Latinus fuit.

[g] Alij, authorem harum Homiliarum eſſe volunt *Fauſtum Regienſem*: alij *Cæſarium Arelatenſem*, alij *Eucherium Lugdunenſem.* Verùm licet fieri non poteſt vt ſint omnium illorum trium, tamen recte fieri poteſt vt nullius ſint trium. Sanè, hoc certum eſt, *Hom.* 1. *de Paſch.* apud *Euſebium*

g Vide Bel. l. 2. de Euch. c. 30.

ſebium, eandem eſſe cum *Hom.* 1. *de Paſch.* apud *Cæſarium Arelatenſem*, & cum *ſer.* 137. *de tempore*, apud *Auguſtinum*; Et cũ initio ſer. 29. de Reſurrectione Domini apud Hieron. To. 9. *Hom.* 2. *de Paſch.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *Hom. de Paſch.* apud *Maximum*: *Hom.* 3. *de Paſch.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *Hom.* 3. *de Paſch.* apud *Cæſarium Arelatenſem*: *Hom.* 4. *de Paſch.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *ſer.* 25. inter *Ambroſianos*, & cum, 2. *pe Paſch.* apud *Maximum*. *Hom* 5. *de Paſch.* apud * *Euſebium*, eandem eſſe cum *Hom.* 4. *de Paſch.* apud *Cæſarium Arelatenſem*, & cum illo *ſermone To.* 9. *operum Hieronymi*, qui inſcribitur, *de corpore & ſanguine Domini*. *Hom.* 9. *de Paſch.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *ſermone* 156. *de tempore* apud *Auguſtinum*. *Hom.* 4. *ad Monach.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *ſer.* 23, apud *Cæſarium Arelatenſem*. *Hom.* 5. ad *Monachos* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *ſermone* 25. apud *Cæſarium Arelatenſem*: & *Hom.* 6. ad *Monachos* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *Cæſarij Arelatenſis*, 26. *Hom* 10. *ad Monachos* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *Hom.* 1. *ad populum in Quadrageſima* apud *Cæſarium Arelatenſem*. *Hom.* 2. *de Aſcenſione Domini* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum *Auguſt.* 84. *in Append. Ser. de diuerſis*, & 36. *de ſanctis*: bonam etiam partem *Hom.* 3. *de Epiphan.* apud *Euſebium*, eandem eſſe cum poſtrema parte *Homiliæ* 16. inter *Quinquaginta illas Homilias* quæ feruntur ſub nomine *Auguſt.* In qua repeṙiuntur ipſiſſima verba quæ *Alanus* & *Bellarminus* ex illa, pro Purgatorio citant.

* Vide Bellar. de ſactam. Euchariſt. l. 2. c. 30.

Euſebij Emiſſeni homiliæ in Euangelia ſunt ſuppoſititiæ.

EXtat liber excuſus *Antuerpiæ* apud *Ioh. Stelſium, anno* 1555. ſub hoc titulo: *D. Euſebij Emiſſeni homiliæ in Euangelia, quæ cunctis diebus Dominicis totius An. ac ferijs quadrageſimalibus legi ſolent. Quibus annecti curauimus eiuſdem homilias de præcipuis Anni feſtiuitatibus*: Ex hijs homilijs [h] *Bellarminus* citat vnam, ſub nomine *Euſebij Emiſſeni*, vt probet: Nullum ſacramentum legis naturæ

[h] L. 2. de effect. ſacram. c. 15.

naturæ, aut ſcriptæ, iuſtificaſſe eo modo quo iuſtificant ſacramenta nouæ legis.

Has homilias non eſſe *Euſebij Emiſſeni*, ſed *Eucherij* potius, eſt opinio. *Coccij*. Nam centies (credo) [i] citat loca ex his homilijs ſub nomine *Eucherij*, quamuis nullibi, quod ſciam, ſub *Eucherij* nomine excudantur. Verùm non eſſe *Eucherij*, vt nec *Euſebij Emiſſeni*, teſtatur [k] *Sixtus Senenſis*, qui dicit, *Apparere eas eſſe Rapſodias à Latino ſcriptore, & ex Latinis Patribus conſarcinatas: & ſtylum reſipere aut Bedam, aut Rabanum, aut alium vtrique non diſſimilem.*

i In Theſauro Cathol.

k Lib.4. Bibl. ſanct. verbo, Euſeb. Epiſc. Emiſſenus.

In [l] *Chronologia Eccleſiaſtica* à Ieſuita quodam contexta, ad An. Domini 530. hæc nota apponitur: *Euſebius Emiſſenus Gallus, cuius habentur homiliæ, hoc fortè tempore claruit: qui verò Euangelia explicauit, poſt Greg. Magnum ſcripſit.*

l præfigitur Caniſij Catech. in fol. edit. 1589.

Homiliarum in Euangelia verus Author ignoratur, inquit [*] Bellarminus.

* Lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 430.

Cyrilli Hieroſolymitani Epiſtola ad Auguſtinum eſt ſuppoſititia.

CYrillus *Hieroſolymitanus* floruiſſe dicitur circa an. Domini 365. extat ſub eius nomine ad finem *Tomi 9. operum Hieronymi*, & ad finem epiſtolarum *S. Auguſtini, epiſtola ad Auguſtinum de miraculis Hieronymi*, quæ citatur à [a] *Lenſæo*, [b] *Binsfeldio*, [c] *Eckio*, & alijs, pro Purgatorio; à [d] *Pereſio*, pro cultu Sanctorum & reliquiarum: & à [e] *Verniero*, pro reali Chriſti in Sacramento præſentia: & ad maiorem huius epiſtolæ fidem [f] *Eckius* clamat, *Si fidem adhibeamus Hiſtoriographis Ethnicorũ, Liuijs, Saluſtijs, Iuſtinis, &c. qua fronte Sanctis Patribus credere recuſabimus?*

a De Purgat. l. 1. c 27.
b De conditio. animarum poſt mortem, §. 5.
c Hom. 2. Dom. 3. aduent.
d De tradit. fol. 20. & 127.
e Magnum & vniuerſale Cõcilium.
f Hom. 2. Domini 3. Aduent.

Author huius Epiſtolæ non eſt aliquis ex Sanctis Patribus, ſed Aſinus indutus pelle Leonis, & perditiſſimus Nebulo, ſub glorioſo nomine ſancti *Cyrilli*: vt luculentiſſimè patet, cum ex ipſa Epiſtola, tum ex aduerſariorum confeſſione. In Epiſtola enim legimus; *Euſebium in trium defunctorum cadauera per contactum ſacci quo ſupra carnem ſuam glorioſus*

glorioſus Hieronymus vtebatur, vitæ ſpiritum introduxiſſe; qui cum perfectè reſuſcitati erant, cœperunt beatarum animarum gloriam, & peccatorum pœnas tam Purgatorij quàm inferni clara voce omnibus intimare, &c. Hieronymum eos conduxiſſe ſecum in Paradiſum, Purgatorium, & Infernum, vt quæ ibi agebantur patefacerent vniuerſis, &c. quæ potius referunt authorem Legendæ aureæ, quem Pontificij fatentur fuiſſe hominem, *ferrei oris*, & *plumbei cordis*, quàm *S. Cyrillum* Hieroſolymæ Epiſcopum, id quod agnoſcunt multi Pontificij, nominatim verò *Eraſmus*, *Baronius*, *Bellarminus*, *Molanus*, *Poſſeuinus*, *Marianus Villerius*, & *Schultingus*. [g] *Eraſmus* ait, *haud ſcio quo fato in rabulam quendam incidit Hieronymus, ſic vndiq; ſui ſimilem & Hieronymi diſſimilem, vt neſcias quid in eo admireris, linguæ ne prodigioſam infantiam ac balbutiem, an inſignem literarum inſcitiam, an miram mentiendi impudentiam; hominem profectò dignum, quem, ſi viuat, publicitus omnes omnium mortalium manus ſaxis impetant, qui mortales omnes pro ſaxis, non pro hominibus habuerit; quis enim illius legens Næniás, ni planè truncus ſit, non protinùs ſentiat perſonatum hiſtrionem, qui Vertumnum quendam, aut Proteum nobis referens, nunc Euſebius eſt Cremonenſis, nunc Cyrillus, nunc Auguſtinus? &c. ſed quibuſcunque plumis nobis opertus prodit, vox vbique ſui ſimilem Coccycem arguit.* g In vita Hieronymi.

Idem ſentit [h] *Baronius*. Nam poſtquam annotârat *diuerſos pro ingenij diuerſitate diuerſa excogitaſſe inuenta, dum vel Euſebij, vel Auguſt. vel Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi nomine conſcripſerunt Epiſtolas, quibus* [*Hieronymi*] *res geſtas ex animi cuiuſque ſententia adinuentas at commentas conſcriberent: Quis* ([i] inquit, amabo te) *audiens Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymorum nomen ad iſta referri tempora, quem ante annos triginta ipſius aſſertione S. Hieronymi, conſtat eſſe defunctum, non ſtatim ea indignabundus excutiat?* & paulò [k] poſt: *Inter alia quæ in ea* (Epiſtola viz. Cyrilli ad Auguſtinum) *author imperitus mendacia conſarcinit, illud maxime præ cæteris intolerabile, cum imprudens, dum ſe putat eum laudare, vituperat, hæreſis adſtipulatorem conſtituens, dum ait tunc temporis vixiſſe Sabinianum hæreſiarcham, qui duas in Chriſto aſſereret voluntates, & S. Hieronymum aduerſus eum ſcripſiſſe ad S. Auguſtinum*

h Annal. To. 5. ad an. 420.

i Nu. 44.

k Nu. 47.

guſtinum Epiſtolam. At quid hoc aliud eſt, niſi reddere ipſum S. Hieronymum hæreticum Monothelitam, Sabinianum verò, quem clamat Hæreſiarcham, fuiſſe verè Catholicum? inquit idem. Sic pergens: *Quid inſuper illud, quod mox ſubditur, Sylvanum fuiſſe Archiepiſcopum Nazareth, cum diutiſſime poſt contigerit Nazareth eſſe Eccleſiam Epiſcopalem? Quis igitur tales æquo animo ferat impoſturas?* &[l] alibi, *In vulgus ſparſa dimanarunt res geſtæ S. Hieronymi, incerto authore conſcriptæ, ſimulq; Epiſtolæ quædam S. Auguſtini & S. Cyrilli nomine inſignitæ, quæ vnius eiuſdemque authoris putantur, cuius & liber ille Euſebij Cremonenſis nomine conſcriptus habetur de obitu S. Hieronymi, quæ quidem plena erroribus, & conferta mendacijs in angulum reiecta, leguntur To. 9. operum eius.* Quiſnam verò Author ille fuerit, qui hæc de Hieronymo commentatus eſt, quod dicam, non habeo, — Cuiuſuis ſunt Authoris ea quæ diximus, in illis Cyrilli nomine vulgatis literis ſe Monothelitam hæreticum præ ſe fert Author, cogitque eidem hæreſi Hieronymum aſtipulari, quæ poſt annos trecentos eſt exorta, &c.

l Not. in Martyrol. Rom. Septem. 30.

Idem docet Bellarminus: [m] *Epiſtola Cyrilli ad Auguſtinum non poteſt eſſe eius, nam loquitur de obitu Hieronymi, qui tamen obijt ſatis diu poſt Cyrillum, vt patet ex libro de viris illuſtribus, vbi Hieronymus meminit Cyrilli, & dicit eum poſt multas vexationes ad extremum octo annos quietè in Epiſcopatu vixiſſe; præterea idem author dicit hæreticum eſſe qui putat Chriſtum habuiſſe duas voluntates, & D. Hieronymum credidiſſe Chriſtum non habere niſi vnam voluntatem; ex quo patet authorem huius operis non ſolum impoſtorem, ſed & hæreticum fuiſſe, præſertim cum in 6. Synodo Act. 17. ab Agathone citetur Cyrillus iſte ad probandum Chriſtum habuiſſe duas voluntates.*

m Cenſura Bellar. apud Poſſeuinum, Appar. Aurelius Aug.

Idem, [n] *Marianus Victorius: Cuiuſcunque alterius eſt potius quam Cyrilli, quod certe ante nos D. Antoninus agnouit.* Atque id ipſum ex Chronologiæ ratione efficaciſſima conuincitur, inquit [o] Schultingus. *Cyrillus enim ante Hieronymum obijt, quî potuit igitur miracula D. Hieronymi conſcribere?*

n Cenſura in tom. 9. Hieron.

o Cenſura in confeſ. Hieronymiana

Idem, [p] *Poſſeuinus: Quæ ſub nomine Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi*

p Apparat. tom. 2. Hieronymus.

Epiſcopi ad Auguſtinum circumlata ſunt aliquandiu, nemo negauerit eſſe ementita, qui ſciat Cyrillum ipſum ante annos 30, *quam Hieronymus vixerit, teſte eodem Hieronymo, ex hac vita emigraſſe, & putida quidem mendacia ſunt, &c.*

Idem docet Ioh. Molanus, ſic enim apud [q] eum legimus. *Barbarus impoſtor de laudibus Hieronymi literas confinxit Auguſtini ad Cyrillum, & Cyrilli ad S. Auguſt. in quibus non ſolum multa manifeſtiſſime de Hieronymo mentitur: ſed etiam Hæreſiarcham vocat Sabinianum quendam, quia in Chriſto duas aſſerebat voluntates, & Hieronymum dicit Epiſtolam ſuper huius erroris deſtructione paulò ante ſuum obitum edidiſſe. Quo quid ineptius? Quidque à Catholico doctore magis alienum?*

[q] Lib. de Picturis. c. 68.

Quamobrem quod [t] *Hieronymus* dixit *Ruffino*, librum cuiuſdam *Ariani* ſub nomine *Theophili Martyris*, ſupponenti: *In futuro Iudicio tu videris, quid ad Martyris contra te reſpondeas querimonias*: Idem ego Pontificijs qui hanc Epiſtolam *S. Cyrilli* nomine ſuppoſuerunt, *In futuro Iudicio vos videritis, quid ad ſancti Epiſcopi contra vos reſpondeatis querimonias.*

[t] Apologia Hierõ. aduerſus Ruffinũ.

Cyrilli Catecheſes Myſtagogicæ quinque ſunt ſuppoſititiæ.

AD finem *Catecheſeωn* 18. *Cyrilli Hieroſolymitani*, quæ* nuperrime excuſæ ſunt *Pariſijs* Græcè, cum Latina interpretatione *Grodecij*, habentur *Quinque Catecheſes*, quæ dicuntur *Myſtagogicæ*. Harum prima citatur à [u] *Bellarmino*, vt probet: abſtinendum eſſe à vino & carnibus, & re vxoria, ante baptiſmum. Secunda citatur ab [x] eodem, pro vnctione in baptiſmo. Tertia, [y] pro confirmationis ſacramento. Quarta, [z] pro reali Chriſti in ſacramento præſentia, &, pro [a] Tranſubſtantiatione. Quinta, * pro Purgatorio, & pro [b] inuocatione ſanctorum in Miſſa. Atque, ne forte quiſquam mutire auderet contra ea quæ ab ipſo allata ſunt, Bellarminus authorem harum Catecheſeωn, *hominem ſanctum & antiquiſſimum*, & *opus eius indubitatum* eſſe aſſerit.

* An. 1608.
[u] Lib. 1. de bap.
[x] Ibid.
[y] Lib de Confir. c. 5.
[z] Lib. 2. de Euch. c. 13.
[a] Lib. 3. de Euch. cap. 20.
* Lib. 1. de purgat. cap. 10.
[b] Lib. 2. de Miſſa c. 8.
[c] Lib. 2. de Euch. cap. 13.

In Indice librorum Græcorum, quas *Reſp. Auguſtana*

emit ab *Antonio Eparcha Corcyræo*, *Myſtagogicæ Catecheſes quinque*, attribuuntur *Iohanni*, neſcio cui, Epiſcopo Hieroſolymitano, non *Cyrillo*: Vti monuit in Geſneri Bibliothecam Ioſ Simlerus.

Sed & M.Velſerus in Catalogo M.S.torum Græcorũ reipub. Auguſtanæ, quem Apparatui ſuo Poſſeuinus adiecit, nihil certè de his auſus eſt pronunciare. *Catecheticen*, inquit, *inſtitutiones Epiſcopi Hieroſolymitani, quem Cyrillum eſſe puto. —Eiuſdem autem autoris & has, & quæ ſequuntur exiſtimo Myſtagogicæ Catecheſes quinque.*

Teſtamentum Ephræm eſt ſuppoſititium.

d Bell.lib. 1. de Purg.c.6.& l.2. de Miſſa, c.7.

EPhræm in *Teſtamento* citatur à [d] Pontificijs, pro Purgatorio.

Author huius *Teſtamenti* decreuerat loqui in perſona *Ephræm*: ſic enim incipit; *Ego Ephræm morior, notum igitur vobis ſit omnibus ô viri Edeſſeni, Teſtamentum enim vobis relinquo, &c.* At circa medium, oblitus ſui, verba facit in perſona alterius, inquiens: *Quum adhuc ea ipſa loqueretur, vir ex aſtantibus, &c.* quemadmodum videre licet in *Surio, apud quem habetur hoc Teſtamentum ex tranſlatione *Iulij Clementis*. Et licet in tranſlatione huius Teſtamenti *Romæ* per *Gerardum Voſſium* aliter legatur, nimirum: *Me adhuc ea loquente, &c.* tamen in fine huius *Teſtamenti Romæ* editi per *Voſſium*, ſimilis error commiſſus eſt. Ibi enim iterum induit tertiam perſonam, dicens. *Dum hæc cum lacrymis præciperet ac mandaret beatus vir, &c.* Quod vſque adeo abſurdum viſum eſt ipſi *Voſſio*, vt aliud non haberet quod diceret, præter puerile illud, *Corrumpitur textus. Sequentia non ab Ephræm in ſuo Teſtamento relata, ſed à diſcipulis poſt ipſius obitum verbis Teſtamenti attexta ſunt*, inquit Voſſius in Annotat. marginalibus.

* To. 1. Feb.1.

Tragedia, Chriſtus patiens, *falſò adſcribitur Greg. Nazianzeno.*

TRagedia, quæ dicitur, *Chriſtus patiens*, citatur à [e] *Rhemenſibus* ſub nomine *Nazianzeni*, pro inuocatione ſanctorum. Et à *Bellarmino* pro [f] libero arbitrio. Et vt probet: [g] exiuiſſe Dominum de vtero matris clauſo: Et de monumento clauſo.

e Annot. in Act. 1. 14.
f Lib. 5. c. 25. de gra. & lib. arb.
g De Euch. l. 3. c. 6.

Tragedia, Chriſtus patiens, non videtur habere grauitatem ſolitam Nazianzeno, præſertim cum deſcribitur eiulatus matris Chriſti, quæ prudentiſſima, & conſtantiſſima erat, inquit [h] Bellarminus.

h Lib. de ſcrip. Eccleſ. ad an. 370.

Tragedia Chriſti ſub nomine Gregorij Nazianzeni, illius non eſt, inquit [i] Poſſeuinus.

i Appar. Greg. Nazianz.

Tragedia illa quæ inſcripta eſt, Chriſtus patiens, ab eruditis, Apollinaris Laodiceni potius quàm Gregorij Nazianzeni opus — eſſe merito exiſtimatur, inquit [k] Baronius.

k Ann. to. 1. ad an. 34. nu. 133.

Hiſtoria de Prophetarum vita falſò adſcribitur Epiphanio.

EPiphanius de *Prophetarum vita* citatur à [l] *Bellarmino*.

l Lib. de Reliquijs c. 3.

Non eſt probabile, *Epiphanium* qui fuit Epiſcopus *Cypri* circa an. 370. Authorem huius operis fuiſſe, primò, quia apud veteres, nullam huius operis inuenio mentionem, quum tamen alia eius opera à multis citentur. Secundò, quia multa habentur in hoc opere, *Talmudica commenta* & *ſomnia*, quæ non eſt veriſimile Epiphanium ſcriptis tradidiſſe: exempli gratia; In vita *Ieremiæ*, hic author affirmat *Ieremiam Arculam ſuſtuliſſe, quæque in ea fuere ſingula, & curaſſe ea abſorberi in ſaxum:* &, *quod in reſurrectione, Arca primum reſurget, & prodibit è ſaxo, inque Sina monte locabitur, vt omnes ſancti ad eam confluant:* quum tamen Paulus dicat, 1. Theſ. 4. 10. *Mortuos in Chriſto reſurrecturos primum, dein-*

de nos qui viui ſumus, vnà cum ijs raptum iri (non in *Sina*, ſed) *in nubibus, in occurſum Domini.* Præterea, hic author affirmat, *ſaxum illud haberi in ſolitudine, vbi primitus facta eſt Arca, in medio montium, in quibus iacent Moſes & Aaron*; quum de *Moſe* expreſſe ſcriptum ſit, Deut. 34.6. eum *in valle ſepultum eſſe*. Vide Ioh. Rainoldum in prælect. 36. & 38.

Optati Milenitani Liber ſeptimus aduerſus Parmenianum eſt ſuppoſititius.

IN Bibliotheca vet. Pat. edit. 3. To. 4. habentur Libri ſeptem, ſub nomine *Optati Afri, Mileuitani Epiſcopi*, aduerſus *Parmenianum*, qui floruiſſe dicitur circa An. 365. Horum librorum ſeptimus citatur à Baronio Annal. 1. ad An. 34. Nu. 205. quo probet: *Claues regni Cœleſtis Petro duntaxat datas.*

Hic liber videtur eſſe ſuppoſititius. Nam *Optatus* ipſe in initio lib. 1. promiſit ſe ſex tantùm *Libros* ſcripturum: atque adeo ſex libros ſcripſiſſe teſtatur *Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorũ ſcriptorum**. Quid quod *Author* huius libri ſeptimi, huius dicti (viz. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt*) rationem in 4. libro manifeſte ſe explicuiſſe dicat: cum tamẽ in 4. libro *Optati*, tantum abeſt vt explicuerit, vt ne meminerit quidem.

* Verbo, Optatus.

Baſilio Opera falsò adſcripta.

B*Aſilius* floruit circa an. 370. Cuius opera impreſſa ſunt *Baſileæ*, 1565. & diuiſa in To. 3. In horum primo, habetur *Liber de Spiritu ſancto ad Amphilochium Iconij Epiſcopum.* Cuius cap. 18. citatur à [a] *Copo.* vt probet: Diſtinctionem illam, *Duliæ, & Latriæ*, quam Papiſtæ tam odioſè nobis inculcant ſæpius. Cap. 24. citatur à [b] *Biſhopo*, pro Iuſticia operum. Cap. 27. citatur à [c] *Bellarmino* pro Aqua benedicta, & [d] pro oſtenſione ſacramenti, &, [e] pro ſigno crucis, &, [f] pro vſu ſigni crucis in baptiſmo,

a Dial. 5. c. 9.
b Cont. Perkin. de Meritis, c 5. p. 104.
c Li. 4. de verbo Dei, c. 3. & l. 3. de Cult. ſanct. c. 7. & l. 2. de Miſſa, c. 15.
d Li. 2. de Miſſa c. 15.
e Li. 2. de imag. c. 29.
f Lib. 1. de bap. c. 25.

baptiſmo, & [g] pro trina merſione, &, [h] pro conſecratione Chriſmatis in ſacramento (vt appellant) Confirmationis. Cap. 29. citatur ab [i] eodem in lib. de notis Eccleſiæ. Vtrumque Caput citatur ab [k] eo & [l] reliquis Papicolis, pro traditionibus. Atque quo maius pondus habeant, quæ ex hoc Authore producuntur teſtimonia, ex illis quidam prædicant, [m] *Baſilium hunc, illum eſſe qui ob ſingularem Chriſti doctrinæ præſtantiam, Magnus ſit dictus, cuius vnum teſtimonium moderatis ingenijs ſatis eſſe debuit:* [n] verba, quæ citant (præſertim ex cap. 27.) eſſe verba *ſanctiſſimi, grauiſſimi, doctiſſimiq; Patris:* & *certum ſemper Catholicis omnibus fuiſſe, hunc B. Baſilij eſſe librum,* atque *iſtud etiam Caput, —nec vllam cauſam ſubeſſe dubitandi, cum & ſtyli grauitas, & materiæ ſanctitas, & tractationis occaſio, & conſenſus cum aliorum Patrum ſcriptis, Baſilium referant.*

Integrum hunc librum non eſſe *Baſilij magni, ſanctiſſimi, doctiſſimi, grauiſſimique Patris,* ſed dimidium plus operis, (vix à principio cap. 15. ad finem vſque) ocioſi potius fuiſſe *hominis,* ſuſpicatur *Eraſmus.* Nam ad finem capitis 14. perſentiſcens ſtyli diuerſitatem, adnotat in margine, *Alius Deus.* Quod in [o] Epiſtola Dedicatoria monuerat, ſic inquiens, *Poſtquam dimidium operis abſolueram citra tædium, viſa eſt mihi phraſis alium referre parentem, aliumque ſpirare genium: interdum ad Tragicum Cothurnum intumeſcebat oratio, rurſus ad vulgarem ſermonem ſubſidebat, interdum ſubinane quiddam habere videbatur, velut oſtentantis ſe didiciſſe quæ Ariſtoteles in libro de Enuntiatione & Prædicamentis, Porphyrius in libello de quinq; vocibus prædicabilibus tradiderunt. Adhæc ſubinde digrediebatur ab inſtituto, nec ſatis concinne redibat à digreſſione. Poſtremò multa videbantur admiſceri, quæ non admodum facerent ad id quod agitur, quædam etiam repetuntur obliuione, verius quam iudicio. Quum Baſilius vbique ſit ſanus, ſimplex & candidus, ſibi conſtans, atque etiam inſtans, nunquam ab eo quod agitur excurrens temere, nunquam diuinis myſterijs admiſcens philoſophiam mundanam, niſi per aduerſarios coactus, idque contemptim.* — Hæc *Eraſmus.*

Cuius cenſuram, quia [p] *Bellarminus* nihili facit: [q] *Coſterus* nihil attingere, cap. 27. impudenter aſſerit, variјs Argumentis

g Li. citat c. 26.
h Lib. 2. de Confirmat. c. 8.
i Lib. 4. c. 14.
k Li. 4 de verbo Dei c. 7.
l Rhemenſes præfat. in Teſt. No. & Annot. in 2. Theſſ. 2. 15. Lindan. Panop. l. 4. c. 13. Coſt. Apol. 2. pro. 2. parte Enchirid. de c. 5 p. 275. Andrad. Ortho. Explic. l. 2. de alij omnes.
m Lindan. lib. citat.
n Coſterus lib citat. p. 271. & 265.
o D. Ioh Dantiſco, Epiſcopo Culmenſi, Poloniæ Regis apud Cæſarem Oratori.
p Lib 4. de verbo Dei, c. 7.
q Loco ſupra citato.

gumentis confirmabo, ijſque ex cap. 27 & 29. deductis. Nam cap. 27. laruatus hic *Baſilius* diſputans, an æquè liceat dicere, *Gloria Patri, cum Filio & Spiritu ſancto*: ac *Gloria Patri, per Filium, in Spiritu ſancto*: *supereſt* (inquit) *diſſerere de ſillaba cum, vnde cœperit, & quam vim habeat, & quatenus Scripturæ concordet*. Atque protinus incidit in longam fabulam de traditionibus, in qua, nec de ſillaba *cum*, nec de ſillaba *in*, vnam habet ſillabam: & tamen, quaſi re bene geſta, prorumpit in hæc verba, *Dictum eſt igitur eandem eſſe vim vtriuſque proloquij*. Annon hoc verè dictum ab Eraſmo arguit, *Subinde digrediebatur ab inſtituto, nec ſatis concinne redibat à digreſſione?*

Quid quod, in illa de traditionibus digreſſione, recenſeat *ſignum crucis, ad orientem inter precandum ſpectare, Inuocationis*, neſcio quæ, *verba, quum oſtenditur panis Euchariſtiæ; Conſecrationem Olei vnctionis, Conſecrationem eius qui Baptiſmum accipit, Olei inunctionem, trinam immerſionem; prima Sabbathi, & toto tempore vſque ad Pentecoſten ſtantes abſoluere preces*, inter traditiones? de quibus hanc tulit ſententiam: *Si conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus*. Quis enim niſi delirans, tam delirum faciat *Baſilium* vt hæc diceret? Siquidem hæ, vel ipſis modeſtioribus Pontificijs teſtibus, non ſunt magni momenti; quamuis hæ reijcerentur, minime pertimeſcendum, ne damnarentur quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur: ſine his, fidei prædicationi, nihil omnino periculi eſt. Nam ex his quædam obſoleuerunt apud ipſos pontificios, puta: *verba Inuocationis, quum oſtenditur panis Euchariſtiæ; Conſecratio eius qui baptiſmum accipit*: [r] *Prima Sabbathi, & toto tempore vſque ad Pentecoſten ſtantes abſoluere preces*: Licet [ſ] Coſterus impudenter nimis aiat, *ipſos ſuſcipere ad vnum omnia*, (quæ memorat *Baſilius*) & *cuncta venerari, & religioſe obſeruare*. Reliquæ, liberæ ſunt obſeruationis, ſaltem, non neceſſariæ. Nam 1. iuxta [t] Pontificios, priuatim orantes, ſi aliò reſpiciant quàm ad *Orientem*, cul-

r Bel. l. 3. de cultu ſanct. c. 11. Rhenan. Annot. in Tertul. de corona militis.

ſ Coſterus loco ſupra citato pag. 275.

t Durant de ritibus. Eccleſiæ l. 1. c. 3. nu. 6.

pa

pa carent: imò & qui publicè preces fundunt, quum & ipſi [u] agnoſcant, non omnes Eccleſias ita fabricari, vt qui in eis orant, *Orientem* reſpiciant. 2. Nunc, *vtrum vnica, an trina ablutio fiat, nihil referre*, docent[x] ipſi; & de omnibus in genere pronunciant,[y] *minus neceſſarias eſſe: &, tempore neceſſitatis omitti poſſe.*

u Bell. de cultu ſanct. l. 3. c. 3.

x Catechiſ. Ro. de baptiſmi ſacramento. Bel. l. 1. de baptiſ. c. 26.

y Catech. Ro. loco citato. Holtuſius in modo Exami. ſac. ord. candidatos, Tit. de baptiſmo. Confeſſio Petrikouiæ c. 37.

His adde, quòd horum capitulorum Author, affirmat *patres ſuos iſta in ſilentio ſeruaſſe, non ſcripto publicaſſe*: Quod ita patens eſt mendacium, vt iniuriam non ferendam inferret *Baſilio*, qui *Baſilium* horum capitulorum Authorem aſſereret. Nam conſtat quædam ex his ab hoc Authore commemorata, ante *Baſilij* tempora ſcriptis publicata: Imò omnia, ſi credimus *Coſtero*. Nam *quicquid hic à Baſilio in exemplum Apoſtolicarum traditionum illatum eſt, ante ipſum alij retulerunt*, inquit [z] *Coſterus*, notans libros in quibus ea retulerint.

z Loco ſupra citato.

Præterea, hic Nugator, eo nomine, quædam citra ſcriptum tradita eſſe vult, *ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Quaſi myſteria ſanctiſſimæ *Trinitatis*, & *Incarnationis filij Dei: Hiſtoria Paſſionis dominicæ, Remiſſio peccatorum*, & *Promiſſio vitæ æternæ*, quæ perſpicue ſatis Apoſtolicis ſcriptis comprehenſa ſunt, ([a] inimicis noſtris iudicibus,) exponerentur ab Apoſtolis contemptui, in eo, quod ab ipſis ſcribantur. Mirum, quandoquidem Scriptura exponat dogmata contemptui, cur hic, quicunque demum fuit, manum à tabula non cohibuit, & ſilentio iſta non inuoluit, ſed ſcripſit propalam. Cur non eſt veritus ne ſcriptione ſua, iſta ad populares ac vulgares aures deferrentur, atque ita amitterent dignitatem? Sed ad alia progredior.

a Coſterus Enchirid. c. 5. An. omnia p. 49.

Quæ hiſce duobus capitibus continentur, ea ex diametro repugnare videntur ijs quæ à *Baſilio* alibi dicta ſunt. In [b] vno enim horum, *arbitratur Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis traditionibus adhærere:* in [c] altero, *Traditiones ſcriptas & non ſcriptas, parem vim ad pietatem habere* dicit. Atqui ipſe *Baſilius* [d] *ſerm. de fide, Manifeſtus eſt fidei lapſus* (inquit) *& liquidum ſuperbiæ vitium, vel reſpuere aliquid eorum quæ Scriptura habet; vel inducere quicquam quod ſcriptum*

b Cap. 29.
c Cap. 27.

d To. 2. p. 194.

non eſt: Ex qua doctrinæ repugnantia, Authorem horum capitulorum alium eſſe oportet à *Baſilio*. Quod & proxima ratio facit manifeſtiſſimum. Nam cap. 29. Author verba faciens de *Meletio* quodam viro admirando, ſic de eo loquitur, quaſi per aliquot annos *Meletius* ille ante ſua tempora, tum vixerat, tum obierat. *Nam inſuper & Meletium illum admirandum, in eadem fuiſſe ſententia, narrant qui cum illo vixerunt*, inquit iſte.—Atque *Meletium* admirandum floruiſſe ætate *Baſilij* ex eo conſtat, quòd [e] hiſtoriæ teſtantur, *Baſilium* ab illo creatum fuiſſe *Diaconum*: & ex ipſis [f] Epiſtolis *Baſilij* patet, *Baſilium* ab eo accepiſſe literas, & ad eum ſcripſiſſe literas. Imò *Meletium* in viuis fuiſſe poſt *Baſilium*, [g] *Baronius* agnoſcit, qui *Baſilium* mortuum obſeruat ad annum 378. *Meletium* verò ad annum 381.

e Socrates l.4.c. 26.

f Epiſt.55.57.58. 89.

g In Annalibus.

To. 2. operum *Baſilij*, habentur *Aſcetica* quædam propoſita primùm per quæſtionem, deinde per Scripturam explicata. Quorum titulus eſt, *Baſilij quæſtiones fusè explicatæ*, vel, *Baſilij definitiones latiores*. Harum Quæſt. q. 12. citatur à [h] *Bellarmino*, vt probet: Licere coniugatis ex conſenſu vouere continentiam. q. 14. citatur ab [i] eodem, pro votis ſolennibus Monachorum. q. 15. [k] quòd iuniores vouere poſſint. q. 22. [l] pro ſingulari & notabili habitu Monachorum. q. 26. citatur à [m] *Greg. de Valentia*, pro Auriculari confeſſione. q. 37. à [n] *Bellarmino*, pro horis Canonicis.

h Lib. 2. de Monachis c. 37.
i Lib eod. c. 27.
k Lib. eod. c. 35.
l Lib. eod. c. 40.
m De confeſ. c. 2.
n Lib. 1. de bonis operibus in part. c. 13.

Qui Baſilio Magno inſcribitur liber, & Aſceticus dicitur, Opus Euſtathij Sebaſtienſis Armeniæ Epiſcopi eſſe à multis fertur, inquit [o] Nicephorus.

o Lib. 9. c. 16. l. 13. c. 29.

Nonnulli conſtanter affirmant librum Baſilij Magni Cappadocis, qui Aſceticus inſcribitur, ab Euſtathio eſſe editum, inquit [p] Sozomenus.

p Lib. 3. c. 13.

Leges Monaſticas in Aſceticis tradit Baſilius. Quem tamen librum non Baſilio, ſed Euſtathio Sebaſtiæ Epiſcopo tribuit Nicephorus in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria, inquit [q] Nicetas.

q In Nazianz. orat. 30. nu. 60.

Prologus his præfixus idem eſt cum Sermone qui Tom. 5. Operum Chryſoſtomi reperitur, & de Militia ſpirituali inſcribitur.

Eodem Tomo habentur *Regulæ Contractiores*, quarum

229. & 288. citantur à [r] *Bellarmino*, & alijs, pro Auriculari confeſſione.

r Lib.3. de pœnitentia c.8.

Non certè conſtat an hæ quæſtiones ſint Magni Baſilij, an potius Euſtathij Sebaſteni, cuius multi & graues errores damnantur in Conc. Gangrenſi, inquit [ſ] Bellarminus; ſubijciens paulò poſt: *Cum valde probabile ſit eas quæſtiones editas eſſe ab homine parum probatæ fidei, non eſt cur earum teſtimonium magni faciamus. Non* enim *indubitatæ ſunt:* [*] inquit idem alibi.

ſ Lib 1.c.13.de Amiſſ. gratiæ,&c.

* Lib. de ſcript. Eccleſ.

Ioh. [t] *Garetius*, Ordinis D. Auguſtini Canonicus, quò probet hæreticos *quarto annorum Centenario* veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia profeſſos eſſe, citat *quæſtionem* 172. in hoc libro, ſub nomine *Euſebij Epiſcopi Sebaſtiæ*, cuius ſuperſtitiones damnatæ ſunt in Conc. *Gangrenſi*, circa An. Domini 360. Ex quo liquet *Garetium, hominem hæreticum,* non *S. Baſilium,* harum quæſtionum Authorem exiſtimaſſe.

t De veritate corporis & ſang. Chriſti in Euch. centenario 4.

Baſilius in cap.9. Eſaiæ citatur à [u] *Bellar.* pro Purgatorio: à [x] *Turriano*, pro cœlibatu Sacerdotum.

u De Purgat. l.1. c.6.

x Pro canon. Apoſto. l.1. c.1. p.7.

Hunc aggreſſus (loquitur de comment Baſilij in Eſaiam) *Latinum facere inſtitui*, inquit [y] Eraſmus; *ſed quo altius deſcendo in operis penetralia, hoc minus mihi viſum eſt, diuinam illam Baſilij phraſin ſapere, tametſi mox in ipſo libri veſtibulo, titulus nonnullam animo ſuſpicionem iniecerat, ita teſtans ab ipſo quidem Baſilio deſcriptum opus, cæterùm ab illius obitu, ab alio quodam preſbytero euulgatum. Auxit ſuſpicionem, quod ne apud ſcriptores quidem, qui Baſilij recenſent lucubrationes, huius voluminis vlla ſit mentio.*

y Epiſt. Epiſc. Roffenſis, To.8. operũ Eraſmi, fol.413.

Baſilij Liturgia, ſeu Miſſa, eſt ſuppoſititia.

CLaudius de Sainctes, Theologus Pariſienſis, edidit *Liturgiam* ſeu *Miſſam Baſilij Magni* è vetuſto codice Latinæ tranſlationis, quæ impreſſa eſt *Antuerpiæ* 1560. Hæc citatur à *Bellarmino* [a] pro oratione pro mortuis: pro [b] temperando vino cum aqua in ſacro calice: pro [c] Miſſæ ſacrificio: pro [d] inuocatione ſanctorum, & [e] alijs de cauſis. Citatur etiam à *Gregorio de Valentia*, pro [f] reali Chriſti in Euchariſtia præſentia: & pro [g] inuocatio-

a Lib.1.de Purgat. c.6.

b Lib.4.de Euch. c.10.

c Lib.1. de Miſſa c.18.

d Lib.2. de Miſſa c.8.

e Lib.4 de Euch. c.21.

f Lib. de præſent. Chriſti in Euch. c.5. p.370.

g Lib. citat. c.6. p.372.

ne Euchariſtiæ: Et à [h] *Pereſio*, pro Tranſubſtantiatione. Qui *Pereſius*, exiliens quaſi præ gaudio, ob teſtimonium tam luculentum, *Gratias*, inquit, *tibi agimus, ô Magne, & S. Baſili, quòd tam apertis verbis rem de qua agimus aperuiſti, & nullum locum perditiſſimis his factionibus, quæ contra Altaris ſacramentum, pignus precioſiſſimum hæreditatis noſtræ, tam impudenter latrant, reliquiſti: nam & transmutationem panis in Chriſti corpus, & vini in Chriſti ſanguinem, veramque & realem præſentiam ibidem apertiſſime faſſus es*. Hæc *Pereſius*.

h De Tradit. part. 3. Tit. de ſacra cõmunione, fol. 159.

Liturgiam ſiue *Miſſam* hanc quæ ſub *Baſilij* titulo circumfertur, ipſius *Baſilij* eſſe, probari non poteſt. Magna enim, & valde diſſentiens eſt exemplorum varietas, vt qui plura viderint, [i] affirmant. Vetus tranſlatio, cum Græco exemplari, & noua verſione non conuenit: & *Liturgia* qua *Syri* titulo *Baſilij* vtuntur, nec cum veteri, nec cum noua tranſlatione conuenit. Quod ex parte verum eſſe fateatur neceſſe *Bellarminus*. Nam [k] ille negat in *Baſilij Liturgia* dici, *fac panem iſtum corpus Chriſti*: ſed, *oſtende panem iſtum corpus Chriſti, &c.* Cum tamen [l] *Pereſius Guidixienſium Epiſcopus*, & [m] *Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus*, Romanæ Eccleſiæ *Cardinalis*, & Conſtantinopolis *Patriarcha*, fatentur in *Baſilij Liturgia* reperiri, *fac panem iſtum corpus Chriſti, &c.* Niſi enim magna ſit exemplorum varietas, *Cardinalis Epiſcopus* ex altera parte, forte *Epiſcopus* & *Cardinalis Epiſcopus* ex vna, mentiatur oportet. Quod, abſit, vt quiſquam putet, niſi euidentia facti cogat.

i Chemniſius 2. part. Exam. decre. conc. Trid. de Canone Miſſæ.

k Lib. 3. de Euch. c. 14.

l Lib. ſupra citato.
m De ſacram. Euchar. p. 173.
* Vide etiam Garetium in Aſſert. ſacrif. Miſſæ, fol. 218. b.

Quinimo hanc *Liturgiam* ſiue *Miſſam* non eſſe *Baſilij* probari poteſt. Sanctus enim [n] *Baſilius* ad finem precum ſolitus eſt glorificationem abſoluere, vel ſub hac forma, *Gloria Deo ac Patri, cum Filio ipſius, ac Spiritu Sancto.* Vel ſub *altera: Gloria Deo ac Patri, per Filium in Spiritu ſancto.* Atqui in hac *Liturgia*, glorificatio abſoluitur alia verborum forma, viz. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Quod arguit ſatis *Baſilium* non fuiſſe Authorem huius *Liturgiæ*.

n Baſil. lib. de Spiritu ſancto, ad Amphiloch. c. 1.

Secundò, in hac *Liturgia* Author precatur pro *piiſſimo atque fideliſſimo ſuo Imperatore.* Verùm Imperator tempore *Baſilij*, *Valens* nimirum, vix *piiſſimus* & *fideliſſimus* dici potuit, cum *Arianum* fuiſſe conſtet, & Eccleſiæ Dei valde infenſum.

Baſi-

Baſilius in Epiſtola ad Iulianum Imperatorem, quæ recitatur in *Niceno Conc.* 2. à legatis Apoſtolicæ ſedis, citatur ab [o] *Anglo-Rhem.* pro Inuocatione Sanctorum: à [p] Bellar. & [q] *Hardingo*, pro imaginum adoratione.

o Annot. in 1. Timo. 2.
p De imag. c. 12.
q Art. 14.

Ad fidem huic Epiſtolæ conciliandam, multa pro more ſuo narrant Pontificij. *Baſilius eſt teſtis omni exceptione maior*, inquit [r] Bellarminus. *Nobiliſſimum fragmentum, aurea verba, Aiacis Clypeus*, inquit [ſ] Lindanus. *Ex omnibus antiquis Patribus nullus eſt, qui illuſtrius teſtimonium habeat de vſu ſimul & adoratione imaginum, quam D. Baſilius; cuius authoritas propter eius doctrinam, ſapientiam, vitæque ſanctitatem, præter vetuſtatem, tantum habet, in iudicijs omnium, ponderis, vt omnes noſtri noui magiſtri, ſi in lance aduerſa ponerentur, quauis pluma leuiores deprehenderentur*, inquit [t] Hardingus.

r Appendix ad librum de cultu imaginum, c. 4.
ſ Panop. l. 3. c. 28.
t Art. 14.

Fatemur *Baſilium* propter doctrinam, ſapientiam, conſtantiamque in veritate diuina, *Magnum* meritiſſimè fuiſſe appellatum, & eius authoritatem grauem ſemper viſam eſſe, atque iudicatam: verùm iſte *Baſilius*, non eſt *Baſilius*, neque iſta verba, *Baſilij* verba. *Hadrianus* Papa in Epiſtola ſua ſynodica inter alia ineptiſſima teſtimonia, hæc verba citauit tanquam *Baſilij*, quæ in libris *Baſilij* in lucem editis minimè reperiuntur. Quare vt Epiſcopi multi, in illa Synodo Nicena, ad teſtimonium allatum contra imagines ex *Theodoro Ancyræ Epiſcopo* [u] reſpondebant, *Multi noſtrûm diligenter quærentes & indagantes in Sermonibus huius Theodori, præſentem ſententiam nuſquam inuenimus, ex quo conuincitur ementitum eſſe Teſtimonium*: ita & nos ad hoc teſtimonium ex Epiſtola *Baſilij ad Iulianum* Imperatorem pro imaginibus allatum: *Multi noſtrûm diligenter quærentes & indagantes in ſcriptis huius Baſilij, præſentem ſententiam nuſquam inuenimus, ex quo conuincitur ementitum eſſe teſtimonium.*

u Concil. Nic. 2. Actio 6.

Opera falsò adſcripta Ambroſio.

a Baronius Ann. to.5.ad an.374.
b Idem.to.5.ad an.397.
c Titul.p.Ambroſ. impreſ.Baſil.1567.

AMbroſius [a] floruit circa annum 370. [b] obijt anno 397. Reliquit poſt ſe libros & tractatus multos, qui [c] primò caſtigati ſunt operâ *Eraſmi Roterodami*: deinde per *Sigiſmundum Gelenium*: & ex eo tempore per alios eruditos viros, inter quos, *Iohannes Coſterius Ord. D. Auguſtini Canonicus*, non minimus cenſetur. [d] Hic libros & tractatus *Ambroſij* omnes diuiſit in Tomos quinque.

d An.1555.

In quorum primo, habetur *Liber ad virginem lapſam*, qui citatur ab [e] *Alano*, [f] *Rhemenſibus* & [g] alijs, vt probent: non licere ijs vxores ducere qui continentiam ſunt profeſſi: à [h] *Biſhopo* verò citatur, ad probandũ Papiſticas ſatisfactiones.

e Defenſ.Purg.c.1.
f Annot.in 1.Cor. 7.9.
g Bell.l.2. de Monac.c.30.
h Contra Perk.

Hic liber idem eſt (pauciſſimis exceptis) cum *Epiſtola* 22. *Tom.* 9. *operum Hieronymi*, quæ hunc titulum gerit, *In Suſannam lapſam exhortatio.* Quæ licet ab aliquibus *Auguſtini* eſſe putatur, tamen [i] *Marianus*, quia *expeditiores habet anfractus, nec ita longis ſe implicat periodis*, *Auguſtini eſſe negat*. Cuiuſcunque verò ſit, *Ambroſij* non eſſe euincitur.

i Cenſura in.9 volumen Hieronymi.

Nam [m] author iſte *Virgines* defunctas, *hoſtias viuas* appellat, *Domino propitiatrices, parentum ſuorum videlicet delictorum*, agnoſcens; quæ ſententia cum ex diametro repugnet *S. Iohanni*, qui *Ieſum Chriſtum propitiationem pro peccatis totius mundi eſſe* [n] dicit, *Ambroſius* huius Author cenſendus non eſt.

m Cap.4.
n Ioh.1.7.

Ad hæc [k] in libris de pœnitentia qui & Ambroſij nomine feruntur, contra Nouatianos exertè docetur, *Omnia peccata, ipſum viz. crimen Sacrilegij* (cuius rea extitit virgo hæc) *remiſſibilia eſſe, idque Miniſterio humano*. Hic verò è contra, *Inhære* [l] (inquit) *Pœnitentiæ vſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humano Die poſſe veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te conuenit in die iudicij expectare remedium.* Vnde conſtat alterutrum ſaltem opus Ambroſij non eſſe; & fortaſſe neutrum eſt.

k Lib. 1. &.2. de Pœnitentia.
l Cap.8.

Atque

Atque hæc ratio coegit ipſum *Bellarminum* agnoſcere librum hunc ſaltē ſuppoſititium eſſe. Nam *liber ad virginem lapſam non videtur eſſe Ambroſij,*[o] inquit ille. *Quia cap.* 8. *ſic loquitur Author, Inhære pœnitentiæ vſque ad extremum vitæ, &c. quum hæc ſententia Nouatianum errorem contineat, & contra eam diſputet S. Ambroſius in duobus libris de pœnitentia. Bellarmino* conſentit *Poſſeuinus,*[*] qui & *ſtylum* notat *& dictionem ab* Ambroſianis diſcrepantes.

o Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 374.

* In Apparat. ſac. verbo, Ambroſius.

Eodem Tomo habentur duo illi de Pœnitentia libri, quos citat Bellarminus vt probet, [a] Pœnitentiam eſſe Sacramentum; [b] Contritionem cauſſam eſſe remiſſionis peccatorum; [c] Confeſſionem Sacramentalem neceſſariò requiri ad remiſſionem peccatorum; & [d] opera laborioſa eſſe ſatiſfactoria pro reatu pœnæ temporalis.

a Bell. de Pœnit. l. 1. c. 10.
b Ibid. l. 2. c. 12.
c Ibid l. 3. c. 8.
d Ibid. l. 4. c. 6.

De authore tamen librorum iſtorum ipſi ambigunt Pontificij.

Hæc Ambroſius de Pœnitentia lib. 2. cap. 5. ſi modo is Ambroſius fuit, [e] inquit Fr. Ribera Ieſuita.

Peletrus etiam *à Soto lect. 2. de neceſſitate Confeſſionis, libros duos de Pœnitentia non audet affirmare eſſe S. Ambroſij;* [f] inquit ipſe Bellarminus.

e Fr. Ribera, in Ioel cap. 2. nu. 22 & 23.

f Bellar: de ſcrip. Eccleſ. Ambroſ.

Tomo 2. operum *Ambroſij* habentur duo libri *de vocatione Gentium,* qui citantur ab [p] *Hardingo,* pro prærogatiua Romanæ Eccleſiæ: à [q] Sacrificulis noſtris vt probent: Infantes ſine baptiſmo morientes perpetuò excludi viſione Dei: à [r] *Tallepiedo,* pro libero arbitrio.

p Art. 4. Reſp. ad Iuelli procat.

q In petitione ad Regiam Maieſtatem.

r In collatione 4. doctorum ſuper 30. Artic. ab hæreticis agitatos, aſſertio. 1.

Libellos de vocatione Gentium arbitror alterius eſſe; cuius rei ſi nullum aliud eſſet argumentum, tanta tamen eſt totius phraſis diſſimilitudo, vt primo ſtatim guſtu lector deprehendat, alium loqui quàm Ambroſium, inquit [ſ] Eraſmus.

ſ Cenſura in initio to. 2. operum Ambroſii ex edit. Coſterij.

Libros de vocatione Gentium falsò Ambroſio adſcribi, aperte indicat diſputatio contra Pelagium de induſtria ſuſcepta, quem Ambroſij ætatem non vidiſſe author eſt D. Auguſtinus contra Iulianum agens, [t] inquit Andradius. Idem ſcribit *Bellarminus* in libro de Eccleſ. ſcript. verbo *Ambroſius,* ad an. 374. & *Ioh Oliuarius* in præfat. operum *Proſperi.*

t Orthodox. Explicat. lib. 4.

Tomo 3. operum *Ambroſij,* habentur *Epiſtolæ* numero 85. Quarum 82. citatur à [u] *Bellarmino,* vt probet: votum

u Lib. 1. de Clericis c. 16.

Continentiæ

x De bonis operibus in partic.l.2. c.11.
y Annot.in 1. Cor.15.32.
z Apparat.ſac.verbo, Ambroſ.obſeruatio in to.5.

Continentiæ annexum eſſe Ordinibus ſacris, ita vt nec ducere vxores, nec vxoribus ante ductis vti liceat poſt ordinationem: & [x] alijs de cauſis. Citatur etiam à [y] *Rhemenſibus* vt probent, Ieiunium eſſe meritorium.

Epiſtola 82. *non poteſt eſſe Ambroſij* (inquit [z] Poſſeuinus) *In ea namque fit mentio Venetiarum. Quæ ciuitas poſt Ambroſij mortem ædificari cœpta eſt, nimirum anno Dom.*420.

a Comment. in 2.Tim.p.269.

Epiſtola 84. ad *Demetriadem* citatur ab [a] *Eſpencæo*, pro libero arbitrio.

In 3. *To. certum eſt aliquas Epiſtolas non poſſe eſſe Ambroſij. Nam in epiſt.*84.*mentio fit Pelagianorum, qui Ambroſio noti non fuerunt*, inquit [*] Bellarminus.

* Lib.de ſcript.Eccl.ad an.374.
b Loco ſupra citato.
c Cenſura in initio To.2.operum Ambroſij.
d Annal. To.5. ad An.397.nu.39.

Aliqui hanc Epiſtolam vt alieniſſimam ab Ambroſio reijciunt, inquit [b] Poſſeuinus. *Hæc Epiſtola multorum ſententiâ eſt eius, qui libros de vocatione Gentium conſcripſit, nimirum Proſperi Aquitanici*, inquit [c] Coſterius. *Epiſtolam ad Demetriadem ſcriptam, Ambroſij nomine, hactenus lectam, Pelagij fuiſſe conſtat*, inquit [d] Baronius.

e Dial.3.c.13.
f Ratione 5.
g Lib.3.de cultu ſanct.c.5.

Epiſtola 85. de *Inuentione corporum Sanctorum, Geruaſij & Protaſij*, citatur à [e] *Copo*, & [f] *Campiano*, pro Reliquijs: & à [g] *Bellarmino*, pro Dedicatione Eccleſiarum.

Hanc Epiſtolam non eſſe *Ambroſij*, ex eo patet, quòd idem omnino huius Epiſtolæ Author fuit, & *Ser.* 91. *de Inuentione corporum ſanctorum Geruaſij & Protaſij*: quemadmodum apparet ex poſtremis verbis Epiſtolæ, collatis cum primis verbis illius ſermonis. Nam ſermonem illum 91. non eſſe *Ambroſij*, *Eraſmus* & *Coſterius*, (ſi [h] cenſuræ in initio Tom.3. præfixæ diligentiùs conſiderentur) conſentiunt.

h Vide infra.

Eodem Tomo operum *Ambroſij* habentur *ſermones* 92. Ex quibus varij citantur à [i] *Bellarmino*, viz. 6,11.23.25.26.27.34.37.38.47.69.76.77.78.81.90,91.92. Sexta citatur ab eo vt probet, cultum aliquem ſacris rebus, ſanctis Angelis, & hominibus deberi. [k] 11. vt probet prærogatiuam quandam S. Petri, imò ipſiſſimum [l] Primatum Petri. [m] 23. vt probet quadrageſimam continere 42. dies. [n] 25. vt probet fideles in conſcientia obligari ad Ieiunia, & [o] quadrageſimam ab ipſo Domino indictam fuiſſe. [p] 26. 34. &

i Lib.1.de ſanct. beatit.c.13.
k Lib.1. de Ro. Pont.c 20.
l Lib. citat c.25.
m Lib.2. de bonis operibus in partic.c.14.
n Lib. citat.c.7.
o Lib.citat.c.14.
p Lib.citat.c.16.

37. vt probet: quadrageſimam inſtitutam fuiſſe, vt Chriſtum, qui caput noſtrum eſt, eo modo quo poſſumus, imitemur. [q] 27. & 38. vt probet: quadrageſimam inſtitutam, vt Chriſtiani non ſolum pro ſe, ſed etiam pro Catechumenis in Paſchate regenerandis ieiunent, & orent. [r] 43. & 91. vt probet: Signum crucis ſacrum eſſe & venerabile; qui Ser. 91. citatur ab eo [ſ] iterum, vt probet Sanctos eſſe inuocandos. [t] 47. vt probet: Petrum eſſe Petram Eccleſiæ. [u] 69. vt probet: Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. [x] 76. 77. & 78. vt probet: Pium & bonum eſſe colere feſtos dies. [y] 91. & 92. vt probet: Adorationem Reliquiarum. Ex reliquis nonnulli citantur ab [z] alijs Pontificijs hic, illic, vt fert occaſio.

q Ibid.
r Lib.2. de Imagin.c.29.
ſ Lib.1. de ſanct. beatit.c.19.
t Lib.1. de Rom. pont.c.10.& 11.
u Lib. citat.c 22.
x Lib.3. de cultu ſanct.c. 16.
y Lib.2. de reliquijs.c.3.
z Cenſ.Colon. Dial. 9.

Tertius hic Tomus exhibet conciones ad populum breues, quas ſuppoſititias eſſe nihil addubito, nihil enim in his Ambroſianæ venæ, inquit [a] Eraſmus. *Quòd multi horum ſermonum Ambroſij non ſint, cum ipſa dictio euidenter docet, tum quòd in manuſcriptis, & excuſis libris, Maximi Taurinenſis, vel vt alij habent, Mediolanenſis Epiſcopi titulum præ ſe ferunt*, inquit [b] Coſterus, adijciens, *Cuiuſcunque certè ſunt, eiuſdem omnes Authoris videntur*. Ipſe Baronius & Poſſeuinus etiã idipſum ex parte confitentur. Nam *complures S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis* (ſermones) *Ambroſij nomine habentur*, inquit [c] Baronius, pergens in hunc modum; *Sunt & alia aliorum nonnulla, vt S. Proſperi & aliorum, vtinam & non Pelagij etiam: cuius Epiſtolam ad Demetriadem ſcriptam, Ambroſij nomine hactenus lectam fuiſſe conſtat, vt prætermittam alia nonnulla alieniſſima ab eo, quæ eius tamen titulo cuſa leguntur. Quod ad ſermones attinet*, inquit [d] Poſſeuinus, *veteribus editionibus: haud dubium quin ſermo 9. 37. 72. non erant Ambroſij. Extabant autem inter ſermones quoque Auguſtini. Sermo item de Euſebio Vercellenſi, qui erat 69. & ſer. 73. de Cypriano habentur inter ſermones D. Maximi. Ser. porro, 3. 14. 31. 32. 44. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 77. 78. & 82. ad verbum ſunt in ſermonibus Maximi, & verò Maximi potius eſſe, quàm Ambroſij videntur.* Hæc ille.

a Cenſura in To. 3. operum Ambroſij.
b Cenſura To.3. operum Ambroſij.
c Annal. To.5. ad An. 397. nu. 39.
d Apparat. ſac. verbo, Ambroſius, obſerua. in To. 5.

Quæ omnia habentur etiam apud Bellarm. lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 374.

Qui ſi rem diligentius expendiſſet, & accuratius ſermones cum ſermonibus contuliſſet, reperire potuiſſet multo plures ex his ſermonibus ſub *Auguſtini* & *Maximi* nominibus latere. Nam *Ser.* 1. (exceptis decem ex primis lineis) idem eſt cum ſermone 31. *de Sanctis in Auguſtino.* 2. idem eſt cum 33. *de Sanctis in Auguſtino.* 7. idem eſt cum *Ser.* 19. *de verb. Dom. in Auguſt.* 9. idem eſt cum *Ser.* 25. *de verbis Apoſt. in Auguſtino.* 37. Idem eſt cum *Ser.* 77. *de tempore in Auguſtino.* 49. Idem eſt cum *Auguſtini ſermone* 118. *de tempore.* 51. Idem eſt cum *Auguſtini Ser.* 128. *de tempore* 66. Idem eſt cum *Auguſtini Ser.* 26. *de Sanctis.* 71. Idem eſt cum *Auguſtini Ser.* 30. *de Sanctis.* 52. reperitur in *Euſebio Emiſſeno Hom.* 4. *de Paſchate.* In *Maximo* verò *Romæ* impreſſo per *Paulum Manutium*, Anno 1564. cum Priuilegio *Pij* 4. Pontificis maximi, Ser. 3. 9. 10. 14. 29. 30. 31. 32. 40. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 66. 72. 77. 78. & 82. totidem verbis reperiuntur.

Atque hæc dicta ſunt in genere de ſermonibus ipſis. In particulari, ſciendum porro, *Ser.* 34. 69. 70 & 90. nominatim ab ipſis Papiſtis reijci: *Certè*, inquit [e] *Bellarminus*, verba faciens de *Ser.* 34. *vix fieri poteſt vt Author ſit Ambroſius, cum eius tempore Mediolani ſeruaretur vſus Græcorum de Sabbatho non ieiunando.* Et, *Ser.* 34. *in quo agitur de Ieiunio quadrageſimo, vix putatur eſſe Ambroſij. Ambroſij enim ætate Mediolani ſeruabatur mos Græcorum de non ieiunando in die Sabbathi,* inquit [f] Poſſeuinus.

[e] De bonis operibus in partic. l. 2. c. 15.

[f] Apparat. ſac. verbo, Ambroſius.

Apud *Sanctum Ambroſium* extant de *S. Euſebio* ſermones duo, (viz. 69. & 70.) At *nihil eſt quo Sancto Ambroſio tribui poſſunt, vt ex ipſis apparet*, inquit [g] *Baronius.* Author prioris (viz. 69.) dicitur *Pſeudo-Ambroſius*, à [h] *Molano.*

[g] Append. ad To. 3. an. 355.

[h] Annot. in Vſuardi martyrolog. Aug. 3.

De *Ser.* 90 in quo deſcribitur *Paſſio B. Agnetis Virginis*, hæc eſt [i] *Eraſmi* cenſura. *Sermo de Agnete cuius ſit neſcio, appendix in fine indicat artificem.* [*Hæc ego Ambroſius ſeruus Chriſti dũ in diuinis voluminibus inueniſſem ſcripta, &c.*] *Quis enim vnquam appellauit, diuina volumina, præter Scripturas Canonicas?*

[i] In cenſura To. 3.

De eodem ſimilis eſt cenſura Bellarmini. Nam Ser. 90. de paſſione B. Agnetis, dubius redditur, [*] inquit ille. Quoniam

[*] Lib. de ſcript. Eccleſ. an an. 374.

am S. Ambroſ. lib. 1. de virginibus ſignificat, B. Agneti ceruicem gladio amputatam. Stetit, inquit, orauit, ceruicem inflexit. At illius ſermonis Author ſcribit, B. Agneti ad palum alligatæ, vt combureretur, cum flamma diuinitus extincta eſſet, iuſſu Aſpaſij iudicis gladio guttur fuiſſe perfoſſum.

Tom. 4. Operum Ambroſij habetur liber inſcriptus, *De ijs qui myſterijs initiantur*. Habentur etiam eodem Tom. *De ſacramentis Eccleſiæ libri ſex*, qui citantur paſſim à Bellarmino, & alijs Pontificijs, [a] pro *Papiſtica reali præſentia Chriſti Domini in ſacramento Euchariſtiæ*: pro [b] *Tranſubſtantiatione*: pro [c] *vino temperando aqua in Calice*: pro [d] *ſacrificio Miſſæ, &c.*

Atqui (vt omittam, quod Poſſeuinus, dum libros de ſacramentis [*] *penè omnes* pro legitimis Ambroſij fœtibus habere aſſerit, nonnullos eſſe ſubindicat, qui ſecus opinentur) hos libros eſſe ſuppoſititios, non puros putos *Ambroſij*, quod volunt Pontificij, neceſſarijs (vt ego quidem ſentio) euinci poteſt argumentis. Nam in his libris habentur multa falſa, quædam ridicula: vnum, indubium, hæreticum: & alterum, quod repugnat dogmati ab *Ambroſio* tradito in libro verè *Ambroſij* genuino.

a Bel. l.2. de Euch. c.14.
b Idem lib. 3. de Euch c.20.
c Idem lib. 4. de Euch. c. 10.
d Idem lib. 1. de Miſſa, c. 18.
* Poſſeuin. in Apparat. ſac. Ambroſ.

In lib. de ijs qui myſterijs initiantur, cap. 5. affirmat Author ſcripturam teſtari, *Quod ad preces Hieroboal ignis deſcenderit de cœlo*. Atqui nihil tale de Hieroboal legitur in Scriptura ſacra.

In lib. 2. de ſac. cap. 2. ſcribit Author, Chriſtum dixiſſe ad Paralyticum (de quo Ioh. 5.) *deſcende* [in piſcinam.] Atqui de deſcenſu in piſcinam nullum mandatum dedit Chriſtus Paralytico.

In lib. 4. de ſac. cap. 5. multa congerit verba, quæ partim, Euangeliſtæ; partim, Chriſti eſſe ait: quæ tamen nec *Euangeliſtæ*, nec *Chriſti* eſſe, quiſquam purioris æui ſcripſit.

In lib. 5. de ſac. cap. 1. *Audi homo* (inquit Author iſte) *quid dicat Paulus Apoſtolus ad Heb. vbi ſunt qui filium Dei dicunt eſſe de tempore?* Atqui in Epiſtola ad Heb. huiuſmodi verba non habentur.

Eodem lib. cap. 4. affirmat Author, Chriſtum dixiſſe,

Ne patiaris nos induci in tentationem: non, *Ne inducas in tentationem.* Sed, ſiue Græcos, ſiue Latinos Codices inſpiciamus, ſcriptum legimus, *Ne inducas in tentationem.*

e Ioh 6. In lib. 6. de ſac. c. 1. verba faciens de [e] colloquio Chriſti cum Iudæis de *eſu ipſius carnis:* ſolum Petrum dixiſſe ait, *Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quò recedam?* Atqui non dixit Petrus, *Quò ego à te recedam?* Sed, *quò nos à te recedamus?* vt rectè notat [f] *Maldonatus è Theophylacto.* Nec quiſquam eſt (opinor) præter vnum [g] *Lanfrancum*, qui hac in re cum hoc Authore conſentiat.

f Comment. in Ioh. 6. 68.
g Lib. 1. de ſacra.

Quod Author iſte, *Paralytici* verba Ioh. 5. *Hominem non habeo:* ita [h] exponat, quaſi, per *hominem* Paralyticus intellexerat Chriſtum mediatorem, perquam leuiculum eſt; nec minus quòd diſputans de *oſtio* quod claudendum cum oramus, per quod [i] intelligi vult, *os*; ſubijciat: *vtinam mulieres audirent.*

h Lib. de ijs qui myſt. initiantur, c. 4. & l. 2. de ſac. c. 2.
i Lib. 6. de ſac. c. 3.

Quod in his libris [k] *peccata propria* (i. Actualia) per *baptiſmum relaxari* dicat: *hæreditaria verò* (i. Originalia) per *lotionem pedum*, certè hæreticum eſt. *Cum Theologia & Eccleſiæ doctrina non conuenit*, teſte [l] Maldonato.

k De ijs qui myſt. initiantur, c. 6. & l. 3. de ſac. c. 1.
l Comment. in Ioh. 13.

Quod in his libris, [m] *In Baptiſmo exprimendas eſſe tres perſonas diuinas*, dicat Author, repugnat dogmati quod alibi tradit *Ambroſius.* Nam Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. putauit (agnoſcente [n] Bellarmino) ſufficere ad Baptiſmum *Inuocationem vnius perſonæ diuinæ tantùm.*

m De ijs qui myſt. initiantur, c 4. & l. 2. de ſac. c. 5. & 7.
n Lib. de Bapt. c. 3

His adde, quod caput 4. lib. 5. de ſac. habetur integre apud Auguſtinum ſer. 28. de verbis Domini. Et quod Author iſte, cum [o] promittat ſe dicturum *de hoc*, viz. *pro quo orare debeamus*, non exoluit promiſſum. Nam & hæc ſuſpectum reddunt opus.

o Lib. 6. de ſac. c. 3

Verùm quo veritas magis elucescat, videamus quid è contra proferunt Papiſtæ, quo probent ipſius *Ambroſij* genuinos eſſe fætus.

Primarium Bellar. Argumentum deſumitur ex hoc, quod [p] *citantur hi libri ſub nomine Ambroſij à Lanfranco, Guitmundo, & alijs qui ante annos* 500. *floruerunt.*

p Lib. 2. de Euch. c. 14.

Atqui ſane hoc leuiuſculum eſt. Nam *Homilia de ſanguine & corpore Domini*, quæ eſt *Hom.* 5. *de Paſcha* inter *Homilias Euſebij Emiſſeni*, citatur ſub nomine *Euſebij Emiſſeni*, à [q] *Gratiano,*

q De Conſec. d. 2. quia corpus.

tiano,[r] *Petro Lambardo,*[ſ] *Guitmundo,*[t] *Algero* , & alijs qui ante annos 500. floruerunt: nec tamen eſt *Euſebij Emiſſeni*, fatentibus Pontificijs. Quid ni ergo & hi libri citari poſſint ſub nomine *Ambroſij* ab ijs qui ante annos 500. floruerunt, cum tamen *Ambroſij* non ſint?

r Lib.4.ſent. d 8.
ſ De ſacra l.2.& 3.
t De ſacram.lib.1. c.5.& 12.

Proximum Bell. Argumentum deſumitur ex hoc, quod in [u] *Præfatione libri de Myſterijs initiandis (qui eiuſdem Authoris eſt, cuius ſunt illi libri de ſacramentis, quod ex ſtyli & ſententiarum ſimilitudine conſtat) Author dicit ſe tractaſſe moralia quadam ex vitis Patriarcharum, & ex Salomone.* Nam *illa opera nemo vnquam negauit eſſe Ambroſij*, inquit Bellarminus.

u L.2.de Euch.c.14

Primò, illud falſum, neminem vnquam negauiſſe, *moralia illa ex vitis Patriarcharum, & ex Salomone*, *eſſe Ambroſij*. Nam *Eraſmus* ad initium To 4. negat libellum de *Salomone* eſſe *Ambroſij*. Et in Epiſtola ad *Ducem Cliuenſem*, quæ habetur To.4. Operum *Ambroſij* præfix. *Apol. Dauid*, quæ incipit, *Fortaſſe pleroſque*, negat *Apologiam* illam *Dauid* & librum ſequentem, *De Interpellatione Dauid*, eſſe *Ambroſij*. In quo, quod ad *Apologiam Dauid*, & lib. ſequentem, *De Interpellatione Dauid*: habet Bellarminum confitentem. Nam *Apologia Dauid poſterior, & liber etiam poſterior de Interpellatione Dauid, non videntur eſſe Ambroſij*, inquit * Bellarminus.

* De ſcript. Eccleſ. verbo, Ambroſ. Mediolan.

Secundò, quid impedit quo minus mentiens Author fingat ſe ſcripſiſſe quæ nunquam ſcripſerat, vt faciliùs Lectoribus imponeret? Annon *Author* Canonis 84. inter *Canones Apoſtolorum*[y] fingit eos Authores illius Canonis fuiſſe, qui ſcriptores quatuor Euangeliorum, quos vel fuiſſe *Apoſtolos*, vel *Euangeliſtas* nemo dubitat? [z] Si Bellarminus dixerit non finxiſſe, concedat oportet illum Canonem eſſe Apoſtolicum: quod tamen negat: Si dixerit finxiſſe, actum eſt de Argumento ſuo, & de cauſa ſimul. Nam hoc ſecundum Argumentum, eſt & poſtremum, quod apud eum reperi.

y To. 1. Conc.
z Lib. 1. de verbo Dei, c. 20.

Habet quidem *Roffenſis* contra *Oecolampadium* aliud. *Roffenſis* ait [a] *Auguſtinum in procœmio librorũ de doctrina Chriſtiana teſtari, Librum quendam de Sacramentis ab Ambroſio fuiſſe conſcriptum:* ex eo concludens, *æquum eſſe vt vel alium proferamus quem de Sacramentis Ambroſij titulo Chriſtiani legunt, vel hoſce vt Ambroſianos agnoſcamus.*

a Lib.1.de Euch. c.13.

Verùm illud primò falſum, quod ex *Auguſtino* citat. Nam nihil tale loco citato teſtatur *Aug. Auguſt.* reuerâ de doctr. Chriſt.l.2.c.18.ex *Amb.*refert *Platonem ſub Ieremiæ tempora profectum in Ægyptum*; idque in Retractationibus ex *Ambroſij de Sacramentis ſiue de Prophetia* ſcripto ſumptum ſignificat. Quod cum in iſtis qui iam habentur ſub *Ambroſij* nomine de *Sacramentis* libris nuſquam compareat; pro luculenta admodum probatione eſſe poteſt, non eſſe hos libros eoſdem illos, quorum meminit *Auguſtinus.*

Teſte Poſſeuino, Apparat.ſac. verb. Ambroſ. Mediolan.

Sed & iniquum planè illud quod ſecundo loco petit. Nam *Caſſidorus* meminit *Expoſitionis Ambroſianæ in omnes Pauli Epiſtolas, quæ vel interijt, vel nondum eſt inuenta, & in eius locum ſuppoſitus alterius in eaſdem Epiſtolas Pauli Commentarius ſub Ambroſij nomine.* An æquum cenſere poteſt æquus Lector, vt ſupoſitum hunc Commentarius quem habemus *Ambroſij* nomine inſignitum, agnoſcamus ipſius eſſe *Ambroſij*, niſi proferre poſſimus *Expoſitionem* cuius meminit *Caſſiodorus?*

Tomo eodem habentur *Orationes duæ præparantes ad Miſſam*: quarum prior citatur ab [k] *Alano*, vt probet Orationes pro mortuis: Et poſterior ab eodem [l] *Alano*, vt probet: *Ambroſium* timuiſſe Purgatorium: vtraque illarum citatur à ſacrificulis in Petitione ad Regiam Maieſtatem, vt probent: *Ambroſium* conſtituiſſe quaſdam precum formulas à Miſſificaturis ante Miſſam dicendas, præparationis loco.

k Lib. de precibus pro defunctis, c. 11. fol. 226. &c.

l Lib. de purgat. c. 12. fol. 107.

Duas precationes præparantes ſacerdotem aditurum Miſſæ munus, iudico non eſſe Ambroſij, inquit Eraſmus, *de cuius iudicio* non audet [m] Copus contendere.

m Dial. 3. c. 3.

Et, quia quilibet ex fæce inter Pontificios, qualis exempli gratia Abecedarius ille [n] *B.C.* qui ſe Theologiæ ſtudioſum inſcribit, nauci videtur facere cenſuram *Eraſmi*, Eraſmum perſtringens tanquam *phantaſticum, partialem, modernum, & hominem inconſtantem*, (hæc enim ſunt *Epitheta* quibus homo nihili, *Eraſmi* famam denigrare conatur, licet fruſtra; cum maior ſit *Eraſmus* quàm cui poſſit talis tenebrio nocere) oſtendam *Eraſmi* cenſuram dignam tali viro, æquam videlicet & iuſtum.

n. Lib. Anglicè inſcript. Bell. triall examined. impreſſ. 1608. c. 10. p. 107.

Atque primum quo vtar Argumentum deſumptum erit

cx

ex ſilentio *Bellarmini.* Nam cum multa ſint in duabus hiſce precationibus quæ cauſæ Pontificiæ plurimum fauent, niſi *Bellarminus Eraſmi* cenſuram iuſtam cenſuiſſet, cur nullibi vt cauſæ inſeruiret ſuæ, harum meminit? Non ſolet *Bellarminus*, leuibus de cauſis, loca tam apertè pro ſe loquentia ſilentio præterire.

Secundum Argumentum deſumetur ex materia precationum, præſertim 2. Nam in illa, Author precatur pro *Regibus* nominatim, cum tamen de *Imperatoribus* verbum habeat nullum. Atqui licet rectè oratio ſit pro *Regibus* in ijs locis qui *Regibus* ſubſunt, vt rectè annotauit [o] Bellarminus: tamen cum *Ambroſius* in *Italia* vixerit ſub Imperaroribus glorioſiſſimis *Valentiniano & Theodoſio*, ſub *Rege* nullo; incredibile eſt *Ambroſium*, *Imperatoribus* neglectis, *Reges* commendaſſe Deo, præſertim cum [p] *Tertullianus* teſtetur *morem fuiſſe Occidentalium, pro ſalute Imperatorum Deum vocaſſe æternum cum coirent in cœtum.*

o Lib. 2. de Miſſa, c. 21.

p In Apologet. c. 30. & 39.

Præterea, in eadem precatione, mentio ſit *ſeptem Capitalium vitiorum, & vitiorum ex ijs manantium*, eodem plane ordine, & ijſdem omnino verbis, quibus ea expreſſit [q] *Gregorius Magnus.* Neque tamen Doctores ſcholaſtici, cum eam doctrinam ſtabilire conantur humanis teſtimonijs, antiquius vllum proferunt quàm *Gregorij*: *Ambroſium* in illa cauſa nemo appellat teſtem. Ex quo colligi poſſe videtur, ipſos Scholaſticos non agnouiſſe haſce precationes pro Ambroſianis.

q Expoſit. Moral. in Iob l. 31. c. 51.

Pro cuius argumenti corroboratione, ne quis putet *Gregorium* mutuatum eſſe ea quæ habet ex authore harum precationum, non indignum ſcitu eſt, quod ſcribit [r] *Sixtus Senenſis*, viz. *Tanta eſt in Gregorianis ſcriptis vbique dictionis æqualitas: tanta ſemper ſtyli ſimilitudo, ac tam apte continuata orationis ſeries, vt nihil in illis appareat, quod vel aliunde mutuatum, vel quod ab alio authore profectum videri queat.*

r De falſa lib. inſcriptione ad finem l. 4. Bibl. ſanctæ.

To. eodem habetur liber de Tobia, qui citatur à * Bellarmino, vt probet: Tobiæ librum eſſe Canonicum.

* Lib. 1. de verbo Dei, c. 11.

Hunc librum quidam putant eſſe adulterinum & ſuppoſititium, vt Eraſmus, & quidam ſcholaſtici Thelogi, inquit * Contius.

* Notis in c. 14. q. 4. Quid dicam.

Tomo. 5. operum *Ambroſij* habentur *Commentarij in omnes Pauli Epiſtolas.* Ex quibus multa allegant Pontificij in cauſæ ſuæ patrocinium. [f] *Bellarminus* citat Comment. in Ro. 10 & ad Eph. 4. pro deſcenſu Chriſti ad inferos. [t] Comment. in 2. Cor. 12. & in Gal. 1. pro primatu Petri. [u] Comment in 1. Tim. 1. pro Continentia Clericorum: & [x] Comment. in 1 Tim. 3. pro Omnipotentia Papæ. [y] Comment in 2. Theſ. 2. vt probet, quod nondum venerit Antichriſtus. [z] *Rhemenſes* & [a] *Alanus* citant Comment. in 1. Cor. 3. pro Purgatorio. Iidem [b] *Rhemenſes* citant Comment. in. Heb. 10. vt probent, ſacrificium Miſſæ idem eſſe numero cum ſacrificio crucis.

f Lib. 4. de Chriſto, c. 14.
t Lib. 1. de Ro. Pont. c. 25
u Lib. 1 de Clericis c. 19
x Lib. 2. de Ro. Pont. c. 5.
y Lib. 3. de Ro. Pont. c. 5.
z Annot. in 1. Cor. 3. 15.
a Defenſ. Purgat. c. 7. fol 72.
b Annot. in Heb. 10. 11.

Author horum Commentariorum non videtur *Ambroſius*. Nam 1. ſcribens de raptu Pauli in 3. cœlum, 2. Cor. 12, videtur eorum ſententiam approbare qui *Lunam in 3. circulo eſſe dicant*; quod craſſam in Aſtronomia arguit ignorantiam. Nam non minus verum quàm vetus eſt illud:

Poſt ſim, ſum ſequitur, vltima Luna ſubeſt. Secundò, ſcribens in *Rom. 1. Iſte* (inquit) *propter inquietudinem Saulus eſt nuncupatus: poſtquam autem credidit, ex Saulo Paulum ſe dicit, hoc eſt immutatum*; quod eſt paulo alienius ab omni Grammaticali conſtructione. 3. *in 1. Cor. 3. Paſcha Immolatio, non tranſitus eſt, vt quibuſdam videtur*, inquit Author eſte; cum tamen *Ambroſius in lib. de Cain & Abel*, vnus eſt ex eorum numero, *qui Paſcha tranſitum eſſe tenent.*

Franciſcus Lucas Brugenſis, [c] ordinariè appellat hunc Authorem *Ambroſiaſtrum*; & quodam in loco, [d] *vſurpat, ſed mentitur liber Ambroſij nomen*, inquit ille: affirmans [e] alibi, *Hilarium Diaconum exiſtimari authorem Commentariorum Ambroſium mentientium.* Mitto [f] *Maldonatum*, qui *Remigium Lugdunenſem authorem Commentariorum qui Ambroſio tribuuntur, eſſe dicit.* Mitto Theologos [g] *Louanienſes*, & [h] *Poſſeuinum* Ieſuitam, qui credendum eſſe aiunt, *eundem iſtius Commentarij authorem eſſe, qui librum ſcripſit de Quæſt. Vet. & noui Teſtamenti.* Satis ſit meminiſſe quæ *Salmeron*, quæ *Baronius*, quæ *Bellarminus* ipſe, de his Commentarijs ſcripſerint.

c Annotat. in Gal. 3. 1. 1. Tim. 2. 6. 2. Tim. 2. 25 Tit. 1. 8.
d Notat. 1. Tim. 2. 6.
e In Rom. 2. 15.
f Comment. in Math. 19. 9.
g Cenſura in Auguſtinum.
h Apparat. Ambroſius.

Viri perdocti aſſerunt einſmodi Commentarios in omnes Pauli

li Epiſtolas, non eſſe Ambroſio adſcribendos, nec eius eſſe proprium fœtum, ſed ſpurium & nothum, illique falſò inſcriptum. In quam ſententiam pleroſque Catholicos viros acri iudicio & doctrina præſtantes —pedibus iuiſſe animaduerti, inquit [i] Salmeron.

[i] Comment. in Epiſto. Pauli. diſput. 19. p. 63.

Expoſitio Ambroſij in omnes Pauli Epiſtolas (Caſſiodori tempore deſiderari cœpta erat, ſed plane deperdita, in eius locũ, alterius authoris opus, apparet fuiſſe ſuppoſitum, inquit [k] Baronius.

[k] Annal. to. 5. ad an. 397. nu. 38.

Ea Commentaria non ſunt Ambroſij, inquit [l] Bellarminus, vno in loco: *Commentarios in Paulum ad Romanos falſò tribui S. Ambroſio viri docti non ſine cauſa iudicant*, inquit idem [m] Bellarminus alio in loco. Et alibi rurſus, * *De Commentarijs illis non parùm dubitatur an ſint Ambroſij.* Sed & rationem ſubiungit, quia ſecus quædam exponit, quàm in genuinis eius operibus ab Ambroſio exponuntur: *Vnde*, inquit, *magis probabile efficitur, Commentarios in Epiſtolas non eſſe Ambroſij.* Et in ſcript. Eccleſ. Catalogo, multis contendit rationibus, *nec eſſe Ambroſij, nec Hilarij aut Pictauienſis, aut Aretatenſis, ſed Hilarij* neſcio cuius *Diaconi Romani, qui Luciferi ſchiſma propagauit.* Denique in quinto quodam loco, ille ipſe [n] Bellarminus, qui [o] aliàs titulo *Beati* hunc authorem inſignierat, *Authorem* (inquit) *eorum commentariorum non eſſe Ambroſium, quod eruditi non ignorant, ſed nec aliquem ex celebratis Patribus, reſpondeo.* Vbi inſignis perfidia & iniquitas Pontificiorum apparet, qui cum aliquid in his Comment. reperiant, quod cauſæ ſuæ patrocinetur, continuò [p] clamant, *Sanctus Ambroſius* ſic dicit, *beatus Ambroſius* ſic dicit; cum aliquid reperiant quod cauſæ ſuæ aduerſetur, tum: *Comment. horum author, nec eſt Ambroſius, nec aliquis ex celebratis Patribus.*

[l] De Euch. l. 2. c. 14

[m] De Clericis l. 1. c. 15.

* De Chriſto l. 1. c. 6.

[n] De gratia & libero arbitrio. l. 2. c. 14.

[o] De matrimonio l. 1. c. 17.

[p] Anglo. Rhem. in 1. Tim. 3. 15. Bell. de Rom. Pont. l. 2. c. 16. Stapleton. promptu. Cathol. pars 2. p. 140.

Ex Anglia quidam docti miſerunt ad me ſpeciminis loco paginam deſcriptam ex Commentarijs in Epiſtolam ad Hebræos, quibus præfixum erat Ambroſij nomen: ſed tota phraſis magis referebat Remigium aut Anſelmum, aut alium eius æui ſcriptorem quàm Ambroſium; inquit Eraſmus Cenſura præfixa Tom. 1. Operum Ambroſij.

Opera falsò adſcripta Ambroſio, quæ alibi quàm in Coſteri editione ſunt excuſa.

q Comment. in Apoc. 11.

r In Petit. ad Regiam maieſtatem.

HAbentur quidam *Commentarij in Apoc. Ioh.* ſub nomine *Ambroſij*, qui citantur à q *Ribera*, vt probet: Eliam venturum ante diem iudicij: &, à r ſacrificulis noſtris, quo probent Purgatorium.

Rhemenſes noſtri, qui alioqui ſatis grauiter ſunt impudentes, in vrgendo, ſub ſpecioſis nominibus, quæcunque ſcripta ad manus venerint, *Notha*, ſiue *Nota* ſint, modo ad rem Pontificiam faciunt: non audent tamen hoſce Commentarios. *S. Ambroſio* aſcribere, ſed quum citant ex ijs, quod pro cauſa ſua facere videtur, in hunc modum citant: *Author Commentariorum in hunc librum* (viz. Apocalypſ.) *præ ſe ferens nomen S. Ambroſij*, ſic ait. In quo plus modeſtiæ oſtendunt quàm *Ribera*, & nuperi noſtri *ſacrificuli*. Nam extra omnem eſt controuerſiam, hos *Commentarios* non eſſe *Ambroſij*.

ſ Bibl. l. 4. Ambroſius: & de falſa libro. inſcriptione.

Feruntur ſub Ambroſij nomine in Apoc. Commentaria nuper Lutetiæ impreſſa, ſed præterquam quod ſtyli diuerſitas manifeſte reclamat, multæ ſunt etiam toto opere inſperſæ Gregorij ſententiæ, quæ opus oſtendunt non eſſe Ambroſij: & author ipſe in explanatione Cap. 17. *apertè fatetur ſe ſcripſiſſe poſt Rom. imperium à Longobardis occupatum; quod plus quam* 200. *annis poſt Ambroſium contigit*, inquit ſ Sixtus Senenſis.

t Comment. in Epiſto. Pauli, diſput. 19. p. 63.

Noui quidam Commentarij in Apoc. noſtra ætate prodierunt opera & diligentia Cutberti Tonſtalli Dunelmenſis, qui Ambroſio Epiſcopo inſcripti erant; ſed eiuſmodi libri charactere dicendi & ſtylo longe differunt ab Ambroſiano, & author ipſe in explanatione cap. 17. *citat Gregorium duobus ſeculis Ambroſio Mediolanenſi poſteriorem*, inquit t Salmeron.

Apocalypſis D. Ioh. expoſitionem ſub nomine B. Ambroſij Epiſcopi Cutbertus Tonſtallus Dunelmenſis Epiſcopus anno 1548. *à ſe inuentam, dum varias Bibliothecas excuteret, quaſi theſaurum pro ſua pietate euulgari curauit, adiecit rationes, quibus indicabat eſſe Ambroſij legitimum fœtum: — Sed ſane non poteſt*

poteſt eſſe Ambroſij, inquit [u] Poſſeuinus. *Explicatio Apocalypſis non poteſt eſſe Ambroſij, cum Author mentionem faciat Longobardorum Italiam inuadentium, quæ inuaſio diu poſt mortem S. Ambroſij contigit*, inquit Bellar. lib. de ſcript. Eccl. *Iohannes Raynoldus* Lect. 64. ſuſpicatur *Berengandum* authorem eſſe horum Commentariorum. Vide locum.

u Apparat. ſac. Ambroſius.

Berenguiddo (vt ipſe putat, Anglo) Commentarios hoſce in Apocalypſin aſſeruit Io. Pitſius Theologiæ Doctor, Liuerduni in Lotharingia Decanus, in relationum hiſtoricarum de reb. Anglicis Tom. 1. part. 3. in append. illuſtris. Angl. Scriptor. cent. 1. Ex literis initialibus 7. Viſionum nomen Authoris eruitur. Conſulatur Tho. Iameſius de M.S. Oxon. & Cantabr.

In antiquioribus *Ambroſij* editionibus habebatur ſermo *de Baptiſmo Auguſtini*, qui erat numero *ſermo* 94 Hic ſermo citatur à [x] *Torrenſi*, & à *Patrono* [y] *Cenſuræ in Charcum*, & à [z] *Gregorio de Valentia*, vt probent: *Auguſtinum* indutum fuiſſe nigro Cucullo, & cinctum cingulo coriaceo per manus ipſius *Ambroſij*.

x Auguſtini confeſſio l. 4. c. 8. §. 6.
y P. 38.
z De ſtatu & vot. religio. c. 2.

Vltimus ſermo de Baptiſmo D. Auguſtini citra controuerſiam impoſtoris eſt ac blateronis, adeo nihil eſt illic Ambroſianum, inquit [a] Eraſmus.

a Cenſura in to. 3.

Mendoſus ille ſermo de Baptiſmo Auguſtini falsò Ambroſio ſancto aſcribitur, inquit [b] Paulus Langius.

b In Chron. ad annum 1259.

Sermonem de Baptiſmo Auguſtini omnino reiecimus, quod neque in aliquibus exemplaribus, neque etiam in eo quod ante annos multos Mediolani excuſum eſt, inuenitur; & ipſa quoque res clamat, ab inſulſo & audaci impoſtore eſſe confictum, inquit [c] Coſterius.

c Cenſura in to. 3.

Sermo de Baptiſmo Auguſtini non eſt Ambroſij, nec in eius operibus habetur, inquit [d] Molanus.

d Annot. in Martyrolog. Vſuardi Martij 3. edit. Louan. 1568.

Fertur Ambroſij nomine ſer. de Baptiſmo S. Auguſtini, ſed qui ne apicem quidem habeat Ambroſij, inquit [e] Baronius.

e Annal. to. 4. ad an 388. nu. 77.

Sermo de Baptiſmo Auguſtini, longiſſime diſtat à ſtylo & grauitate Ambroſij, inquit [f] Bellarminus.

f De ſcript. Eccl. ad an. 374.

Extabat [g] aliquando inter opera Ambroſij Tractatus quidam ſub hoc Titulo, *Exhortatio ad pœnitentiam.* Hic Tractatus citatur à *Groppero* ſub nomine *Ambroſij*, vt probet:

g In 2. parte Ambroſ. impreſ. Baſileæ 1492.

bet: neminem ex hac vita exire ſecurum, non peracta Pœnitentia.

Hunc Tractatum non eſſe *Ambroſij*, cenſebant ſine dubio illi qui reſecuerunt ex *Ambroſij* operibus. Et quidem idem cenſent, qui reſectam, denuò interſerendam nouis editionibus putarunt, cum *Pariſienſes*, tum *Romanenſes*. Nam non eſſe *Ambroſij* vtrique notant.

Currit ſub *Auguſtini* nomine, & quod ad ſummam rei attinet, idem omnino eſt cum *Homilia* 39. quæ [h] *Cæſario Arelatenſi* tribuitur.

h Cenſores Greg. in Gratianum de pœnitentia, diſt. 7. ſi quis.

Exhortatio ad pœnitentiam, non ab Ambroſio, ſed Auguſtino conſcripta, meritò eſt omiſſa, inquit Ioh. Coſterius in Catalogo lib. poſt vitam Ambroſij. Tom. 1. Operum Ambroſij edit. Baſil. 1567.

Damaſi Papæ Pontificale eſt ſuppoſititium.

DAmaſus Papa papatum poſſedit ad annum 367. ſecundùm computum [a] *Baronij*. Hic ſcripſiſſe librum dicitur, *de geſtis ſummorum Pontificum*, cui *Pontificale*, nomen eſt. Ex hoc libro, tanquam libro reuera *Damaſi*, multa citant Papiſtæ, præſertim *Bellarminus*. Petrum Apoſtolum, Romæ fuiſſe Epiſcopum, vſque ad mortem, ex hoc libro colligit [b] *Bellarminus*: electionem Epiſcoporum pertinere ad ſummum Pontificem: [d] Imagines in templis recte collocari: [e] Baptizatum debere vngi Chriſmate in vertice: [f] veſtes ſacras requiri à ſacerdote Miſſificaturo: [g] Vaſa ſacra ad vſum Miſſæ habenda: [h] Thurificationem in Miſſa, cæremoniam eſſe antiquiſſimam: & id genus alia, ex hoc *Damaſo* concludi vult *Bellarminus*. Et ne quiſquam ſuſpicetur Authorem hunc non eſſe *Damaſum*, *Damaſus geſta Pontificum Romanorum (tota penè Eccleſia, & Trithemio teſte) conſcripſit*, inquit [k] Aloyſius Lypomanus.

Damaſo attribui non poſſe multa conuincunt argumenta,[l] inquit Iohannes Albinus. *Primùm B. Hieronymus, ad quem miſſæ à Platina dicuntur, in ſuo illuſtrium virorum Catalogo,* huius

a Annal. To. 4. ad An. 367.

b Lib. 2. de Ro. pont. c. 4.
c Lib. 1. de Clericis. c. 8.
d Lib. 2. de Imag. c. 9.
e Lib. 1. de bapt. c. 27.
f. Lib. 2. de Miſſa, c. 14.
g Ibid.
h Lib. 2. de Miſſa, c. 15.
i Lib. 1. de pont. Rom. c. 23. &c.
k. Præfat. de vitis Sanct.
l Præfat. ad lect. præfix. Anaſtaſ. Hiſt. de vit. pont. edit. 1602.

huius ſcripti non meminit. Deinde reclamat ſtylus, totáque forma & ſeries orationis. In Epiſtolis enim quæ extant B. Damaſi aliiſque eius monimentis phraſis culta eſt & nitida, in hoc verò de Pontificibus opuſculo, inculta, rudis & impolita. Adhæc multa in hac hiſtoria aſſeruntur à veritate aliena, quæ nullius grauis, & priſci Authoris teſtimonio confirmari poſſunt: multi in eadem Chronographici lapſus, nonnulla pugnantia & aſyſtata.

Eandem occinit Cantilenam *Maſſonus*, nam *Damaſum vulgo exiſtimant deceſſorum ſuorum vitas ſcripſiſſe*, [m] inquit ille. *At Hieronymus nullam mentionem facit editi ab eo libelli, de vitis Epiſcoporum vrbis. Quare non eſt veriſimile hunc libellum à Damaſo compoſitum. Nam quem egregium virum & eruditum Hieronymus prædicat libris atque Epiſtolis aliquot ad eum datis, eum neceſſe eſt valde imperitum dicere, qui inciderit in mille errata, quibus liber ille eſt pleniſſimus. Multa enim ab eo dicuntur, quæ nullius ſinceri ſcriptoris teſtimonio probari poſſe manifeſtum eſt: ſtylumque Damaſi Epiſcopi vrbis, ne amplius dicam, diſſimilem eſſe, & multo nitidiorem apparet ex Epiſtolis quas ipſe ad Hieronymum dedit. Illæ enim extant & fidem faciunt eundem libellum degenerem eſſe, ſi Damaſi eſſe dicatur. Tametſi hic nolo cum ignaris & pertinacibus contendere, fruſtra enim pugnatur cum belluis.* Hæc ille.

[m] De vrbis Epiſcopis l. 1. in Damaſo.

Eadem eſt ſententia Baronij, Binnij, Poſſeuini. *Quæ fertur nomine Damaſi breuiter texta ſeries Romanorum Pontificũ, alterius potius quàm ipſius eſſe opus, alibi diximus, ac ſæpius inculcauimus*, [n] inquit Baronius. *Huius libri Pontificalis Damaſus author non eſt*, [o] inquit Binnius; *Quæ nomine Damaſi fertur breuis ſeries vitarum Romanorum Pontificum, alterius fuit, non huius Damaſi*, [p] inquit Poſſeuinus.

[n] Annal. To. 4. ad An. 384. nu. 15.

[o] Notis in To. 1. Conc. p. 19.

[p] Apparat. ſac. verbo, Damaſus.

Tribuitur S. Damaſo. liber de vitis Pontificum, ſed liber ille eſt Anaſtaſij Bibliothecarij, non Damaſi, vt notum eſt, [*] inquit Bellarminus.

[*] Lib. de ſcrip. Eccle. ad An. 367.

Quorum teſtimonia intelligenda ſunt de integro Pontificali, non de aliqua eius tantùm parte. Nam licet ſint [q] qui opinentur geſta primorum Pontificum deſcribi per Damaſum Papam, reliquorum autem, per alios veteres, ac fide dignos: tamen (quod obſeruauit [r] Io. Raynoldus, & ingenuè

[q] Surius To. 1. Conc. p. 134. poſt. Schol. in conſtit. Clem. Baron. To. 1 Annal. ad An. 69. nu. 35.

[r] Prælect. de lib. Apoc. 180.

ingenuè confitetur Albinus) ſtylus ipſe euidentiſſimum facit, eundem eſſe Authorem primæ partis libelli, qui fuit Author ſequentis partis, quæ perducit hiſtoriam ad Nicolaum primum. Sic enim ſcriptum eſt illud opus, vt idem nugator, ex vno eodemque ore libellum illum integrum expuiſſe videatur.

Amphilochij vita S. Baſilij ſuppoſititia.

AMphilochius Iconij Epiſcopus* floruiſſe [a] dicitur circa An. 390. Sub huius nomine habetur *Narratio de vita Baſilij*, quæ primò excuſa erat *Coloniæ* anno 1512. Ex quo tempore, recuſa eſt [b] ibidem, *additis non paucis ex vetuſtis manuſcriptis libris*, quæ in priore editione deſiderabantur. Hæc citatur à [c] *Bellarmino* vt probet, apud veteres conſueuiſſe deferri ad ægrotos Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis: &, [d] confirmationem eſſe ſacramentum. Citatur à [e] *Coſtero*, pro reali Chriſti in ſacramento præſentia, & ab [f] *Hardingo*, pro priuata Miſſa: pro [g] ſuſpenſione ſacramenti ſupra altare: pro [h] fractione hoſtiæ in tres partes. Atque vt eius teſtimonium maius pondus habeat, *Coſterus* eum inſignit nomine *Beati*, *Refert Beatus Amphilochius*, *&c.* inquiens Et *Hardingus* noſtras perſuaſum nobis [i] cupit, eum ipſiſſimum fuiſſe cui *Baſilius* librum ſuum *de Spiritu ſancto*, & alterum quem inſcripſit *Aſcetica* dedicauit: quem Theodoretus nunc *admirandum*, nunc *ſapientiſſimum*, creberrime *laudatiſſimum* appellat. Et, ne negemus *Amphilochij* eſſe opus, (quod ſubueritus ille, præcauit quantum potuit, affirmans: *effugium illud quidem eſſe ſingulare, ſed tamen omnium turpiſſimum, & à ratione, ac doctiſſimorum hominum conſuetudine remotiſſimum* —) præfatur porro, *In libro quodam Coloniæ impreſſo, in quo hominum quorundam ſanctorum vitæ continentur, editum eſſe. Totamq́ hiſtoriam, ſummam veritatis ſpeciem præ ſe ferre: & in Bibliotheca D. Nazarij Veronæ, quæ eſt ciuitas Italiæ, cerni, in membrana deſcriptum ante 300. abhinc annos, & nomen titulumque Amphilochij Epiſcopi Iconienſis referre.*

a Baron. Annal. To.4.

b Extat To. 1. Surij de vitis ſanct. Ianuarij 1.

c Apolog. ad. lib. Iac. magnæ Britan. reg. c.8. & l.4. de Euch c.24.

d Lib. de confirmat. c.5.

e In Enchirid. Cont. c.8. de Euch. Sacram.

f Reſp. ad Iuelli prouocationem Art.1.

g Art.9.

h Art.11.

i Art.1.

Verùm

Verùm nihil iſta moratus, Beatæ memoriæ *Iuellus*, multis ex eo Argumentis deſumptis, planè & plenè oſtendit *Ambroſium Iconienſem Epiſcopum* huius Legendæ authorem minime extitiſſe. Quod fecerunt etiam Pontificij, *Baronius*, *Poſſeuinus*, & alij.

Quæ Amphilochij falsò nomine fertur vita Baſilij, haud digna ſatis habetur quæ eruditorum auribus ingeratur, inquit [k] Baronius. *Commentarius de rebus geſtis Baſilij, qui extat nomine Amphilochij, ſcatet mendacijs*, inquit [l] idem: & [m] alibi, *Extat Amphilochij nomine ſcripta vita S. Baſilij, quæ tamen prudentiorum omnium ſententiâ alterius cuiuſpiam potius quam Amphilochij Baſilio æqualis eſſe putatur, cum aliqua illic habeantur, quæ illi minus conuenire videntur. Vitam Baſilij, quæ edita eſt, non poſſe eſſe Amphilochij illius, ſub cuius nomine circumfertur, Glycas 4. ſuorum Annalium parte nos docuit*, inquit [n] Poſſeuinus vno in loco; taxans etiam [o] alibi Sixtum Senenſem, *quod non monuerat Baſily vitam quæ ſub Amphilochij nomine circumfertur, non fuiſſe Amphilochij.*

k Annal. To. 4. ad An. 378. nu. 10.
l Ad An. 363. nu. 55.
m Notis in Martyrolog. Rom. Ianuarij 1. n.
n Apparat. sac. verbo, Amphilochius.
o Verbo, Sixtus Senenſis.

Baſilij vita ſcripta ab Helladio non extat. Quæ autem Amphilochij nomine fertur, ſpuria eſt, inquit [p] Zacharias Lippolous Curthuſianus.

p To. 1. de vitis ſanct. Ian. 1. in vita Baſilij.

Extat ſub nomine Amphilochij vita S. Baſilij Magni, ſed haud dubio falſa, vel ſuppoſititia, inquit [q] Bellarminus: *primùm enim narrat ille Author Baſilium factum Epiſcopum ante mortem Iuliani: quod repugnat Hiſtorijs, & ipſi S. Greg. Nazianzeno in orat. de S. Baſilio. Deinde narrat Author, S. Baſilium oſtenſum fuiſſe per reuelationem Euſebio Cæſarienſi, cum antè eum non noſſet. Quod etiam falſum eſſe certum eſt, ex eo quod Nazianzenus ſcribit, Euſebium cum Baſilio de Epiſcopatu contendiſſe, & ea de cauſa inimicum Baſilio factum. Tertiò conſtat, S. Baſilium obijſſe anno vltimo Valentis Imperatoris, & 8. annis Epiſcopatum adminiſtraſſe, ex Greg. Nazianzeno, & alijs: proinde Epiſcopum factum anno 6. Valentis: at iuxta ſuppoſititium Amphilochium, Baſilius vel ſediſſet annis 15. vel ante mortuus eſſet, quam Epiſcopus fieret, ſi viuente Iuliano iam Epiſcopus erat.* Hæc ille, concludens, *Omitto multa alia quæ perperam narrantur in illa vita, tum de Libanio, tum de alijs.*

q Lib. de ſcript. Eccl. ad. an. 380.

Opera

Opera falsò adſcripta Hieronymo.

SAnctus *Hieronymus* [a] floruit circa An. Domini 400. [b] obijt verò ad An.420. Eius opera ſæpiuſculè impreſſa ſunt, ſed impreſſio *Antuerpiana per Plantinum*, quæ emendata fuit Anno 1579. per *Marianum Victorium*, omnium caſtigatiſſima ac limatiſſima cenſetur à [c] Pontificijs. Hæc diuiſa eſt in Tomos 9. Et in hac multa falſa *Hieronymi* titulo circumferuntur, eaque magna ex parte talia, vt non *Hieronymum* Authorem, ſed impudentiſſimum ſimul ac inſulſiſſimum rabulam opificem præ ſe ferant, [d] Iudice Eraſmo.

a Baron. in Annal. To. ad An..
b Idem ad An. 420.
c Schultingus in confeſſ. Hieronymiana, ad lectorem. Gretſer. defenſ. Bell. To. 1. l. 2. c. 15. Col. 817.
d Epiſtola Nuncupatoria to. 1. operum Hieronymi.

Tomo 3. editionis huius habetur tractatus de *Actis Apoſtolorum*, qui citatur nomine *Sancti Hieronymi*, à [e] *Baronio* Cardinale, vt probet: Chriſtum, cum in cœlum aſcendit, reliquiſſe ſuorum ſacrorum pedum terræ impreſſa veſtigia, &c.

e To. 1. Ann. ad an. 34. nu. 232.

Hic tractatus non eſt *Hieronymi*. Nam prope finem verba faciens de *Ciuitate Smyrna*, ipſum *Hieronymum* allegat, inquiens, *Hieronymus in libris Hebræorum nominum ponit Smyrnam & interpretatur Amaram.* Qua ratione commoti *Sixtus Senenſis*, *Marianus Victorius*, & *Scultingus*, non de eo dubitarunt tantùm, vt [f] *Eraſmus*, ſed reiecerunt prorſus. Nam *harum Annotationum libellum ſtudioſus quidam collegit ex D. Hieronymo, cuius & nomen & librum de nominum interpretatione citauit in fine voluminis*, inquit [g] Sixtus Senenſis: adijciens, *Credibile eſt collectorem fuiſſe Bedam, in cuius operibus hic idem libellus adhuc extat. Opus hoc D. Hieronymi non eſſe ex eo colligitur, quod cum de Smyrna Lyciæ ciuitate meminit, ipſum citat Hieronymum*, ait [h] Victorius: quibus & [i] *Scultingus* ſuffragatur.

f In Indice eorum quæ dubio ſunt titulo. to. 1. operum Hierony. Pariſ. 1534.
g Bibl. ſanct. l. 4. verbo, Hieron.
h In Arg. præfixo Tractat. de Act. Apoſt.
i In cenſura operum Hieron. præfixa confeſ. Hieronymianæ.

Tomo 4. editionis *Marianæ*, habetur *Commentarius in Lamentationes Ieremiæ*. Cuius lib. 2. in cap. 3. citatur à [k] *Coccio*, quo probet Monaſticam vitam eſſe antiquiſſimam.

k To. 2. Theſauri Cathol. lib. 4. de vita Monaſt. Art. p. 359.

In hoc Commentario, præter paucula, nihil haberi quod *Hieronymianum* ſpiret ingenium, pluribus docet [l] *Sixtus Senenſis*:

l Bibl. ſanct. l. 4. verbo, Hieron.

Senenſis: Rabani Mauri eſſe aliqui exiſtimant, & hoc nomine in Germania inter Rabani opera typis iam ſunt excuſi, * inquit Marian. Vict.

Commentarius in Threnos Hieremiæ, videtur eſſe potius Rabani, quam Hieronymi: habetur enim inter opera Rabani, & inueniuntur in eo ſententiæ aliquæ ex S. Gregorio decerptæ, inquit Bellar. lib de Script. Eccleſ. ad an. 390. de S. Hieron.

Tomo 6. ſuperioris editionis habentur *Commentaria* quædam in *Marcum,* præ ſe ferentia nomen *Hieronymi*, & quæ citantur à Pontificijs tanquam *Hieronymi.* [m] *Theologi Colonienſes* remittunt lectores ſuos ad *Hieron. in Marc.* 9. pro Purgatorio, & [n] *Dormannus* noſtras allegat *Hieron. in Marc.* 14. vt probet, S. Petrum extitiſſe caput Eccleſiæ.

Hæc Commentaria non ſunt Hieronymi vel Papiſtis ipſis iudicibus. Nam *hij Commentarij non ſunt Hieronymi*, inquiunt [o] Marianus Victorius, & [p] Scultingus. *Author Commentariorum in Marcum, ignotus eſt author, & vt apparet, non vetuſtiſſimus*, inquit [q] Maldonatus. *Commentarij in Marcum falsò Hieronymo attribuuntur*, inquit * Baron. *Author Commentariorum in Marcum oſtendit ſe neque Græcæ Linguæ, neque Hebraicæ fuiſſe peritum. Et in explicatione cap. 14. & 15. multa ſcribit inepta, & falſa,* inquit [r] Bellarminus.

Commentaria in Marcum Hieronymianis Tomis inſerta, nullus vnquam ſuſpicabitur eſſe Hieronymi, niſi qui eum putet Latinam linguam dedidiciſſe, & Græcam & Hebræam penitus ignoraſſe, inquit [ſ] Sixtus Senenſis. Et [t] alio in loco: *Commentarij in Marcum magis abhorrent à ſtylo Hieronymi, quam ignis ab aqua. Iniuria nos afficit Kemniſius, dum aſſerit nos extremæ vnctionis ſacramentum ex Hieronymi Comment. in cap. 6. Marc. aſtruere, cum nos non ignoremus eos Comment. in Marcum, Hieronymo non eſſe tribuendos*, inquit * Scultingus.

Tomo. 7. editionis Marianæ habentur commentarij in *Pſalmos*, qui inſcribuntur Hieronymo, & qui tanquam Hieronymi, à Papiſtis citantur, [u] pro Limbo Patrum; pro [x] immaculata Virginis conceptione, pro [y] ſacrificio Miſſæ.

Commentaria in Pſalmos, multa indicia ſignificant non eſſe

* Index operum D. Hieron. verbo, Hieronymus.

m Dial. 10.

n Aduerſ. Nowellum c. 28. pag. 185.

o Not. ad initium comment. in Marc. to. 6.

p Cenſura ſup. citat.

q Comment. in Marc. 1 in initio.

* Ann. 10. 1. ad an. 34. nu. 111.

r De ſcript. Eccleſ. ad an. 390.

ſ De falſa lib. inſcriptione ad finē l. 4. Bibl. ſanctæ.

t lib. 4. Bibl. ſanc. verbo, Hieronymus.

* In Antidot. ad Mart. Kemniſ in confeſ. Hieronymiana.

u Lenſæus.

x Bell. lib. 4. de Amiſſione grat. c. 15.

y Tallepied. collat. 4. doctorum, art. 11.

z Bibl.ſanct.l.4. verbo Hiero.

Hieronymi, [z] inquit Sixtus Senenſis: *Primum, quod author hic, poſthabito hiſtoriæ ſenſu, in ſolis allegorijs ac tropologicis expoſitionibus verſatur, nulla vſus editionum varietate: Græcam deinde & Hebraicam eruditionem, quam in omnibus exegematicis afferre ſolet Hieronymus, nullam habet. Multa quoque ſcripſit cum Hieronymianis placitis ex diametro pugnantia.— His accedit quod ineptia ſermonis, battologijs & ſolœciſmis vbique ſcatens, ab Hieronymiana tam phraſi quam ſcribendi genere abhorret.* Hæc Sixtus, quocum plures alij conſentiunt. Nam *hic Tom.* 8. *Commentarios Dauidicorum Pſalmorum complectitur, qui tametſi non omnino vacant eruditione, Diuo tamen Hieronymo hactenus ſunt falsò inſcripti*, [a] inquit Bruno Amorbachius. *Commentaria quæ Hieronymi nomine circumferuntur in Pſalmos, Diuo Hieronymo tribuere, manifeſta ignorantia eſt*, [b] ait Canus. Cano accedit Eraſmus: *Commentarij quos habemus in omne Pſalterium Hieronymi titulo, palam ipſi præ ſe ferunt, quod non ſunt vnius authoris. Si quis autem meum requirat iudicium, multa illic arbitror non eſſe Hieronymi: verum vna pars eſt hominis, (quiſquis fuit) plane docti, & ſermonis expoliti, longe tamen diſcrepantis ab Hieronymiano — Altera pars eſt locutulei cuiuſpiam, ac pene dixerim rabulæ, &c. Ineptit ſuis dialogiſmis, delirat exclamationibus, balbutit acyrologijs, ſuperfluit periſſologijs*, [c] inquit Eraſmus. Nec ab Eraſmo multum diſſentit Lindanus: *Quod petis* ([d] inquit) *an cõmentarij in Pſalmos qui D. Hieronymi nomen præ ſe ferunt, ſint genuini & germani, non leuem apud plurimos habet difficultatẽ. Nos poſt longam huius quæſtionis conſiderationem, ita de ijs, ſaluo aliorum iudicio, arbitramur: eos varijs ex authoribus rapſodicè conſutos, aut ex varijs potiùs ſtudioſorum appendicibus, hinc illinc centonum more coaluiſſe, eſſe tamen inſperſas illas D. Hieronymi notas, quarum alicubi meminit.*

a Candido Lectori tom.8. operum Hieron. impreſ. Pariſ. 1553.

b Locorum commun. l.2.c.14.

c To.1.edit. Pariſ. 1554.

d Epiſtola ad Scultingum teſte ipſo Scultin. in confeſ. Hieronymiana.

Bellarminus in lib. de ſcrip. Eccleſ. ad an. 390. poſt argumenta in vtramque partem allata: *Ego* (inquit) *ſi mihi liceat ſententiam meam exponere, exiſtimo Commentaria in Pſal. vere eſſe S. Hieronymi, ſed non pura: videtur enim aliquis longe poſterior ſcriptor adiunxiſſe multa de ſuo.*

Eodem Tomo habentur *Commentarij in omnes Pauli Epiſtolas*, excepta illa ad *Hebræos*. Qui citantur aliquando, licet

cet parcius, à Pontificijs. [a] *Rhemenſes* noſtri citant Comment. in Rom. 3. vt probent: per opera legis, ſine quibus dicimur iuſtificari, intelligi opera cæremonialia. [b] Eckius citat Comment. in 1. Cor. 3. vt probet Purgatorium. Tallepied. citat Comment. in 1. Cor. 7. vt probet vota Monaſtica.

a Annot. in Rom. 3.20.
b Parte poſter. homil. in die Animarum hom 3.
c Collat.4.doctorum,&c.

Annotationes in 13. Pauli Epiſtolas, quanquam in fronte præferunt præfatiunculam Hieronymi ad Heliodorum ſcribentis, ſtyli tamen diuerſitas, & dogmatum diſcrimen ipſius non eſſe indicant, [d] inquit Sixtus Senenſis. Et paulo poſt, *Ego nihil dubito authorem quiſquis ille fuerit, Pelagiana peſte laboraſſe.* Paulo acriorem cenſuram fert [e] Pererius. *Nam iſte author tantum abeſt vt fuerit Hieronymus, vt ne Catholicus quidem fuerit, ſed germanus Pelagianus, vt liquido cognoſcet Lector ex Comment. eius in cap. 7. 8. & 9. Epiſtolæ ad Romanos.* Quo cum conſpirat Bellarminus; *Commentaria in Epiſtolas nomine Hieronymi inſcripta, non eſſe Hieronymi, ſed Pelagij hæretici, B. Auguſtinus docet, & ipſa verba Commentarij in cap. 5. 7. 8. & 9. ad Romanos, clamant authorē eſſe Pelagianum,* [f] inquit Bellarminus. Et * idem; *Cōmentaria in Epiſtolas non Hieronymi eſſe, ſed Pelagij, aut Pelagiani alicuius, non dubium eſt.* Et [g] rurſum: *Certum eſt iudicio doctorum omnium, authorem illum eſſe, ſi non Pelagium, certe Pelagianum.* Et in lib. de ſcript. Eccleſ. *In omnes Pauli Epiſtolas Commentaria falsò attributa ſunt Hieronymo. Non ſolum enim non ſunt Hieronymi, ſed, quod magis mirum eſt, Pelagij ſunt Hæreſiarchæ.* Breui, vt [h] plures idem ſentientes prætermittam, *Marianus Victorius* ſimilem cenſuram de hijs Commentarijs tulit. *Commentarij in 13. Pauli Apoſtoli Epiſtolas, Hieronymi minime ſunt, nam nec eius phraſin habent, nec eruditionem: quamuis in fronte operis, Epiſtolam ad Heliodorum inſcriptam, contineant: quin potius hominis eſſe Pelagiana labe commaculati compertiſſimum eſt. Notauit hoc ante nos Ambroſius Catharinus Politus, Compſæ Archiepiſcopus, Catholicæ religionis aſſertor; Notauit & Sixtus Senenſis 4. & 6. Bibliothecæ ſanctæ volumine.*

d Bibl.ſanct. lib.4. verbo, Hieron.
e Comment. in c. 14. Geneſ.nu.8.
f De verbo Dei l. 4.c.5. & de ſcript. Eccleſ.
* Lib.2.de grat. & lib.arb.c.6.
g Lib.4. de Amiſſ. gra.&c.c.2.
h Salmeron. in Epiſt. Pauli. Diſput. 15. Scultingus in Cenſura Confeſſ. Hieron.
i Cenſura tom.8. Hieronymi.

Tomo 8. habentur *Commentarij in Iob*, qui citantur pro Tranſubſtantiatione à *Sandero*, lib. de Cœna Domini.

Hos Commentarios minime Hieronymi eſſe ab eruditis ante

nos iam receptum fuit,[e] inquit Marianus Victorius, idque multis argumentis rationibuſque probatur. *Hic Commentarius ſuppoſititius exiſtimatur*, inquit * Sixtus. *De Commentarijs in Iob, idem mihi dicere licet, quod Eraſmus de Iuſtiniani Pandectis*, viz. *centones eſſe & inæquales Gloſſariorum rapſodias: Bruno Amorbach. præfat. ad 7. Tom. Hieron.*

e Cenſura comment. to. 8.
* Bibl. l. 4. Hier.

Recte Marianus Victorius Comment. in Iob, non tribuit S. Hieronymo, ſed Bedæ, inquit Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 390.

Eodem Tomo editionis Marianæ habentur *Commentarij* ſub nomine *Hieronymi in librum Prouerbiorum*, qui citantur à Pontificijs, pro [f] oratione pro mortuis, & Purgatorio.

f Alan. c. 9. lib. inſcript. de orat. pro animabus mortuis. Dorm. contra Nowel. Suarez in 3. part. Tho. diſp. 41. ſect. 1. nu. 30. Cenſura Colon. Dial. 10.
g Bibl. ſanc. lib. verbo, Hieron.

Libri tres Commentariorum in Prouerbia negantur fuiſſe Hieronymi, tum propter ſententiarum & eloquij diſſimilitudinem, tum quod in ijs citantur non ſemel Gregorius & Auguſtinus, [g] inquit Sixtus Senenſis. *Nam & teſtimonium Auguſtini ex libro de mendacio ad Conſentium adducitur, in explanatione ſexti capitis: & iterum in explanatione cap. 20. citatur eiuſdem Diſtichon ex ſermonibus ad Eremitas:*

Si quis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indictam nouerit eſſe ſibi.

Et in expoſitione 21. capitis citat B. Papam Gregorium in Hom. Euangelij, & in 30. cap. allegat nominatim ipſius D. Hieronymi ſententiam ex Commentarijs in Hieremiam. Sic Sixtus. Cui [h] Canus annuit: *Commentarij qui in libros Prouerbiorum circumferuntur, quanquam Hieronymo in Decretali de Conſtit. tribuuntur: Hieron. tamen non eſſe liquido deprehenditur.*

h Locorum com. l. 2. c. 15.

Canum ſequitur [i] Marianus Victorius, *Commentarij in Prouerbia Salomonis, vt communi eruditorum ſententia receptum eſt, Hieronymum Authorem non habuerunt.* Et conſentiens horum iudicium approbat [k] Scultingus. *Commentarios in Prouerbia Salomonis non eſſe Hieronymi, ſed Bedæ Preſbyteri, certiſſimis rationibus Sixtus Senenſis, Bibl. Sanctæ. lib. 4. & Marianus Victorius comprobant.*

i Cenſura To. 8. operum Hieron.
k In cenſura operum Hieron. in confeſſ. Hieronymiana.

Commentaria in Prouerbia tribuuntur Hieronymo, tamen verè ſunt venerabilis Bedæ, inquit [l] Bannes. Hinc eſt quod [m] Caniſius hunc locum citet, nomine Bedæ.

l In 2. 2. q. 1. art. 10. Col. 71.
m In Catech. Tit. de ſatisfactione, nu. 9. de Purgatorio.

Non

Non clam me eſt, commentarios in Prouerbia Salomonis, Hieronymi non eſſe. Nam id vel hinc deprehenditur, quod tota dicendi figura ab Hieronymiana dictione modis omnibus diſſidet. Quin & Gregor. ſemel atque iterum in hoc opere citatur, inquit [n] Bruno Amorbachius.

n Candido Lectori To. 7. operum Hieron. impreſſ. Pariſ. 1533.

Recte comment. in Prou. tribuuntur Bedæ, non Hieronymo, inquit Bellar. lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 390.

Tomo. 9. editionis Marianæ habetur *Epiſtola ad Demetriadem Virginem de Virginitate*, quæ citatur ſub nomine *Hieronymi* à [o] Tallepiedo, pro libero arbitrio.

o Collat. 4. Doctorum ſuper 30. Artic.

Prima Epiſtola, quæ eſt ad Demetriadem, Pelagiani alicuius hominis eſſe creditur: quippe cum nimium libero, etiam ſine Dei gratia, arbitrio tribuat. Cœleſtij qui Pelagianus fuit, nomen exemplaria quædam præ ſe ferebant; inquit [p] Marianus Victorius.

p Cenſura in To. 9. Hieron.

Epiſtola ad Demetriadem Virginem, Pelagiana eſt, & à S. Auguſtino tribuitur ipſi Pelagio, & confutatur in lib. de gratia Chriſti, cap. 22. 27. 37. & 40. inquit Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. ad An. 360.

Verè Pelagij eſſe, non ſolùm Pelagij errores in eo poſiti Pelagianis omnibus communes indicant, ſed teſtificatione Sancti Auguſtini, imo & ipſius Pelagij, habetur expreſſum, ait [q] Baronius; Sed & Oroſij, qui Pelagij nomine nonnulla inde decerpta* citat & notat.

q Annal. To. 5. ad An. 413. nu. 17.
* In apologet. de lib. arbritro.

Eodem To. habetur ſermo ad *Paulam & Euſtochium de Aſſumptione Virginis Mariæ.* Cuius bene magna pars legi [r] ſolebat apud nos in die *Aſſumptionis B. Virginis:* & ex quo [ſ] *Iacobus de Voragine*, & [t] *Iohannes Eckius* quam plurima citarũt, ad deificandum (prope) ipſam Virginem *Mariam.* [u] *Bellarminus* etiam ex hoc ſermone conatur euincere, Feſtum Aſſumptionis antiquum eſſe valde: Et [x] Durantus, Beatam *Virginem* Martyrem extitiſſe, quanquam in pace vitam finierit.

r Portiforium ad vſum Sarum Auguſti 15.
ſ In Legenda Aurea lect. 1. de aſſumpt. Virg.
t Homil. part. poſter. hom. 5. in feſt. aſſumpt.
u Lib. 3. de cultu ſanct. c. 16.
x De ritibus Eccleſ. Cathol. l. 1. c. 35. nu 9.

Totus huius Epiſtolæ ſtylus ſic abhorret ab Hieronymi, vt non dubitem negare Latinum fuiſſe qui ſcripſerit, ſed Græcum. Reſipit enim ſermo totus græcitatem quandam & balbutiem hominis in aliena lingua verſantis, id quod ipſe propemodum teſtatur, cum ait, Latino vtens eloquio. Quorſum enim attinebat

Hieronymum præfari Paulæ & Euſtochio ſe Latine velle ſcribere, cum quicquid ſcripſerit, Latine ſcripſerit? inquit [y] Eraſmus.

y In cenſura to.4. Hieron. impreſſ. Pariſ.1533.

Liber qui de tranſitu ſiue Aſſumptione Virginis inter opera Hieronymi refertur, omnium ſententia, non eſt Hieronymi, quia in ea fit mentio Neſtorij & Eutychetis hæreſium, quæ poſt Hieron. exortæ ſunt, inquit [z] Suarez.

z In.3. part. Tho. To.2.q 37.Art.4. diſput 21. ſect.1.

Sermo de Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis ad Paulam & Euſtochium, Græci potius quam Latini hominis eſt, [a] inquit Marianus: ſubiungens, *Sophronij eſſe pro compertiſſimo creditur:* Cui ex parte [b] *Bellarminus* aſſentitur, qui *inſignem ſermonem* appellat, & vel *ipſi Hieronymo, vel eius æquali Sophronio*, dicit tribui. Verùm ratio reddita à [c] *Suarez*, qua conuincitur non eſſe Hieronymi, conuincit æque non eſſe *Sophronij*. Nam quod rectè obſeruat *Suarez*, nec diffiteri poteſt *Bellarminus*, *Sophronius*, æqualis erat *Hieronymo*. Id ipſum plenius probat [d] *Baronius*. Sic enim ille, *Libellum ſeu Epiſtolam ad Paulam & Euſtochium de Aſſumptione B. Mariæ, Hieronymi nomine prænotatam To.9. Epiſtola* 10. *Eam non tantùm non eſſe Hieronymi, ſed nec Sophronij (vt aliqui exiſtimarunt) iudicium omnium eruditorum appello. Videre enim eſt authorem eo commentario totum eſſe in inſectando ac impugnando dogmate Neſtorij, quem longe poſt Hieronymi ac Sophronij tempora vixiſſe nulla eſt dubitatio, &c.*

a Cenſura in To.9. Hieron.
b Lib.ſupra citato.
c Supra.
d Annal.To.1. ad An.48.nu. 13. notis in martyrolog. Ro.Aug.16.

Manifeſtis argumentis deprehenſum eſt ab eruditis, ſermonem illum de Aſſumptione non eſſe Hieronymi: inquit Margarinus de la Bigne. Annotat. Margin. in *B. Hildefonſi*, Ser.5. de *Aſſumptione Beatæ Mariæ*. To. 8. Bibliothecæ vet. Pat. edit. 3.

Eodem Tomo habetur alius ſermo de *Aſſumptione beatæ Virginis Mariæ*, qui incipit; *Scientes fratres.* Hic ſermo citatur, licet timidiuſculè ab [e] *Andradio*, vt probet: beatam Virginem liberam fuiſſe ab omni Actuali peccato: &, immunem etiam ab Originali.

e Defenſ.fid. Trident.l.5.pag. 490. & pag.495.

Hunc ſermonem reiecit *Marianus Victorius* in Tomum 9. inter Epiſtolas quas conſtat Hieronymi non eſſe, & ab illius *phraſi ſtyloq; diſſidere.*

Eodem Tomo habetur *Epiſtola de 7. gradibus Eccleſiæ ad*

Ruſticum

Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, qui citatur à [f] *Gregor. de Valentia*, vt probet: Peregrinam (vt appellat) communionem; ex qua deducere conatur, communionem ſub altera ſpecie. Citatur etiam à [g] *Duranto*, pro aſſeruatione ſacramenti, & à [h] *Roffenſi.*

Hæc Epiſtola reijcitur à *Victorio*, inter eas Epiſtolas, *quas conſtat Hieronymi non eſſe.*

Epiſtola 13. de 7. gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, 7. *capita continens: Quanquam beatus Thomas in ſumma Theologica: Gratianus in Decretis: M.S. in ſententijs, adeoq; ipſi doctiſſimi poſtremi iuris Canonici emendatores hanc Hieronymi nomine paſſim allegant, ipſius tamen non eſſe reuera duobus indicijs colligi poteſt*, inquit [i] Schultingus. *In nonnullis, ad Damaſum inſcripta eſt, in alijs, ad Ruſticum, in quibuſdam nullius habet adſcriptum nomen. Dinde in alijs codicibus, integra: & in alijs mutila habetur.* Hæc ille.

Et quidem ex ſubiecta Epiſtolæ materia colligi poteſt, alterius cuiuſuis potius quam Hieronymi eſſe. Nam 1. [k] numerat *Foſſarios* in 1. ordine Clericorum, quod neminem præterea ex Latinis feciſſe memini. 2. [l] ait, Nobis mandari *vt ſemper genu flexo oremus:* Cum tamen ipſe [m] Hieronymus agnoſcit, *Die Dominico, & per omnem Pentecoſten, Eccleſiam de geniculis non adorare.* 3. vt Epiſcopo ſummam à cunctis Clericis atque ab omni populo deferendam reuerentiam eſſe doceat, [n] allegat inſulſe illud [o] Apoſtoli, quaſi rationis loco: *Quia non dicit figmentum ei qui ſe finxit, Vt quid me feciſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* 4. in laudem Epiſcopi declamitans, *In Epiſcopo plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter*, blaſphemè [p] dicit.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola ad Damaſum de Symboli explanatione*, quæ citatur [q] à *Duræo*, [r] *Ianſenio*, [ſ] *Roffenſi*, & [t] *Caniſio*, vt probent: Legem Dei impleri poſſe: & à [u] *Iohanne Turrecremata*, [x] *S. R.* & [y] *Gratiano*, pro primatu Rom. Pont. & ab [z] alijs Pontificijs, alijs de cauſis.

Hanc Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe agnoſcit *Victorius*, in eo, quòd reiecit in Tomum 9. inter eas *quas conſtat non eſſe Hiero-*

f Lib. de legit. vſu Euchar. c. 8. pag. 495.

g De ritibus Eccleſiæ. l. 1. c. 16. nu. 10.

h Artic. 25. adu. Lutherum.

i Cenſura operum Hieron. in confeſſ. Hieronymiana, & in Antidot. ad Martinum Kemniſium ibid.

k Gradu 1.

l Gradu 4.

m Dial. adu. Luciferianos. c. 4.

n Gradu 7.

o Rom 9.

p Gradu 7.

q Cont. Whitak. fol. 297.

r Concord. Euangel. c. 87.

ſ Artic. 31. adu. Lutherum.

t Catechiſ. in Append. c. 15. de obſeruat. mandat.

u Sum. de Eccleſ. l. 2. c. 107. & l. 4. part. 2. c. 9.

x Epiſt. præfix. Reſp. ad Belli. Ruinam.

y Cauſ. 24. q. 1. hæc.

Hieronymi. Quod & *Scultingus* confitetur. *Nam Symboli expoſitio ad Damaſum, Pelagij eſt, non ad Damaſum, ſed ad Innocentium ſcripta, vt docet Auguſtinus, lib. 1. de gratia Chriſti, cap. 31. & 32.* ait [a] *Scultingus.* Quid quod tota hæc Epiſtola (exceptis quatuor quinqueve lineis poſtremis) integre habetur *apud Auguſtinum, Ser. 191. de tempore?*

a Cenſura operum Hieron. in confeſſ. Hieronymiana.

Symbolum ad Damaſum, non eſt Hieronymi ad Damaſum, ſed Pelagij ad Innocentium, inquit Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ.

Tomo Eodem habetur *Epiſtola de Celebratione Paſchæ,* quæ citatur ſub nomine *Hieronymi* à [b] *Franciſco de Victoria,* vt probet: continentiæ cœlibatum, & ieiunium ex traditione Apoſtolorum.

b In ſum. ſacram. Eccl. de Matrimonio, nu. 308.

Hanc Epiſtolam non eſſe *Hieronymi,* res ipſa clamat. Nam author eius profitetur ignorantiam ſuam cum in Hebræa tum in Græca lingua, dicens: *Vocabulum quod Paſcha dicitur, non Græcum ſicut vulgo videri ſolet, ſed Hebræum eſſe dicunt, qui linguam vtramque nouerunt.* Conſtat autem *Hieronymum* vtramque calluiſſe.

Secundò, hanc Epiſtolam non eſſe *Hieronymi* confitentur aduerſarij, nominatim *Marianus.* Nam in 9. To. reiecit inter eas *quas conſtat non eſſe Hieronymi:* His adde, Quod hæc Epiſtola ipſiſſima eſt quæ currit ſub nomine *Auguſtini,* in numero Epiſtolarum 119.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola de vera Circumciſione, ad Theraſiam,* quæ citatur à [c] *Turriano,* pro Petri Primatu, & per conſequens, pro Pont. Ro. Monarchia.

c Pro Epiſtolis Pontif. l. 2. c. 14.

Hanc Epiſtolam [d] *Marianus* ſuſpicatur eſſe *Maximi.* Ideoque in Tomum 9. reiecit inter eas, quas (ſuo iudicio) conſtat *non eſſe Hieronymi.*

d Cenſura in to. 9. Hieron.

Eodem Tomo habetur *Sermo de Natiuitate Domini,* qui citatur à [e] *Lindano,* vt probet, diabolum horribiliter metuere ſignum crucis.

e Panopl. Euangel. l. 4. c. 97. prope finem.

Hic ſermo idem prorſus eſt cum *Homilia* 8. *in diuerſos,* quæ ſub nomine * *Origenis* venditatur; & reijcitur à *Mariano* in Tomum 9. inter opera, quæ *conſtat non eſſe Hieronymi.*

* Vide ſupr. p. 75.

Eodem Tomo habetur *Sermo de Quadrageſima,* qui citatur

tur à [f] *Pereſio*, vt ex eo oſtendat, Quadrageſimâ ieiunandum eo magis vt ad Sacramenta percipienda præparemur.

f De Tradit. part. 3. Tit. de præſcrip. temp. ieiunij & cibariorum, fol. 266.

Hunc ſermonem non eſſe *Hieronymi*, ex *Mariano* colligitur, qui reiecit in Tomum 9. inter opera, *quæ conſtat non eſſe Hieronymi.*

Poſt hunc ſermonem ſequitur alter, *In vigilia Paſchæ, de eſu agni*, qui citatur à [g] *Magiſtro ſententiarum*, vt perſuadeat, Qui vxori debitum reddit, vacare non poſſe orationi.

g Lib. 4. ſentent. diſt. 32.

Hunc reiecit *Victorius* in Tomum 9. inter opera, *quæ conſtat non eſſe Hieronymi.*

Eodem Tomo habetur *Epiſtola de vinculis B. Petri ad Euſtochium*, quæ citatur à [h] Pereſio, pro inuocatione ſanctorũ: Et ab [i] *Aloyſio Lypomano*, & [k] *Coccio*, vt probent: Conſtantinum baptizatum à Syluestro Papa Romæ.

h De Tradit. part. 3. Tit. de cultu ſanct.
i Sanctorum Hiſt. part. 2.
k To. 1. Theſau. Cathol. l. 7. art. 9.

Niſi modeſtius eſſe ducerem in hanc peccare partem: Sermonem hunc in extremam huius Tomi ſeriem reieciſſem: Nam plane ſapit impoſtoris illius artificium, inquit [l] Eraſmus. In poſtrema vero ſerie ea tantum repoſuit, quæ cenſuit *lectu prorſus indigna & impudenter attributa doctis viris. Parum verè adſcribitur Hieronymo*, inquit [m] Polyd. Virgilius. *Fertur Apocrypha ſcriptura*, inquit [n] Baronius, *& merito in angulum reiecta, nomine S. Hieronymi, qua mendax author teſtatur eiuſmodi vinculorum ſolemnitatem à Sylueſtro Papa ex Conſtantini Decreto ſtatutam, quæ quidem ſcriptio, cum nullius priſcorum authorum teſtimonio fulciatur, & firmæ authoritates contrarium perſuadeant, ab omnibus improbatur.* Ex quo benignus Lector facile dignoſcet, quam inique in Eraſmum luſerit Lypomanus, cum ob hanc cenſuram in hæc verba [o] proruperit. *Bonus Eraſmus eam ex Catalogo Epiſtolarum Hieronymi expunxit, & inter aliena computauit: nempe, quia eius ſententiæ nõ fauebat; ſed quis conſtituit eum ſacrorum ſcriptorum cenſorem?* Nam bonus etiam *Baronius* æque reijcit ac *Eraſmus*, imo *Baronius* confidenter aſſerit, *ab omnibus improbari.*

l Cenſura huius Epiſt. To. 4. Hieron. Pariſ. 1533.
m De Inuent. rerũ l. 6. c. 4.
n Annot. in Martyrolog. Ro. Aug. 1
o Loco ſupra citato.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola de diuerſis gradibus leprarum*, quæ citatur à [p] *Bunderio*, pro auriculari confeſſione, in qua valde ſibi placere videtur. Nam priuſquam verborum meminit, *Audi* (inquit) *vel inuitus, quid Doctores tam ſcien-*

p In Compend. Theolog. Tit. 15. art. 5.

tia quam ſanctitate clariſſimi, de priuata publicaque confeſſione ſcripſerint, vt agnoſcas te falsò criminatum eos eſſe. Ait namque Hieronymus de diuerſis generibus leprarum, &c.

Hanc Epiſtolam reiecit *Marianus* in Tomum 9. inter opera, *quæ conſtat non eſſe Hieronymi.*

q Collatione 4. doctorum ſup. Artic.30.

Eodem Tomo habetur *Homilia de corpore & ſanguine Domini*, quæ citatur à [q] Tallepied, pro Tranſubſtantiatione.

r Hom.5.de Paſcha.
ſ Hom.5.de Paſcha.
Vide ſupra p. 131.

Hæc homilia habetur inter homilias [r] *Euſebij Emiſſeni*: & inter homilias [ſ] *Cæſarij Arelatenſis*, ita vt cuius ſit, neſciatur. Verùm *Marianus* reijciendo in 9. Tomum, aperte ſignificat conſtare ſuo iudicio, *illam non eſſe Hieronymi.*

t Comment. in 2.Cor.12.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola ad Oceanum, de vita Clericorum*, quæ citatur (teſte [t] *Salmerone*) ab *Hugone Cardinale*, vt probet: Angelum ſatanæ, de quo conqueritur Paulus 2.Cor.12. fuiſſe *Teclam* venuſtam mulierem, quam ſecum circumduxit. Citatur etiam à [u] *Baronio* Cardinale, ad probandum, *Hiſtoriam de Paſſione Teclæ* probatam eſſe: miraturque *Baronius*, quo infortunio contigit, *eam Epiſtolam inconſultò nimis in Tomum 9. vna cum Spurijs eſſe reiectam.*

u Annal.to.1. ad an.47.nu. 10. in Martyro. Rom. Sept.23.

Hanc Epiſtolam non eſſe *Hieronymi*, duæ potiſſimum phraſes quæ in ea reperiuntur plane indicant. viz. *ſecretaliter ingredi, & famam meliorare.* Nam ſapiunt tenebricoſum aliquem, puta *Scotum*, potius quam *Hieronymum.* Mitto dicere, quod *Marianus* in To.9. reiecerit, inter opera, *quæ conſtare putauit non eſſe Hieronymi.*

x De diuina Scriptura quauis lingua non legenda, c.24.

Eodem Tomo immediate poſt, ſequitur *Epiſtola Hieronymi ad Damaſum*, quæ citatur à [x] *Ledeſma* Ieſuita, vt probet, ex mandato *Damaſi* Papæ decantari ſolitum in fine Pſalmorum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Atque hanc Epiſtolam reipſa *Hieronymi* fuiſſe, arbitrati ſunt *Alcuinus, & Amularius*, vt [y] *Durantus* refert.

y Lib 3.de Ritibus Eccleſ.Cathol.c. 15. nu.2.

Hanc Epiſtolam non eſſe *Hieronymi Marianus* cenſuit, cum reiecit in Tomum 9. inter opera, *quæ conſtare dicit non eſſe Hieronymi.* Et [z] *Eraſmus* plane profitetur, *palam eſſe, Epiſtolam à Nebulone confictam alieno titulo. Scultingus* etiam de illa, & præcedente illam altera, quæ eſt *Damaſi ad Hieron.* verba faciens; *Author eſt incertus* [a] (inquit ille) *ſed interim vnius artificis vtraque eſt, phraſis tantum diſtat à ſtylo Hiero-*

z In vita Hieron. & plenius in Cenſura to. 4. Hieron. Pariſ. 1533.
a Cenſura operum Hieron. in confeſ. Hieronymiana.

Hieronymiano, quantum cœlum diſtat à terra. Scultingum iudicio ſequitur *Baronius, Baronium, Binnius.* Nam *redarguitur falſitatis commentitia illa nomine Hieron. Epiſtola ad Damaſum,*[b] inquit Baronius digitum intendens ad hanc Epiſtolam. *Hanc Epiſtolam nomine Hieronymi ad Damaſum, conſignatam, commentitiam eſſe, eamque ab eruditis res Hieronymi accuratius expendentibus, vt adulterinam merito explodi,* ſcribit *Baronius* anno 325, inquit[c] Binnius.

Eodem Tomo ſequitur *Epiſtola* altera ad *Damaſum* de *oblationibus Altaris*, quæ citatur à[d] *Turriano*, vt probet, Canones Apoſtolorum fide dignos eſſe.

Hanc Epiſtolam reiecit *Marianus* in Tomum 9. inter opera, *quæ conſtare dicit, non eſſe Hieronymi*, eamque acerbe inſectatur *Eraſmus. Nam & hic quiſquis fuit*[e] (inquit ille) *conatus eſt ſuas nugas Hieronymiani nominis vmbra prætexere. Quam apte vero congerit Authorum nomina, è quibus tamen nihil adducit, quia nihil illorum legerat? Chryſoſtomi Commentarios nominatim citat, cum D. Hieronymus Chryſoſtomũ prorſus ignorarit, vt taceam interim ætate D. Hieronymi, non ſolere quenquam à communione depelli, quod nouo verbo vocat excommunicari, niſi qui ad eam pertinuiſſet Eccleſiam. Quam vero ſerio agit rem, de panibus non eripiendis? credas ventrem loqui, non hominem.* Hæc ille.

Eodem Tomo habetur *Tractatus de regula Monacharum*, quæ citatur à[f] *Pereſio*, 1. pro auriculari confeſſione, &, 2. pro reali præſentia, &, 3. pro votis Papiſticis.

Hanc *Regulam* reiecit *Marianus* in Tomum 9. inter opera *quæ* conſtare dicit non eſſe Hieronymi. *Quid opus eſt in hoc Argumentis vti? Regulam hanc non eſſe Hieronymi* (inquit[g] Eraſmus) *cum id totus ſermonis inſulſiſſimi character adeo palam præ ſe ferat, vt vel ab indoctiſſimis ſentiri queat? Ipſe non poſſum ſatis admirari tam inſignem hominis impudentiam. Quanta cum authoritate loquitur? putes Apoſtolum aliquem eſſe. Et hic impoſtor Paulo fœlicior, in corpore conſtitutus, fruitus eſt viſione diuina, totos opinor menſes inter Seraphin verſatus. Deinde corpori redditus cum dixiſſet, in corpore ſerui, redibat nobis præſcius futurorum. Nam huiuſmodi portenta de ſe ſcribit ſuppoſititius hic Hieronymus, qui ſi prodigioſam balbuti-*

b Annal. to. 3. ad an. 325.

c To. 1. conc. impreſ. Colon. 1606. notis in hanc Epi. p. 498.

d Defenſ. pro Can. Apoſt. l. 1. c. 21. fol. 87.

e Cenſur. in hanc Epiſt. to. 4. Hieron.

f De Tradit. part. 3. conſiderat. 3. 1. De auric. confeſ. 2. De commu. ſub vtraque vel altera ſpecie. 3. De voto continentiæ.

g Cenſ. in hanc Regulam, to. 4. Hieron. Pariſ. 1533

em ſuam & ineptiſſimam loquacitatem mutare potuiſſet, plane Hieronymus erat. Nunc auriculæ prominentes produnt Aſinum, & totus ſermo clamitat indignum fuiſſe, qui in D. Hieron. culina miniſtri locum teneret. Sed audi iam Lector bellam præfationem, quæ non Hieronymum exprimit iam ſenem, quemadmodum conatur, ſed ebrium aliquem vino ſimul & ætate delirantem. Et alibi de hac regula loquens, *Impoſtoris indoctum blateramentum eſſe* [h] *ait.*

h Cenſ. in Epiſt. Hieron. ad Cœlantiam.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola Chromatio & Heliodoro Epiſcopis de Natiuitate ſanctæ Mariæ,* quæ tota fere legitur in *Aurea legenda in die natiuitatis beatæ Virginis,* & *in feſto Sanctæ Annæ,* à [i] fraterculo quodam Carthuſiano conſcripta: citatur etiam nomine *Hieronymi,* ab [k] Eckio.

i Vide Ludolphum de vita Ieſu, in fine

k Hom. de S. Anna in poſter. part. Hom. de ſanctis.

Scriptio illa quæ hactenus Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum ſcripta, vulgata eſt: non tantùm eam Hieronymi non eſſe dixerimus, ſed Authoris plane vt ignoti, ſic prorſus imperiti, qui in ea condenda & conſcribenda non nouit aperta vitare mendacia, inquit [l] Baronius. *Liber de Natiuitate S. Mariæ ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos, eſt fabula inſulſa æquè ac barbara,* ait [m] Canus. *Docti ſciunt fabuloſum eſſe hunc tractatum, & Hieronymo indignam,* inquit * Molanus.

l Annal. to. 1. Apparat. ad Annales Eccleſiaſticos, nu. 44.

m Locorum com. l. 11. c. 6.

* De picturis, c. 22.

Denique, *In nono hoc Tomo præter multa aliorum ſcripta, de quibus nullum eſt dubium, plurimi etiam libri vel Epiſtolæ ponuntur, quas Eraſmus tanquam ſuppoſititias in Tomum quartum coniecerat. Verè enim nihil horum eſt, quod Hieronymi doctrina vel fide ſit dignum:* inquit Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ.

Opera falsò adſcripta Hieronymo, quæ alibi quàm in 9. Tomis Victorij ſunt.

EXtat liber excuſus Lugduni Anno 1512. cuius titulus hic eſt: *Diui Hieronymi in vitas Patrum percelebre opus.* Ex hoc libro narrat [n] *Magiſter Sententiarum,* quo modo *Macarius* celebrato nuptiali conuiuio, cum veſpere thalamum eſſet ingreſſurus, ex vrbe egredi-

n Lib. 4. ſent. diſt. 27. G.

egrediens, transmarina petijt,& eremi ſolitudinem ſibi elegit. Nimirum vt probet: Licere ſponſis ſine conſenſu ſuarum ſponſarum, continentiam profiteri.

Tribuitur S. Hieronymo liber de vitis SS. patrum: ſed ſciendum eſt, eum librum non eſſe vnius Authoris, inquit * Bellarminus. * Lib de ſcript. Eccl. ad An. 390. Hieron.

Sciant Lectores vitas Patrum quæ falsò erant adſcriptæ Hieronymo, fuiſſe olim Lugduni in Gallia editas, Anno 1515. Euagrij autem, & diuerſorum eas eſſe proprios fœtus pleriqne indicant, inquit [o] Poſſeuinus. o Apparat. ſac. verbo, Hieron.& verbo, vitas patrũ.

Gelaſij teſtimonio eorum impudentiam retundimus, qui harum rerum Authorem Hieronymum promulgarunt, quas nemo niſi rudis atque elinguis ederet, inquit [p] Canus. p Loc.com. l.11. c.6.

Non carent narrationibus parum veriſimilibus vitæ patrum, Hieronymo, cui falſo adſcribuntur, minus dignæ, inquit [q] Eſpencæus. q Comment.in 2.Tim. 4.

In Biblijs impreſſis *Antuerpiæ* Anno 1570. habetur *Prologus in lib. Machab.* qui incipit. *Macabæorum libri duo licet:* Hic *Prologus* citatur tanquam ipſius Hieronymi, à [r] *Roffenſi*, [ſ] *Bunderio*, & [t] *Alfonſo de Caſtro*, vt probent: Libros Machabæorum eſſe Canonicos. r Artic. 37. adu. Lutherum. ſ In Compend. Theolog. Tit.18. Art. 11. t Adu.hæreſ l.13. verbo, Scriptura.

Hunc *Prologum* reperiet Lector apud *Iſidorum* libro proœmiorum: & reuera, ipſius eſſe [u] putatur. Non eſſe Hieronimi conſentiunt, *Eraſmus*, *Scultingus*, & alij. Nam quod ad *Eraſmum* ſpectat, ille verba faciens de hoc, & altero *Prologo*, ijſdem libris, in aliquibus editionibus, præfixis: *In Machabæorum libros præfationes duæ, eodem initio. Machabæorum libri, mihi* ([x] inquit) *non videntur Hieronymi.* u Vide Raynoldi prælect.38. x Ad initium To. 1.Hieron.edit. Pariſ 1533. Secundus ordo τῶ ἀμφιβόλως νόθα.

Præfationes duas in Machabæorum libros dum Marianus Reatinus Victorius in nouiſſima editione ſilentio tacite præterijt, neque 3. Tomo cum alijs præfationibus inſeruit, ſatis ſignificauit, & lectori inſinuauit, ſe pro Hieronymianis, conſentientibus alijs doctis viris, non agnoſcere, inquit [y] Scultingus. y In Cenſura operum Hieron., in confeſſ. Hieronymiana.

In Tomo 5. Sacrorum *Bibl.* impreſſ. *Antuerpiæ*, 1571. habetur *Prologus in Euangel. ſecundùm Iohannem*, qui incipit, *Hic eſt Iohannes Euangeliſta.* Et alius *in Apoc. Ioh.* qui incipit, *Iohannes Apoſtolus & Euangeliſta.* Horum prior citatur, à

z In Compend. Theolog. Tit. 12. Art.4.
a Lib. de inſolubili vinculo matrimonij c.2.
b C. N. in præfat. libri Angl. inſcripti, Our Lady hath a new ſonne: impreſſ. Duaci anno 1595.
* Cenſura quarundam præfat. To.4. Hieron. 1533.
c In cenſuta operum Hieron. ſupra citat.
d In initio Martyrologij Vſuardi.

à [z] *Bunderio*, & [a] *Gregorio Valentia*; poſterior, ab [b] *Anonymo* quodam Papiſta, tanquam *Hieronymi*, vt probent: Chriſtum D. Iohannem à nuptijs ad perpetuam profeſſionem caſtitatis vocaſſe.

Prior *Prologus* reijcitur ab * *Eraſmo*, & à *Schultingo*, & ab alijs. Nam *præfationes quæ in Lucam & Iohannem Hieronymi titulo circumferebantur, quia reuera, iudicio omnium doctorum communi, eius non ſunt, rectiſſime à Mariano Reatino in poſtrema editione prætermiſſæ fuerunt*, inquit [c] Schultingus.

Quæ cenſura & poſteriorem *Prologum* inuoluit, nam neque ille in poſtrema *Mariani* editione reperitur. *Prologus in Ioh. Apoc. omittitur.*

e Cap.7.
f In Legenda Aurea. In die omniũ ſanct..

Extat [d] alicubi *Epiſtola* ſub *Hieronymi* nomine ad *Chromatium & Heliodorum, de opere Martyrij colligendo*, quæ citatur à [e] *Ioh. Mariano* vt probet: *S. Iacobum* Hiſpaniam aliquando inuiſiſſe: & à [f] *Iacobo de Voragine*, vt probet: nullum diem eſſe in quo quingentorum martyrum numerus non aſſcribitur, excepto die Calendarum Ianuarij.

Fertur Chromatij Epiſcopi Aquileienſis & Heliodori Epiſcopi Altinenſis nomine, Epiſtola ad S. Hieronymum ſcripta, qua eum rogarent vt Martyrologium ſcriberet; cui quidem Epiſtolæ, velut ad eum redditæ, ab eodem Hieronymo ad ipſos literæ ſubijciuntur, quæ omnia vt Spuria demonſtrata reiecimus, confutauimuſq; in noſtra de Romano Martyrologio tractatione, inquit [g] Baronius: *Epiſtolam Chromatij & Heliodori ad Hieronymum, & huius ad eoſdem reſponſionem, ipſorum tantùm nomine conſcriptas puto, atque ex parte confictas, reuera autem ipſorum non eſſe*, inquit [h] Molanus.

g Annal. To. 4. ad Ann. 388. nu. 101.
h Præfatio in Vſuardi Martyrolog. c.2.
i De Martyro. Rom. c.7.

Alius longe diuerſus ab Hieronymo fuit epiſtolæ illius Author, inquit [i] Baronius: *quòd Author (quiſquis fuerit) in eadem epiſtola, excipit diẽ Calend. Ianuarij, quaſi ea die nullus paſſus ſit Martyr: quam mendax & friuola ea ſit de Calend. exceptio, conſule quæ inferius notantur die 1. Ianuarij*, inquit [k] idem.

k Ibid. c.7.

Euſebij

Euſebij Epiſtola de morte Hieronymi eſt ſuppoſititia.

AD finem To. 9. operum *Hieronymi* habetur Epiſtola *Euſebij* de *morte Hieronymi* ad *Damaſum.* Quæ Epiſtola citatur à *noſtris miſſificis* , in [a] Petitione quam exhibuerunt Iacobo regi, in ingreſſu regni Angliæ, tanquam ipſius *Euſebij Cremonenſis diſcipuli S. Hieronymi* ; partim vt probent, *S. Hieronymi* ſinceram fidem: partim vt probent, admirandam eius ſanctitatem. Ex eadem Epiſtola [b] *Pereſius* colligit tranſubſtantiationem. [c] *Durantus* ſacramenti adorationem, [d] *Theologi Colonienſes* ſub vna ſpecie communionem.

Hanc Epiſtolam non eſſe *Euſebij Cremonenſis*, res ipſa clamat, & ex aduerſarijs aliqui confitentur. Nam 1. vt de re ipſa dicam, In hac Epiſtola narratur, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum reuelaſſe *Cyrillo Epiſcopo* tranſitum glorioſi *Hieronymi* : quod ingens eſt mendacium, indignum prorſus *Euſebio Cremonenſi*, ſiquidem [e] conſtat *Cyrilli Epiſcopi* obitum præceſſiſſe 30. annis *Hieron.* obitum.

Secundò *Damaſus* ille cui inſcribitur hæc Epiſtola, Epiſcopus erat *Romanus*, vt patet ex eo, quod obnixe eum rogaſſe dicitur *Hieronymus*, ne corrumpi dimitteret opera quæ tanto labore ipſe contexuit: quod hic *Damaſus* impenſe adamaſſe *Hieronymum* dicatur: quod *Hieron. norma Itineris, Conſiliator, & Rector huius Damaſi* extitiſſe agnoſcitur. Nam tanto cum nulla *Damaſo* (excepto *Damaſo Romano*) neceſſitudo fuit *Hieronymo*. Atqui triginta & eo amplius annis ante *Hieronymum*, obijt Romanus *Damaſus*. *Hieronymus* enim obijt Anno 429. *Damaſus* verò Anno 384. ſecundùm computum *Baronij*: Quomodo ergo huic *Damaſo* de morte *Hieronymi* ſcriberet *Euſebius?*

Epiſtola Euſebij ad Damaſum de morte S. Hieronymi, nouitatem ſuam manifeſte prodit, nec ſolum nouitatem, ſed etiam imperitiam & impoſturas, inquit * Bellarminus.

Damaſus Romanæ Vrbis Epiſcopus ſub Theodotio Principe mortuus eſt, vt dicit Hieronymus. Vel hinc extra controuerſiam eſt,

a Anno Domini 1602.

b De Tradit part. 3. de communione ſub altera vel vtraque ſpecie p. 166. & 167.

c De Ritibus Eccleſiæ l. 2. c. 40. nu. 5.

d Cenſura Colon. dial 9.

e Ex Baron. in Annal. ad An. 386. & 420.

* De ſcript. Eccleſ. ad Ann. 390. Hieronymus.

eſt, Damaſum mortuum eſſe viuo Hieronymo, quod aut neſciens, aut non recordans impoſtor ille, qui falſis titulis, multa miſcuit operibus Hieronymi, ad Damaſum ſcribit de morte Hieronymi, ratus, opinor, librum in Cœlum perferendum, [f] inquit Eraſmus, pergens in hunc modum: Atque *hoc Argumento certius reuinci poteſt, quàm duos ſeniores reuincit Daniel Argumento Lentiſci & Ilicis. Eodem ſpectant* quæ habet Baronius. Nam *quæ feruntur de vita & geſtis Hieronymi, ſub nomine Euſebij, ſunt impudenter & mendaciter conficta,* [g] inquit ille. Cuius etiam ſententiæ videtur fuiſſe Marianus, licet [h] Sacrifici noſtri in contrarium vrgeant. Nam quamuis [i] annotat, quæ in calce operis *Euſebij* nomine de morte *Hieronymi* ad *Damaſum* inſcripta eſt, *Euſebij Cremonenſis indiuidui Hieronymi ſocij eſſe creditur*, tamen continuò ſubdit, *Verùm niſi Damaſum alium quàm ſummum illum Pontificem, toti Eccleſiæ notiſſimum, eo nomine intelligas, falſis circumfertur nominibus.* Nam extra controuerſiam eſt, (quod prius declaraui) neminem præter *Damaſum* illum *Romanum* hoc nomine intelligi: Quod & confitetur *Baronius*, cuius hæc ſunt verba: [k] *Quod ex ipſa inſcriptione minime temporibus congruente, cuncta quæ in opere eſſent arguerentur erroris, qui poſtea mendaciorum pollinctor acceſſit, atque deliniens foris caſurum parietem, ad temporum ſuffulciendum mendacium ſatis putauit fore conſultum, ſi titulum ſic mutaret, vt loco Damaſi Papæ, poneret Damaſum Epiſcopum Portuenſem: & pro Theodoſio Imperatore, redderet Theodoſium Senatorem, hoc modo: Patri reuerendiſſimo Damaſo Epiſcopo Portuenſi, & Chriſtianiſſimo Theodoſio Romanorum Senatori Euſebius, &c. Quis* iſta non videat, & non rideat adeo inconcinnè *compoſitam fraudem*, inquit Baronius?

f Scholijs in Catal. ſcript. Eccleſ. Hieron. verbo, Damaſus.

g In Annal. To. 5. ad Ann. 420.

h Petitione ſupra citat.

i Cenſura in To. 9. Hieron.

k Loco citato nu. 45.

Opera

Opera falsò adſcripta Ruffino.

RVffinus in præfatione *Recognit. Clementis*, citatur à [l] *Bellarmino*, vt probet: Epiſtolam *Clementis* primam eſſe antiquiſſimam; &, [m] vt componat diſcordiam de ſucceſſione quatuor primorum Pontificum.

[l] De Rom. Pont. l. 2. c. 14.

[m] Ibid. c. 5.

Sixtus Senenſis ſubdubitare videtur, an hæc præfatio ſit *Ruffini*, ſic enim [n] ille. *Itinerarium Petri, niſi me mea fallit opinio, id ipſum eſt ſupra memoratum Recognitionis poſterioris opus, tali titulo à librarijs exornatum, & Ruffini præfatione, aut confictà, aut aliundè petita, transformatum, vt hoc fuco volumen ſub Itinerarij nomine damnatum, commendabile redderetur apud emptores, tam ex Recognitionum gratiori inſcriptione, quam ex interpretis Ruffini authoritate.*

[n] Bibl. lib. 2. verbo, Clemen.

Bellarminus etiam dubiæ fidei agnoſcit, Nam *ſicut ipſæ Recognitiones falsò fortaſſe tribuuntur Clementi, ita etiam non eſt incredibile, falsò adiunctam illis fuiſſe præfationem Ruffini, quaſi interpretis*, inquit ille in lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 390.

Ruffini Aquileinſis Preſbyteri in 75. Dauidis Pſalmos Commentarius, nunc primus in lucem editus *Lugduni* 1570. citatur à [p] *Coccio*, pro Purgatorio, &, [q] pro peccatorum confeſſione coram Sacerdote.

[p] Lib. 7 de pœnitentia, art. 5. to. 2.

[q] Ibid. art. 3.

Commentarius iſte videtur commentitius, primò, quia nuperrime in lucem editus eſt Lugduni, an. ſcilicet 1570. Secundò, quia horum *Commentariorum* nec meminit *Gennadius*, *Ruffini*, vt apparet, valdè ſtudioſus, qui reliqua opuſcula diligenter enumerauit; nec *Trithemius*, nec *Geſnerus* in Bibliotheca, nec è veteribus aliquis, nec è recentioribus quiſquam vſque ad annum 1570. in quo editi ſunt. Tertiò, quia in his *Commentarijs* multoties reperiuntur eadem verba & ſententiæ, quibus *Auguſtinus* in Pſalmos vſus eſt. Vt exempli gratia, Pſal. 1. 1. Pſal. 3. 1. & Pſal. 4. 1 Neque probabile eſt, quod garrit *Antonius de Albona Archiepiſcopus Lugdunenſis, Auguſtinum has ſententias à Ruffino mutuatum eſſe* A quo enim vnquam *Auguſtinus* quicquam mutuatus eſt? Sed potius recentiorem aliquem *Auguſtini*

ſcrinia compilaſſe. Cum enim legimus in *Auguſtino* ſuper Pſal. 9. *Prima perſequutio Eccleſiæ violenta fuit, cùm proſcriptionibus, tormentis, cædibus, Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur: altera perſequutio fraudulenta eſt, quæ nunc per huiuſmodi hæreticos, & falſos fratres agitur: tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius, quoniam & violenta, & fraudulenta erit.* In his Com. qui nomine *Ruffini* circumferuntur, ſic legimus, *Prima perſequutio Eccleſiæ violenta, cum proſcriptionibus & tormentis Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur. Altera perſequutio fraudulenta, quæ per hæreticos, & falſos fratres acta eſt. Tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, &c.* Vbi omittendo verbum (*nunc*) & mutando (*agitur*) in *Acta eſt*, perſpicuum videtur, authorem horum Commentariorum poſt *Auguſtini* tempora vixiſſe, cum Eccleſia libera erat tam à fraudulenta perſequutione per hæreticos, quam à violenta per tyrannos. Quod ex eo luculentius etiam patet ex [r] *Commentario in Pſalmum* 3. vbi narrat Eccleſiam ſui temporis *in pace vixiſſe, niſi quod aliquantulum turbata eſt hypocritis & malis Chriſtianis.*

[r] In initio Pſal. 3.

Ruffini nomine edidit Renatus Laurentius de la Barre Commentarios in Benedictiones Patriarcharum, & in Prophetas Hoſea, Ioel & Amos: in quibus plura, vti * ipſe aſſerit, habentur teſtimonia pro Purgatorio, pro libero hominis arbitrio, &c.

* In Epiſt. dedic. ad D. Ioan. à S. Andr.

Atqui, *iam pridem cœperam mihi perſuadere, hæc in tres Prophetas Commentaria non eſſe Ruffini illius qui in Hieronymum ſcripſit, quod vtriuſque operis ſtylus planè ſit diſſimilis, & nunc ex hac interpretatione eius magis intelligo:* (Ex qua Græcæ linguæ, cuius *Ruffinus ſatis peritus fuerit*, imperitus fuiſſe deprehenditur:) inquit * Fr. Ribera Ieſuita. *Accedit quod Gennadius eius valdè ſtudioſus, qui reliqua opuſcula diligenter enumerauit, de Commentarijs in Prophetas verbum fecit nullum,* inquit * idem Ribera.

* Comment. in Hoſh. c. 2. nu. 78.

* Ibid.

Opera

Opera falſò adſcripta Gregorio Nyſſeno.

IN *Gregorio Nyſſeno* ex edit. *Baſilienſi* 1562. habentur de *Philoſophia libri* 8. qui citantur à *Bellarmino* vt probet: [a] Deum eſſe, & eſſe vnum, cognoſci poſſe lumine rationis, abſque ſpeciali gratiæ auxilio: hominem [b] habere dominium ſuarum actionum: &, [c] liberum arbitrium in moralibus. Atque in poſtremo teſtimonio valde ſibi placet: Nam inſultans *Caluino*, *Neſcio quid hic Caluinus comminiſci potuit, nullum enim cauillis locum relinquit Gregorius*, inquit ille.

a De lib.arbit. l.4. c.2.

b Lib.eod.c.14.

c Lib.5.c.25.

Qui *Nyſſeno tribuunt libros* 8. *de Philoſophia, quod quidem præter alios facit Sixtus Senenſis, — ij falſi ſunt. Nemeſij eſſe certiore coniectura dicemus*, inquit [d] Poſſeuinus.

d Apparat. Gregor.Nyſſen.

Libri 8. *de Philoſophia non videntur eſſe S.Gregorij Nyſſeni*, inquit [e] Bellarminus. *Nam in lib.* 2. *docet animam non creari in corpore, ſed ante corpus fuiſſe creatam: qui eſt error Origenis: & præterea totum hoc opus Philoſophicum eſt, & ſapit Pelagianiſmum. Adde quod hoc idem opus inuenitur in Bibl. ſanctorum Patrum Tomo* 9. *ex editione ſecunda, ſub nomine cuiuſdam Nemeſij Philoſophi Chriſtiani: eo ſolùm excepto, quòd apud Nyſſenum diuiditur in* 8. *libros, apud Nemeſium eſt vnus liber diuiſus in capita* 45. *& inſcribitur, De homine, ſiue de anima.* Hæc ille.

e De ſcript.Eccleſ. ad an.380.

Iohannes *Lewenclaius* author fuit Typographo, vt hij libri de Philoſophia prorſus omitterentur in editione Baſilienſi 1571. quemadmodum confitetur [f] ipſe.

f Epiſtola dedicatoria præfixa Nyſſen. 1571.

To. 1. Bibl. ſanct. patr. edit. 1. habetur *Epiſtola* ſub nomine *Gregorij Nyſſeni ad Latoium Epiſcopum Mytilenes*, quæ citatur à [g] *Bellarmino* pro auriculari confeſſione.

g Lib. 3. de Pœnitent.c.8.

Hanc Epiſtolam eſſe ſuppoſititiam patet, primò, quia contra morem antiquorum ſcriptorum, tota conſtat ex diuiſionibus & diſtinctionibus. Secundò, quia tales Pœnitentiæ in illa iniunguntur, idq; quaſi ex præſcripto Patrum, quales aliàs nullibi legimus. Iuxta hanc, [h] qui voluntarie lapſus eſt, perpetuam Pœnitentiam agat oportet: qui in-

h Can. 2.

i Can. 4.
k Can. 5.
l Can. 6.
m Comment. in Can. 8.

uoluntarie, 9. annos.[i] Qui fornicationis reus eſt, pœnitere debet 9. annos, qui Adulterij, 18. annos; [k] Ijs, qui cædem inuoluntariam committunt, 9. etiam annorum pœna ſtatuitur, qui voluntariam cædem, 27. annorum pœna. [l] Latronibus, 27. etiam anni pro pœnitentia imponuntur: furibus verò, hoc ſolùm, *vt largiantur quæ habent pauperibus.* Multa alia ſunt inaudita, & quædam falſa, teſte [m] Balſamone.

Opera falsò adſcripta Chryſoſtomo.

IOhannes Chryſoſtomus floruit circa annum 390. Cuius opera impreſſa ſunt ſæpius *Baſileæ*, & *Pariſijs*, inter quę multa reperiuntur, quæ falſò adſcribuntur *Chryſoſtomo.*

a To. 2. l. 5. de bapciſmo, art. 5.
b De tradit. part. 3. de Exorciſmis.
c Cõpend. Theolog. tit 7. art. 3.
d Bibl. l. 4. Chryſoſtomus.
e De amiſſ. gratiæ l. 4. c. 9. & lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 398.
f Inſtitut. Moral. pars 1. l. 4. c. 25. 3. quæritur.

To. primo, habetur Ser. de *Adam & Eua*, cuius initium eſt, *Deus inſtitutor mundi.* Hic citatur à [a] *Coccio*, & [b] *Pereſio*, vt probent: Exorciſmos Energumenorum, & Catechumenorum; & à [c] Bunderio, pro libero arbitrio.

Hic ſermo recenſetur à [d] *Sixto Senenſi* in poſteriore Catalogo, qui continet *opera Chryſoſtomi Pſeudepigrapha, i. quæ Chryſoſtomo ſub falſæ inſcriptionis titulo tribuuntur.* De hoc ſermone in hunc modum ſcribit [e] *Bellarminus, Homilia de Adam & Eua, quæ inter opera Chryſoſtomi legitur, non cenſetur Chryſoſtomi, tum quod Græcè nuſquam inueniatur, & author non Græcus, ſed Latinus fuiſſe exiſtimatur; tum quod in ea duo integra capita reperiuntur ex libro de Eccleſiaſticis dogmatibus.* De hoc, in hunc modum [f] *Azorius*, *Videtur totus hic ſermo compilatus ex operibus Auguſtini, præſertim vero ex quibuſdam capitibus libri de Eccleſiaſticis dogmatibus qui tribuitur Auguſtino.*

g To. 1 l 3. de deipara virg. art. 5. p. 305.
h Biblio. l. 4. Io. Chryſoſt.

Eodem Tomo habetur *Sermo de interdictione arboris ad Adam*, qui incipit, *Iubetur Adam.* Hic citatur à [g] *Coccio*, vt probet: Mariam deiparam omni laude à Chriſtianis celebrandam eſſe.

[h] *Sixtus Senenſis* recenſet hunc ſermonem in poſteriore ſuo catalogo, *qui continet opera quæ Chryſoſtomo ſub falſæ inſcriptionis titulo tribuuntur.* Neque ob hoc reprehenditur à *Poſſeuino,*

[i] *Poſſeuino*, qui tamen nonnulla in *Sixto*, præſertim lib. 4. emendanda cenſuit, Ex quo ſequitur, *Poſſeuinum*, hac in re, eodem fuiſſe iudicio, quo *Sixtus*

i Apparat. Sixtus Senenſis.

Eodem To. habetur ſer in *Pſal.* 14. qui incipit, *Pulcher eſt Pſalmus*: qui citatur à [k] *Coccio*, vt probet: Infantes propria fide carere, & ſine baptiſmo non ſaluari.

k To 2. l. 5 de baptiſ. art. 6.

Hanc homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chryſoſtomum agnoſco, inquit *Flaminius Nobilius* Notat. in B. *Chryſoſtomi* ſententias ad finem To. 5. Chryſoſt. impreſ. Pariſijs 1588. Col. 1557.

Eodem To. habetur ſermo *in Pſal.* 22. qui citatur à [l] *Coccio*, vt probet: aquæ baptiſmalis papiſticam conſecrationem, & aquæ benedictæ vſum.

l To. 2. l. 5. de baptiſ. art. 5.

[m] *Sixtus Senenſis* enumerat hunc ſermonem inter ea quæ *perperam Chryſoſtomo adſcribuntur*. Et confidenter [n] alibi aſſerit, *phraſin & characterem palam arguere non eſſe illius, cuius titulo prænotatur. Perſpicue hæc Homilia non eſt Chryſoſtomi*, inquit Nobilius loco ſupra citato. *Commentarius in Pſal. 22. ſine dubio non eſt Chryſoſtomi, imò neque Græci alicuius, phraſis enim Latina eſt, & cum res, tum verba longiſſimè abſunt à ſcriptis Chryſoſtomi*, inquit [o] *Bellarminus*, cui ſubſcribit [p] *Poſſeuinus*.

m Bibl. lib. 4. Io. Chryſoſto.
n Lib. 5. annot. 164
o De Euchariſt. l. 2. c. 21.
p Appar. Io. Chryſoſt.

Eodem Tomo habetur Sermo *in Pſal.* 95. qui citatur à [q] *Bellarmino*, vt probet: varia ſacrificia veteris Teſtamenti fuiſſe figuras ſacrificij Miſſæ: & [r] verba Malachiæ cap. 1. 11. intelligenda eſſe de ſacrificio Miſſæ.

q De Miſſa. l. 1. c. 8
r Lib. c. 10.

[ſ] *Sixtus Senenſis* hunc ſermonem ponit in Catalogo poſteriore, qui continet, *quæ ſub falſo Chryſoſtomi titulo inter ipſius vera opera ſunt immiſta*. Nec diſſentit [t] Poſſeuinus. Idem ſentit vir clariſſimus Henricus Sauilius, qui pari ſumptu, ac labore, vtriſque immenſis, *Chryſoſtomum* nobis Græcè loquentem nuper dedit, ſic enim [u] ille; *Homiliam in Pſal. 95. planè* κίβδηλον, *& ineptis Allegorijs, & Anagogis ſcatentem, in claſſem* νοθευομένων *reiecimus, iure merito, niſi fallor.*

ſ Biblio lib. 4. Io. Chryſoſt.
t Apparat. ſac.
u Notis in Pſal. ad finem Tomi 8. Col. 124.

Eodem Tomo habetur Sermo ſuper illud *Eſaiæ* 1. *Si volueritis*; qui citatur à [x] *Coccio*, vt probet: hominem poſt lapſum eſſe liberi arbitrij.

x To. 2. l. 1. de natur. hominis, art. 5.

Hic ſermo recenſetur inter opera *quæ perperam Chryſo-ſtomo adſcribuntur*, à [y] *Sixto Senenſi*, nec reclamat *Poſſeuinus.*

y Loco citato.

Eodem Tomo habetur Sermo in *Beatos Iob & Abraham*, cuius initium eſt: *Athleta in certamen impellit.* Hunc [z] *Feuardentius* citat, pro Purgatorio.

z De Purgat. l. 12. c. 18.

Recenſetur à [a] *Sixto Senenſi* inter opera, *quæ perperam Chryſoſtomo inſcripta ſunt*, nec reclamat *Poſſeuinus.*

a Loc. citat.

Eodem Tomo habetur Sermo *de tribus pueris*, qui incipit, *Trium puerorum.* Hic citatur à [b] *Bellarmino* & [c] *Coccio*, vt probent: orationem Ananiæ, &c. eſſe Canonicam Scripturam.

b De verbo Dei l. 1. c. 9.
c To. 1. l. 6. de Sacra Script. art. 4.

Hunc ſermonem ponit Sixtus Senenſis inter ea quæ *falsò Chryſoſtomo adſcribuntur*, non diſſentiente [e] *Poſſeuino.*

e Loco citato.

Eodem Tomo habetur Sermo *de Suſanna*, qui incipit, *Diuinæ lectionis.* Hic citatur à [e] *Bellarmino*, & [f] *Coccio*, vt probent: hiſtoriam Suſannæ eſſe canonicam Scripturam.

* De verbo Dei l. 1. c. 9.
f To. 1. l. 6. de Sacr. Scriptur. Art. 5.

Hic ſermo ponitur à *Sixto Senenſi*, inter *ea quæ perperam Ioanni Chryſoſtomo adſcribuntur*, nec diſſentit [h] *Poſſeuinus.*

h Loco. citato.

To. 2. habentur ſermones *de varijs locis apud Mathæum*: horum *decimus*, qui incipit *Sicut in ſuperioribus*, citatur à [i] *Coccio*, & [k] *Serario*, vt probent: librum Iudith eſſe canonicum.

i To. 1. l. 6. de ſacr. Script. art. 22.
k Comment. in Iudith prolog. 4.

Reijcitur à *Sixto Senenſi*, neque in hoc repugnat [l] *Poſſeuinus.*

l Loco. citato.

Eodem Tomo habentur *Homiliæ* 14. *in Marcum*, quarum prima citatur à [m] *Bellarmino & ab* [n] *Anglo-Rhemenſibus*, vt probent Iohannem Baptiſtam Monachorum & Eremitarum principem fuiſſe: quarta, à [o] *Coccio*, vt probet: Chriſti animam verè ad inferos deſcendiſſe vt ſanctorum animas inde liberaret: vndecima, ab eodem, [p] pro meritis operum: & 12. pro [q] exorciſmis.

m De Monach. l. 2. c. 6.
n Annot. in Math. 3. 1.
o To. 1. l. 2. de Chriſto Sal. art. 4.
p To. 2. l. 3. de iuſti-fi. art. 3.
q To. 2. l. 3. de bapt. art. 14.

Author ſermonum in Marcum, quantum ex eius ſcriptis deprehenditur, Monachus fuit, ſub poteſtate Epiſcopi conſtitutus, & ad Monachos edidit explanationes ſuas, frequentibus intermiſtas allegorijs, & interdum violentis, inquit [r] Sixtus Senenſis. *Falsò adſcripta Chryſoſtomo ſunt ſequentia*, inquit [ſ] *Poſſeuinus*, & ſtatim nominat *Authorem expoſitionis in Marci Euange-*

r Bibliot. l. 4. Io. Chryſ.
ſ Apparat. Chryſoſt.

Euangelium. Opus illud Chryſoſtomi in Marcum, etſi ingenio, eruditione, & pietate non caret, genio tamen, ſtylo, ſublimitate & iudicio Chryſoſtomi caret, inquit [t] Maldonatus. *In 2. Tomo ſunt homiliæ 14. in Marcum, quæ ſine dubio Chryſoſtomi non ſunt, ſed alicuius ſimplicis Monachi qui fratribus ſuis Euangelium explicabat*; inquit [u] Bellarminus.

t Com. in Marcū c.8.23.

u Lib. de ſcript. Eccleſ ad An. 396.

Eodem Tomo habetur *homilia de Natiuitate Domini*, quæ incipit, *Et reclinauit eum mater, Ioſeph autem non audebat*, deſumpta ex *Lucæ* 2. citatur à [x] *Ferreolo Locrio*, vt probet: Dominicum præcepe in quo recens natus Saluator recubuit, Romam Conſtantinopoli tranſlatam.

x Maria Auguſta. l.5.c.45.

Hæc homilia reijcitur à [y] *Sixto* in poſteriorem Catalogum qui *continet opera falsò inſcripta Chryſoſtomo*. Et iure quidem, nam Author diſertis verbis profitetur ſe in *Occidente* vixiſſe, cum cuiuis notum eſt *Chryſoſtomum* vixiſſe in *Oriente*.

y Loco citato.

z Annot. in Math. 3.1.

Tomo 3. habentur *homiliæ* aliquot in *Iohannem*, quarum vna de *Ioanne Baptiſta*, quæ incipit, *De Ioanne dicitur*. Hæc citatur ab *Anglo-Rhemenſibus*, vt probent: Ioannem Authorem extitiſſe profeſſionis Eremiticæ: & à [a] *Bellarmino*, vt probet: Chriſtum exijſſe è Sepulchro cauſo.

a De Euchar. l.3. c.6.

Bellarminus [b] lib. de ſcrip. Eccleſ. fatetur hanc Homiliam, dubiæ eſſe fidei. Nam verba faciens, *De ſex homilijs interpoſitis inter commentaria in Iohannem, & in Acta*, quarum hæc eſt vna, *Non eſt omnino certum, an ſint Chryſoſtomi, excepta tertia, quæ incipit, Hirundinum pulli*, inquit ille.

b Ad Ann.393.

Sixtus verò [c] *Senenſis*, non vt dubiam modò, ſed ſpuriam, reijcit inter ea, quæ perperam *Chryſoſtomo* aſcribuntur.

c Loco. ſupra citato.

Eodem Tomo habetur *homilia de Cruce & Latrone*, quæ incipit, Hodierno die. Hæc citatur à [b] Gretſero, vt probet: Crucem Domini colendam & honorandam eſſe.

d Tom.1. de Cruce, l.1.c.54.& 55.

Hæc homilia reperitur inter ſermones Auguſtini de Tempore, & eſt ſermo 30. *nec ſatis conſtat, num ſit legitimus Chryſoſtomi partus, & Latina interpretatio valde diſſidet à Græcis*, inquit [e] *Gretſerus*; idem ſentit [f] Poſſeuinus.

e Not. in orationem hanc, to.2. de Cruce, pag 626.

f Appar. Io. Chryſoſto.

Tomo 4. habetur *ſermo de fide, ſpe, & charitate*, qui citatur à [g] *Bellarmino*, vt probet: timorem, ſpem, & dilectionem iuſtificare.

g De iuſtificat. l.1. c.13.

Hic

h Biblio.l. 4. Io. Chryſo.

Hic ſermo recenſetur à [h] *Sixto Senenſi* inter opera quæ falsò *D. Chryſoſtomo ſunt inſcripta.*

Tomo 3. habentur *duæ expoſitiones in Symbolum Apoſtolorum*, quæ citantur à [i] *Bellarmino*, vt probet: non eſſe fidem aliquam ſpecialem. 2. etiam citatur à [k] *Gregorio de Valentia*, vt probet: B. Virginem non patefacta ſui corporis lege peperiſſe.

i De Iuſtificat. l. 1. c. 9.
k Cont. Fortunatum de reali Chriſti præſ. l. c. 2.
l Biblio. l. 4. Io. Chryſo.

[l] Sixtus Senenſis probat *homiliam in Pſal.* 118. quæ fertur nomine *Chryſoſtomi*, non fuiſſe ſcriptam Græcè, *quia continet orationis figuram, quæ aptari non poſſit ad Græcum ſermonem*, dicens, *Veritas: tres ſunt Syllabæ, & ſeptem literæ.* Similiter probari poteſt *has expoſitiones* non eſſe *Chryſoſtomi.* Sic enim in ijs legimus. *Dixiſti credo, quam breue eſt, quam modicum eſt? Si ad latitudinem literarum redigatis, quinque ſunt literæ; ſi ad ſyllabarum numerum, duæ ſunt ſillabæ.* Quis enim iſta aptare poteſt ad *Græcum ſermonem?* Nam licet Latina vox *Credo* non habet niſi *quinque literas*, & *duas ſyllabas*, Græca vox πιστεύω, & *longior*, & *latior* eſt.

Eodem Tomo habetur Homilia ad Neophytos, quæ citatur à [m] Bellarmino, pro reali Chriſti in ſacramento præſentia.

m Lib. 2. de Euchar. c. 22.

Neque Homilia hæc quicquam ad Chryſoſtomum, inquit [n] Flaminius Nobilius.

n Loco ſupra citato.

Eodem Tomo habetur Homilia ad baptizandos, qui citatur à [o] Coccio, pro Exorciſmis Catechumenorum.

o To. 2. l. 5. de bapt. art. 14.

Homilia eſt Latini hominis, inquit idem [p] Nobilius.

p Loco citato.

Eodem Tomo habetur *Epiſtola ad Cyriacum*, quæ citatur à [q] *Bellarmino*, vt probet: Ieiunos eſſe debere, qui Euchariſtiæ ſacramentum celebrant; & à [r] Coccio, vt probet: Clericos in maioribus Ordinibus conſtitutos non poſſe vxores ducere.

q De Miſſa, l. 2. c. 14.
r To. 2. l. 8. de ordine art. 6.

Hæc Epiſtola ſuppoſititia eſt, nam verba faciens de criminibus in ſe confictis, ob quæ in Exilium relegatus eſt, duo tantum commemorat; vnum *quod ad communionem non ieiunos receperit*, alterum, *quod cum muliere dormierit.* De quibus inter 46. *capita Calumniarum illi obiecta*, quæ extant apud [ſ] *Photium*, verbum nullum, nec alibi ſanè apud quemuis illorum temporum ſcriptorum. Rurſus, in hac Epiſtola,

ſ In Biblioth.

ſi

ſi vera ſit lectio quam antiqui Interpretes ſequuti ſunt, *Nectarius* dicitur in throno *Chryſoſtomi* collocatus, Chryſoſtomo viuo; quum tamen conſtet, non *Nectarium*, ſed *Arſatium Nectarij germanum*, loco *Chryſoſtomi* ſubſtitutum. Mitto dicere de ſtyli diſſimilitudine, ex qua tamen [t] *Haleſius*, iuuenis magnæ ſpei, & *Ioannes Boiſius* ſummo iudicio vir, audacter pronunciant, Epiſtolæ huius authorem non *Chryſoſtomum* fuiſſe, ſed alium aliquem cum *Chryſoſtomo, nec ingenio, nec eloquentia comparandum.*

[t] Vide not. in To. 7. ex editione Sauilij, Col. 856. & 889.

Eodem Tomo habetur *Miſſa Chryſoſtomi*, ab *Eraſmo Roterodamo*, (vt aiunt) *in gratiam Epiſcopi Roffenſis verſa*, quæ & *Antuerpiæ* excuſa eſt Anno 1560. iuxta verſionem *Leonis Tuſci*, & edita per *Claudium de Sainctes*. Ex hac *Miſſa* Pontificij, nominatim verò *Bellar.* multa citant in cauſæ ſuæ patrimonium, idque interdum (vt melius inſeruire cauſæ ſuæ vident) ex *verſione Eraſmi*, interdum ex *verſione Leonis Tuſci. Bellarminus* conatur probare ex *Liturgia Chryſoſtomi quam Eraſmus Latinam fecit*, [u] Imagines rectè in templis collocari: Et ex *Liturgia Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita*, [x] Græcos poſterioribus temporibus addidiſſe nomen *Papæ* Romani. Ex *Miſſa Chryſoſtomi* in genere, idem concludit, [y] neceſſarium eſſe aqua vinum miſceri in calice, [z] Sanctos inuocandos, [a] Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium, [b] orandum eſſe pro defunctis, [c] Cereos accendendos cum dicatur *Miſſa*, [d] thus adolendum, &c.

[u] De Imag. l. 2. c. 9.
[x] De Miſſa l. 2. c. 21.
[y] De Euchar. l. 4. c. 10.
[z] De Miſſa l. 1. c. 8.
[a] Ibid. l. 2. c. 2.
[b] Ibid. c. 7.
[c] Ibid. c. 14.
[d] Ibid. c. 15.

De hac *Liturgia* integram *Theologis* diſceptationem relinquit [e] *Henricus Sauilius*, hæc tantùm admonuiſſe contentus. *Miram eſſe in ſcriptis codicibus inconſtantiam, nihil ferè ſimile habere verſionem Eraſmi, & editionem Morelianam, multa paſſim in operibus Chryſoſtomi ex Liturgia, qua tum vtebatur Eccleſia orientalis, recitari, quæ hîc non reperiantur, multa hîc reperiri quæ vix illorum temporum eſſe videantur.*

[e] Tom. 6. Chryſo. Græcè à ſe edit. Col. 828.

Miſſa Chryſoſtomi excuſa *Venetijs* anno 1528. Græcè & Latinè, non poteſt eſſe *Chryſoſtomi*, quia in illa fit commemoratio, cum multorum qui poſt *Chryſoſtomum* vixerunt, tum *ipſius Chryſoſtomi*, vt mortui; imò in ea inuocatur *Chryſoſtomus.*

Miſſa Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita, non po-

teſt eſſe *Chryſoſtomi*. Nam licet nulla ſit in eo mentio *Chryſoſtomi*, vt mortui; tamen ſit mentio *Nicolai*, *Alexij*, & aliorum qui ſeptingentis annis poſt *Chryſoſtomum* nati ſunt. *Alexius* enim *Imperator*, cuius tempore *Epiſcopatum Conſtantinopolitanum* tenuit *Nicolaus ille*, cœpit regnare poſt annum 1080. teſte [f] *Zonara*.

f Annal. to.3.

Miſſa Chryſoſtomi, quam *Eraſmus dicitur* (ſed falsò, vt argutè probat [g] *Iohannes Rainoldus*) *Latinam feciſſe*, non poteſt *Chryſoſtomi* eſſe. Nam licet in illa mentiones illæ mortuorum, è quibus Græcum exemplar euincitur habere quæ *Chryſoſtomi* non ſunt, ſupprimantur omnes: & omnis etiam mentio *Nicolai*, & *Alexij*, è qua verſio *Leonis Tuſci* merito ſuſpecta redditur; tamen & hæc habet quæ planè arguunt authorem huius Miſſæ alium fuiſſe à *Chryſoſtomo*. Nam in hac *Virgo Maria* prædicatur *penitus incontaminata, honoratior Cherubin, & glorioſior incomparabiliter Seraphin*; quod, etſi [h] *Bellarminus* tanquam à *Chryſoſtomo* dictum, & verè dictum credi voluit; tamen à *Chryſoſtomi* doctrina alieniſſimum eſt. *Chryſoſtomus* (agnoſcente [i] *Cano*) eſt ex eorum numero qui *Virginem Mariam in Originali peccato conceptam eſſe volunt*, imò vnus eſt ex ijs (fatente [k] *Salmerone*) qui *virginem Mariam, ambitioſam & cupidam gloriæ vanæ ac laudis extitiſſe dicunt, & incredulam etiam aliquando*: hoc enim de *Chryſoſtomo* concedit [l] *Caniſius*; at quî fieri potuit vt *Chryſoſtomus* (niſi inſigniter ſibi contradiceret) *penitus incontaminatam* diceret, qui iſta dicit? Præterea [m] *Chryſoſtomus*, in genuinis ſcriptis dicit *Chriſtum, niſi natura eſſet Dei Filius, Angelis non ſolum non excellentiorem, ſed minorem etiam fore*: ex quo neceſſariò ſequitur, *Mariam*, quæ [n] ex gratia Dei adoptata fuit, non ſolum non honore & gloria ſuperiorem, nedum incomparabiliter ſuperiorem Angelis, ſed etiam inferiorem eſſe, *Chryſoſtomo* iudice, & per conſequens, hanc *Miſſam* non eſſe *Chryſoſtomi*. Id ipſum ſentit *Eraſmus*, ſic enim [o] ille, in *Epiſtola ad Erardum de Marca præſulem Leodienſem & Cardinalem. Legi Græcorum Liturgiam quam illi Chryſoſtomo tribuunt, cui nihil ferè non tribuunt; mihi non ſit veriſimile.*

g De Idolola. l. 1. c. 7. nu. 9.

h In præfat. de ſanct. beatitud.

i Loc. com. l. 7. c. 1.

k To. 3. com. in epiſt. Pauli, diſp. 9.

l De virgine Maria l. 4. c.

m Com. in epiſt. ad Heb. c. 2.

n Lucæ 1. 28. Epheſ. 1. 6. 2. 3.

o To. 7. operum eius ad initium paraph. in 1. Cor. 1.

Tomo 5. impreſſ. *Pariſijs* 1588. habetur *oratio Encomiaſti-*

ca in principes Apoſtolorum, Petrum & Paulum, quæ citatur à [p] *Coccio*, & [q] N. D. pro inuocatione Sanctorum.

p To. 1. l. 5. de S. Eccleſ. art. 6.
q Tripl. conuerſ. Ang. pars 3. p. 14.

Suppoſititiam eſſe hanc orationem in natali *Petri* & *Pauli*, oſtendunt ineptæ, falſæ & deprauatæ Scripturę citationes, vt cum dicit, *Petre & Paule, ſine intermiſſione pro nobis rogamus orate, promiſſa veſtra implete, ſunt enim hæc veſtra conuenta, vnius quidem hoc, * Venite mecum, & bonis ne deficiamur: alterius vero illud, Studebo poſt meum obitum veſtri facere mentionem.* Henricus Sauilius in Catalogo To. 5. operum Chryſoſtomi, eam enumerat inter *dubiæ fidei* ſcripta.

* Vbi hoc ſcriptū?

Apud *Surium* To. 4. *de vitis ſanctorum* habetur ſermo, ſub nomine *Chryſoſtomi in adorationem venerabilium catenarum, & gladij, Sancti, & Apoſtolorum principis Petri*, qui citatur à [r] *Caniſio*, & [ſ] *Coccio*, pro inuocatione ſanctorum.

r Catecheſ. de venerat. S. q. 8.
ſ To. 1. l. 5. art. 6.

Hanc orationem non eſſe *Chryſoſtomi* fatetur [t] *Baronius*, *eò quòd nondum Petri catenæ innotuiſſent, nec Conſtantinopolin delatæ eſſent.*

t Annal. to. 5. ad annum 439. nu. 5. & not. in Martyrolog. Rom. Aug. 1

To. 5. operum Chryſoſtomi, habentur 80. homiliæ ad populum Antiochenum. Quarum 40. citatur à Bellarmino [u] pro ſatisfactionibus. 60. [x] pro reali Chriſti in ſacramento præſentia. 66. [y] pro inuocatione ſanctorum. 69. [z] pro oratione pro defunctis.

u Lib. 4. de Pœnit. c. 9.
x Lib. 2. de Euch. c. 22.
y Lib. 1. de ſanct. beatit. c. 19.
z Lib. 1. de Purgat. c. 6.

Ex homilijs ad populum Antiochenum, viginti & vna tantùm reperiri dicuntur manuſcriptæ in antiquis Bibliothecis, fatente [a] Bellarmino: illæque viginti & vna ſunt ex primis illis quas habet Tom. 5. Latinæ editionis, teſte [b] Frontone Ducæo.

a Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 398.
b Vide Poſſeu. Appar. Chryſo.

Opera falsò adſcripta Auguſtino.

AVguſtinus natus eſt ad An. Chriſti 355. mortuus vero ad an. 430. Opera eius edita ſunt *Baſileæ, Antuerpiæ, Pariſijs, Louanij.* Atqui Theologi Pontificij *Louanienſem* editionem præ alijs omnibus probant. Sic enim ſcribit [a] *Iohannes Molanus: Opera beatiſſimi Auguſtini per Theologos Louanienſes caſtigata, omnibus prioribus editionibus ſunt præferenda.* Cuius iudicium approbatur à [b] Poſſeuino. In hac tamen editione, tot ſunt tractatus

a Præfat. in opera Aug.
b Apparat. Aug.

& ſermones, qui *B. Auguſtino* falſò inſcribuntur, vt verè poſſit dici, quod dixit olim [c] *Trithemius, Eorum recenſionem proprium volumen requirere.*

c De ſcript. Eccleſ. Aug.

Epiſtola 38. *ad Lætum*, citatur à [d] *Bellarmino*, pro ingreſſu filiorum in monaſteria, inuitis parentibus.

d De Monach. l. 2. c. 36.

Eſt quidem & erudita, nec infans Epiſtola: cæterum plurimum diſſonans à phraſi Auguſtini, inquit [e] Eraſmus.

e Cenſura.

Auguſtini Epiſtola 6. *in Appendice*, quæ eſt *Epiſtola* 187. *ad Bonifacium comitem*, citatur à [f] *Baronio*, vt probet: *Auguſtinum* excommunicaſſe *Bonifacium Comitem*, propterea quod ſceleſtiſſimum hominem confugientem ad Eccleſiam, è liminibus raptum truſiſſet in carcerem. *Epiſtola* 189. ad eundem *Bonifacium* citatur à [g] *Pereſio*, pro inuocatione ſanctorum.

f Parænesi ad Remp. Venetam: & to. 5. annal. ad an. 412. nu. 11.

g De Tradit. part. 3.

Epiſtolæ ſexdecim Auguſtini ad Bonifacium, & Bonifacij ad Auguſtinum, quæ interſeruntur inter Epiſtolam ad Honoratum de fuga in perſequutione, & Epiſtolam ad Ediciam de voto continentiæ, non videntur eſſe Auguſtini, inquit [h] Bellarminus.

h Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 420.

Nonnullæ quæ circumferuntur Auguſtini nomine Epiſtolæ ſimpliciter ſunt confictæ; quod genus ſunt illæ Bonifacij ad Auguſtinum, & Auguſtini ad Bonifacium, inquit [i] Eraſmus: & [k] rurſus, *Quid precemur iſtis ocioſis, qui talibus nænijs ac nugis onerant Lectorem? nec oratio, nec ſenſus, quicquam habet Auguſtini,* inquit ille.

i Cenſ. generalis in to. 2. Aug.
k Cenſ. præfix. epiſt. illis 16.

Ipſi Theologi *Louanienſes* reiecerunt has Epiſtolas in *Appendicem* To. 2. & *eas multum diſcrepare à vena & ſtylo* Aug. [l] affirmant; vſque adeo, vt *docti plerique cenſeant eas exercendi ſtyli gratia confictas eſſe, ſub nomine Auguſtini & Bonifacij.*

l Cenſ. to. 2.

Auguſtini Epiſtola ad Cyrillum de vita & geſtis B. Hieronymi, citatur à [m] *Bunderio*, pro inuocatione ſanctorum, & à [n] *Pereſio*, pro delectu ciborum.

m Cópend. Theol. Tit. 23. art. 5.
n De Tradit. part. 3.

Epiſtola S. Auguſtini ad Cyrillum de obitu S. Hieronymi, ſine dubio falſa, & ſuppoſititia eſt, inquit [o] Bellarminus.

o Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an 390. obſeruat. in 9. to. Hieron.

Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi ſcriptum ad Cyrillum de magnificentijs B. Hieron. non eſſe Auguſtini, obſeruauit ante omnes recentiores D. Antoninus inſignis canoniſta, inquit [p] Scultingus.

p Cenſ. in confeſ. Hieronymiana.

Epiſtola Auguſtini ad Cyrillum, non poteſt eſſe Auguſtini, inquit [q] Poſſeuinus. q Appar. Aug.

Quid dicendum de Epiſtola Auguſtini nomine ad eundem Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopum, inquit [r] Baronius? *Quoties author cogit ipſum loqui mendacia, vt cum præter Latinam linguam, quinque alias Hieronymum calluiſſe dicitur, nempe Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Perſarum atque Medorum: cum id penitus contrarium ſit hijs quæ de ſe ipſe Hieronymus, & de eodem Auguſtinus verè teſtantur, nimirum non niſi trium linguarum ipſum habuiſſe peritiam, viz. Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ? Quid eſt etiam quod idem pius efficτor tribuit Hieronymo inter alia inſignia etiam virginitatis coronam, cum ipſemet S. Hieronymus ingenue fateatur ſe minimè virginem? — Quid alia plura ibidem aſſerta opus eſt confutare mendacia?* r Annal. to. 5. ad an. 420. nu. 46.

Impoſtor indoctus fuit quiſquis Epiſtolas de obitu Hieronymi confinxit ſub nominibus Auguſtini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Auguſtinum, inquiunt [ſ] Louanienſes. ſ Cenſura to. 2.

Auguſtinus de Mirabilibus ſacræ ſcripturæ, citatur à *Turriano*, vt probet: [t] *Enoch* adhuc in viuis eſſe: &, [u] vnumquemque recipere Spiritum ſanctum in baptiſmo. Citatur ab [x] *Hoſio*, vt probet: Eſdram reſtituiſſe libros Legis. t Confeſ. Aug. lib. 4. c. 10. ſect. 6. u Lib. 3. c. 2. ſect. 4. x Confeſſ. Petrikou. c 80.

Etſi hoc opus ponitur inter libros D. Auguſtini, & ſub eius nomine citatur à multis, non eſſe tamen Auguſtini apud doctos viros, & minime dubijs conſtat argumentis, inquit [y] Pererius. y Lib. 1. comm. in Dan.

Liber de Mirabilibus ſacræ Scripturæ, non ſine cauſa non inuenitur in Retractationibus, neque in Indiculo Poſſidij, quoniam liber eſt indignus ingenio, & grauitate Sancti Auguſtini, quem etiam non magnifecit, & Sācti Auguſtini eſſe negauit S. Thomas, 3. p. q. 45. Art. 3. ad 2. inquit [z] Bellarminus. z Lib. de ſcript. Eccl. ad An. 420.

Louanienſes reiecerunt in Appendicem To. 3. *vt nec ſtylo, nec ingenio Auguſtinum referentem.* Ac manifeſtum eſſe dicunt, ex lib. 2. c. 4. *Authorem vixiſſe poſt An. 600.*

Poſſeuinus, in Apparatu, *Lenſæus* lib. 1. de Purg. cap. 11. & *Mendoza* controu. Theologic. quæſt. 5. *Eraſmus* in cenſura, reijciunt penitus hunc librum.

Auguſtinus de ſpiritu & anima, citatur à [a] *Turriano*, vt probet: Sanctos in cœlo audire preces viuentiū. Citatur à [b] *Colonienſibus*, pro Inuocatione Sanctorum. Atque ad erigendum a Confeſſ. Auguſtini l. 4. c. 2. ſect. 2. b In cenſura, dial. 6.

dum Lectorum animos vt magis ſeriò ad locum citatum attenderent, *Audi illud inexpugnabile fidei Chriſtianæ propugnaculum Auguſtinum,* [c] inquiunt illi.

c Ibid.

Auguſtinum hîc nullus audit, ſiquidem hic liber reijcitur, vtpote alterius, non ipſius *Auguſtini*, communi Papiſtarum ſententia.

Ego in hoc opere quoſdam Tractatus non abſque conſilio omiſi, qui à pleriſque B. Auguſtino aſcribuntur, è quibus eſt liber de ſpiritu & Anima, in cuius cap. 37. Boetius allegatur, qui longo tempore poſt Auguſtinum natus eſt, inquit [d] Trithemius.

d De ſcrip. Eccleſ.

Non eſt hic liber Auguſtini, ſed cuiuſdam multo recentioris, nam cap. 7. citat Boetium, & cap. 48. habet ex Gennadio de Eccleſ. dogmatibus permulta caute legenda, inquiunt [e] Theologi Louanienſes.

e Cenſ. in To. 3.

Hic liber de Spiritu & Anima, non eſt Auguſtini, ſed alterius nec tam docti, nec tam antiqui, &c. inquit [f] Martinus Delrius, ſubijciens eodem loco: *Vincentius Bellouacenſis, ac Trithemius, Hugoni Victorino, nonnulli Etheriano aſcribunt.* Et [g] alibi: *Liber ille non eſt Auguſtini, nec etiam D. Gregorij, cui tribuit Iohannes Beetſius Carmelita, ſed Hugonis Victorini, vel Hugonis Etheriani*; inquit idem.

f Diſquiſi. Mag. l. 5. ſect. 26.

g Lib. 2. q. 16.

Hic liber eſt Apocryphus, cum Author eius ignoretur, & ſunt ibi multa, vel falsò, vel improprie dicta, &c. dicitur eſſe cuiuſdam Ciſtertienſis, nec eſt multum curandum de his quæ in eo dicuntur, inquit [h] Thomus Aquinas,

h De ſpiritu creatura q. 11. ad 2. & de Anima q. 9. ad 1. q. 12. ad 1. q. 77. Art. 8. 1.

Liber de Spiritu & Anima, non eſt S. Auguſtini, ſed alicuius multo recentioris, cum cap. 7. citet Boetium, qui fere 100. *annis fuit Auguſtino poſterior: & cap.* 48. *multa proferat ex lib. de Eccleſ. dogmatibus,* inquit [i] Bellarminus.

i Lib. de ſcript. Eccl. ad ann. 420.

Auguſtinus de benedictionibus Patriarcharum, citatur à [k] *Turriano*, vt probet: Antichriſtum vnum aliquem particularem hominem futurum.

k Confeſſ. Auguſtin. lib. 4. c. 10 ſect. 1.

[l] *Louanienſes Theologi* reiecerunt hunc librum in *Appendicem* To. 3. reiecit etiam vt alterius fœtum, *Eraſmus*. Imò & *Bellarminus*. Nam *ſtudioſus aliquis deſumpſit hoc ex libro quæſtionum Hieronymi in Geneſin, omiſſis aut immutatis aliquot verbis, quomodo ſolet Beda*, inquit [m] Eraſmus. Et, *Liber de Benedictionibus Patriarcharum excerptus videtur ex quæſtionibus*

l Cenſ. in To. 3.

m Cenſ. in hunc lib.

onibus Hebraicis Sancti Hieronymi, inquit [n] Bellarminus.

Auguſtinus de Eccleſ. dogmatibus, citatur à [o] *Colonienſibus*, pro Exorciſmis & exufflationibus: ab [p] *Alano* & [q] *Anglo-Rhem.* pro Auriculari confeſſione: à [r] *Piſano*, pro abſtinentia à carnibus.

De Authore huius operis dubitarunt multi ſuperioribus ſeculis, & adhuc ſub Iudice lis eſt. A Trithemio aſcribitur Alcuino, ab alijs Iſiodoro; ſed plures, & maioris authoritatis, Gennadio tribuunt, vt Walafridus Strabo de re Eccleſ.c. 20. *Petrus Lombardus Sentent.* 2.*diſt.*8. *Thomas Quodlibet.* 12. *Art.*10. *Platina in Symacho, & alij*, inquiunt cenſores Gregoriani. Sed Auguſtini non eſſe, hoc certum.

Liber de Eccleſ. dogmatibus perperam Auguſtino inſcribitur, inquit [t] Sixtus Senenſis.

Nego illud opus eſſe Auguſtini, prout multi ante me hoc negauerunt, inquit [u] Alfonſus de Caſtro.

Liber de Eccleſ. dogmatibus multorum doctiſſimorum virorum iudicio, ex Auguſtini officina non prodijt. inquit [x] Madridius.

Liber de Eccleſ. dogmat. non videtur eſſe S. Auguſtini, cum præcipue conſtet ex ſententijs Concilij Arauſicani, & ſummorum Pontificum, Innocentij, Zoſimi, Cœleſtini, & maxima ex parte ex operibus S. Auguſtini. Nam Concilium Arauſicanum, & Epiſtolam Cœleſtini ſcripta eſſe conſtat, poſt obitum S. Auguſtini, inquit [y] Bellarminus.

[z] *Baronius* quidem certum eſſe dicit, *hoc opus eſſe Gennadij*. Attamen reijcitur à [a] *Louanienſibus*, in Appendicem To. 3. cum hac infamiæ nota, *Non eſt Catholici ſcriptoris*. Atque ad cap. 21. eiuſdem libri obſeruant ijdem *Louanienſes, ea quæ ſequuntur à medio capitis* 21. *vſque ad* 52. *non eſſe Gennadij, ſed ab erudito quodam recentiore ſcriptore hoc loco eſſe interiecta. Vnde factum eſt vt in manuſcriptis codicibus non inueniantur.*

Auguſtinus de fide ad Petrum, citatur [b] ab Anglo-Rhem. vt probent: damnatos eſſe qui vxores duxerint poſt votum Continentiæ: Et à [c] *Duranto*, pto ſacrificio Miſſæ.

Hunc librum non eſſe Auguſtini, in primis arguit ipſa phraſis, primùm

n Lib de ſcript. Eccleſ. ad an. 422.
o Antididagma Col.fol.53.
p De confeſſ.c 1.
q Annot.in 1.Cor. 11.28.
r De Abſtinentia c.9.
ſ Not.in diſt.33. c.1.
t Bibl.ſanct.l.
u Adu.hær.baptiſmus, hær.10.
x De frequenti com.p.270.
y De ſcript.Eccleſ. ad Ad.420.
z Annal. To. 6. ad An.490.nu.46.
a Cenſ.Append To.3.
b Annot.in 1.Cor. 7.9.
c De ritibus Eccl. l.2.c.41.nu.14.

primùm abiectior, quàm eſt illius: ad hæc, impurior, &c, inquit [d] Eraſmus.

d Cenſura in hunc lib.

Authorem illius libri fuiſſe Auguſtinum, negamus, inquit [e] Azorius.

e To.1.Inſtit. Moral.l.4 c.33.

Negari poteſt librum illum eſſe Auguſtini propter ſtyli diſſonantiam, & quia de eo in libro Retractationum non meminit, inquit [f] Salmeron.

f Diſput. 48. in Epiſt.Pauli.

Liber de fide ad Petrum non videtur eſſe S. Auguſtini, cum non fiat eius mentio, nec in Retractationibus, nec in Indiculo, inquit [g] Bellarminus.

g De ſcript. Eccl. ad ann.420.

A *Louanienſibus* reijcitur in *Appendicem* To. 3. Et *malè creditum S. Auguſtini eſſe*, inquit [h] Bellarminus.

h To.6. Annal. ad An.517.nu.66.

Auguſtinus de Bono viduitatis, citatur ab [i] *Hoſio Cardinale*, vt probet: eos mœchari, qui poſt votum Continentiæ vxores ducunt.

i Confeſſ.Petrikou.c.26.

[k] *Pamelius*, cum citat hunc libellum, ſub hac forma citat, *Author Opuſculi de bono viduitatis inter lucubrationes D. Auguſtini*: quod ſatis arguit *Pamelium* non putaſſe *hunc librum Auguſtini* eſſe. Sed confidentius loquitur [l] *Eraſmus*, Nam: *Mira dictionis facilitas & candor, clamitat non eſſe Auguſtini*, inquit ille. Cuius cenſura, licet improbetur à [m] *Bellarmino*, approbari videtur ab ipſo [n] *Hoſio*, quia *locus quidam in eo, palam videtur aduerſari ſententiæ Auguſtini*, niſi fallatur *Hoſius*: Imo & Lindanus, apud quem ſic [o] legimus, *Viduæ poſt votum caſtitatis adulteræ ſunt ſi nubant, ſic Apoſtolus* 1. *Tim*. 5. *huic interpretationi ſubſcripſit D. Auguſtinus ſenex. Vnde mihi, præter alia non minimi ſane momenti, argumentum eſt, librum qui eius nomine, Bonum viduæ inſcribitur, non eſſe Auguſtinianum.*

k Annot.in Tertul. adu.Hermog. c.1. nu 7.
l Cenſura in hunc lib.
m De ſcript. Eccleſ.ad An.420.
n Loco citato.
o Panopl.l.4.c.98.

Auguſtini lib. 83.quæſt. citatur à [p] *Bellarmino*, vt probet: quædam peccata eſſe venialia, & à [q] *Tallepiedo*, pro libero arbitrio.

p Lib. 1. de Purg. c.7.
q Collat.4. doctorum.

Hoc opus mihi videtur à ſtudioſo quopiam ex omnibus Auguſtini libris collectum, inquit [r] Eraſmus.

r Cenſura in hunc lib.

Auguſtini lib. quæſtionum 65. citatur à [ſ] *Turriano*, pro reali Chriſti in ſacram. præſentia: Et, pro Cruce in baptiſmo.

ſ Auguſt.confeſſio l.3.c.6.ſect. 1.& l. 3. c.4.ſect.3.

Hic liber, non eſt Auguſtini, vt eruditi fatentur, inquit [t] Bellarminus:

t Lib.2. de Miſſa c.12.

larminus: & alibi, *Liber Sexaginta quinque quæſtionum non videtur eſſe S. Auguſtini, non ſolum quia non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo: ſed etiam quia nihil habet graue, & dignum Auguſtino,* inquit [u] idem. u Lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 420.

Qui plura volet, legat cenſuram *Eraſmi* in hunc librum: Et *Theologorum Louanienſium* in Appendice To. 4. vbi dicunt, *Authorem non tantum inepte loqui, ſed etiam ipſum citare Auguſtinum.*

Auguſtini lib. viginti vnius ſententiarum, citatur à [x] *Torrenſi*, pro ſigno crucis in fronte. x Confeſſ. Aug. l. 4. c. 9. ſect. 5.

Louanienſes reiecerunt hunc librum in appendicem To. 4. dicentes: *Conſtare, à ſtudioſo quopiam ex varijs authoribus nullo ordine congeſtum.* Idem etiam dicit [y] *Eraſmus*. Nec multo ſecus *Bellarminus*; Nam, *Liber Sententiarum viginti vnius, non videtur eſſe S. Auguſtini, non ſolum quia non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo: Sed etiam quia nihil habet graue & dignum Auguſtino,* inquit [z] ille. y Cenſura in hunc lib. z Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 420.

Auguſtinus de quæſt. vet. & noui Teſt. citatur à [a] *Turriano*, pro veſtitu ſacerdotali; à [b] *Copo*, [c] *Anglo-Rhem.* & alijs, pro primatu Petri: à *Copo*, & [e] *Eckio*, pro cœlibatu ſacerdotum. a Confeſſ. Aug. l. 4. c. 9. ſect. 11. b Dial. 1. c. 13. c Annot. in Math. 17. 27. d Dial. 1. c. 14. e Enchirid. c. 19.

Liber Quæſt. vet. & noui Teſtamenti non eſt Auguſtini, vt in Titulo eius libri ſcribitur, neque hominis Catholici, inquit [f] Bellarminus. *Nam is author in quæſt. 123. diſertis verbis refellit eos, qui dicunt Adamum accepiſſe Spiritum ſanctum, & filium Dei fuiſſe per adoptionem, & eam adoptionem per ipſius Adami inobedientiam perditam, nos per Chriſti obedientiam, ac merita recuperare. Quæ ſententia non eſt, vt author ille dicit, Patrum quorundam ſimplicium, ſed Patrum doctiſſimorum, tum Græcorum, tum Latinorum, & ex Apoſtolo ſatis aperte colligitur. Neque in hac re ſolum author ille erraſſe conuincitur, ſed in alijs etiam plurimis. Siquidem q. 2. ſcribit, mundum à Deo conditum ob diaboli præſumptionem. q. 21. ſcribit, fœminam non eſſe creatam ad imaginem Dei. q. 43. ſcribit, Iephe nullum habere iuſtitiæ teſtimonium, cum tamen habeat tam præclarum apud Apoſtolum ad Hebræos 11. q. 109. ſcribit, Melchiſedek eſſe Spiritum ſanctum, & Sacerdotem, non tamen ſummum. Quam ſententiam reprehendit S. Hieronymus, admonens authorem eius operis, in quo aſſeritur Melchiſedek eſſe Spiritum ſanctum, eſſe* f Lib. de gratia primi hominis c. 3

imperitum ſcientia,& ſermone,&c. Hæc ille, obſeruans [g] alibi, eundem librum *non eſſe Auguſtini, ſed alicuius hæretici, qui multa docet, & contra fidem, & contra Auguſtinum.*

[g] Lib.2.de effectu ſacram c.10.de lib de ſcript.Eccleſ. ad an.420.& l.1. de Miſſa c.6.

Inter opera quæ Auguſtini nomine circumferuntur, nihil eſt quod magis ab Auguſtini libris alienum eſſe iudicatur, quam veteris & noui Teſtamenti quæſtiones, in quibus multa abſurda, ac tanto viro indigna videre licet, inquit [h] Angelus Roccha.

[h] Epit.Bibl.Theolog.& ſcript.p.32.

Ad eundem modum loquuntur alij, viz. Eſpencæus Comment. in 2. Tim. c. 2 de Chriſto mediatore. Theologi Louan. Cenſ in To. 4. Auguſtini. Alfonſ. de Caſtro adu hær. lib, 10. Melchiſedek Maldonatus Comment. in Ioh. 8. 44. Salmeron Comment. in Epiſtolas Pauli, diſput. 19. Azorius Inſtit. Moral. To. 1. lib. 4. c. 30. Lenſæus de Purgat lib. 1. c. 11. Veloſillus Aduertent in To. 4. Auguſtini, ad quæſitū 16. Pererius Comment. in Rom. 3. diſput. 6. & ipſe *Hardingus* noſtras. Nam *Author harum quæſtionum non eſt Auguſtinus; Opus eſt indignum Auguſtino*, inquit ille, de ſacrificio Miſſæ ſect. 13. fol. 210.

Atque hîc mihi paucis conuenienda eſt *conſcientia* veſtra, viri Pontificij, ac veſtra præſertim, *Turriane, Hardinge, Bellarmine*. Quæro à te *Turriane*, cur [i] ſcripſeris: *Eſto, non ſint Auguſtini libri omnes qui Auguſtini nomen habent inſcriptum: at certe quidem æqualium D. Auguſtini pleraque ſunt, doctorum iuxta ac priorum hominum plane omnia:* cum conſtet ex hoc ipſo libro, authorem fuiſſe *hæreticum*: & ex confeſſione fratrum tuorum, *miſellum* & *blaſphemum*? Quæro à te *Hardinge*, quo vultu has quæſtionis citaris ſub Auguſtini nomine, pro primatu Pontificis tui: quas alibi faſſus es, non eſſe *Auguſtini*? Quæro etiam à te *Bellarmine*, quo ore, Authorem harum quæſtionum [k] enumeras inter 24. *Patres*, quos comparas 24. *ſenioribus in Apocalypſi*, dum pro Pontifice tuo pugnas: cum alibi tam aperte ſcripſeris, Nec *Auguſtinum, nec aliquem Catholicum, ſed hæreticum fuiſſe harum quæſtionum authorem*? Annon hic verè dicere poſſim, *Frons meretricis facta eſt vobis?*

[i] Præfat. confeſ. Auguſtini.

[k] Lib.1. de Rom. Pont. c.25.

Auguſtinus de vera & falſa Pœnitentia, citatur à [l] Catech. Trident. pro Auriculari confeſſione: ab [m] *Alano*, & alijs, pro Purgatorio. Atque *Alanus*, citari ab eo [n] dicit, *vt mundus intelligat*

[l] Fol.320.
[m] Defenſ. Purgat. c.12.
[n] Ibid.

intelligat quam inique ſe gerant aduerſarij, qui non erubeſcunt aſſerere, Auguſtinum quandoque negaſſe Purgatorium, quandoque de eo dubitaſſe.

Ex citatione huius libri ſub nomine *Auguſtini*, *mundus* intelligere poteſt impudentiam *Alani*: qui iterum atque iterum obtrudit ſub nomine *Auguſtini*, quem ſpurium & ſuppoſititium eſſe conſtat.

Caput 17. refert ſententiam Auguſtini, & ab ea diſſentit. Id ſi non eſſet, tamen tot vndique ſunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non eſſe Auguſtini, vt abunde ſit monuiſſe lectorem.— Et tamen totus fere hic liber tranſcriptus eſt in decreta, & ſententias, vt hinc liqueat, quanto plus fuerit in colligendo ſtudij quam iudicij, inquit [o] Eraſmus. o Cenſ. in hunc lib.

[p] *Banderius* (ſcio) dicit *hanc rationem frigere, neque ſatis ponderis habere, ad probandum librum eſſe ſuppoſititium.* At ſecus viſum eſt Theologis *Louanienſibus*, Abbati Trithemio, Bellarmino, Poſſeuino, & alijs. Nam, p Cõpend. Theol. Tit. 18. art. 5.

Non eſt Auguſtini, vt conſtat tum ex alijs, tum ex eo quod author cap. 17. referat Auguſtini ſententiam ex homilia 41. homiliarum 50. & ab ea diſſentit, inquiunt [q] Louanienſes. q Cenſ. in Appendi. to 4.

Ego in hoc opere non abſque conſilio omiſi quoſdam Tractatus qui à pleriſque B. Auguſtino tribuuntur. è quibus eſt liber de vera & falſa pœnitentia quoniam cap. 17. Auguſtinus ipſe allegatur, inquit [r] Trithemius. r De ſcript. Eccleſ.

Liber de vera & falſa pœnitentia non eſt Auguſtini; nam prӕterquam quòd non ſit eius mentio in Retractat. nec in Indiculo, cap. 17. hic author adducit ſententiam quandam S. Auguſtini, & ab ea diſſentit, inquit [ſ] Bellarminus, quem ſequitur Poſſeuinus in Apparat. verbo, Aurelius Auguſtinus: Angelus Roccha in lib. ſupra citato, pag. 51: Et Lopez. in Prologo Epitomes ſanct. Pat. To. 1. ſ Lib. de Eccleſ. ſcript. ad an. 420.

Quo magis miror quid venerit in mentem *Martino Nauarro*, apud [t] quem legimus: *Liber de vera & falſa pœnitentia nonnullis male videtur non eſſe Auguſtini; prudentius & moderatius eſt putare, illam partem, qua citatur Auguſtinus, fuiſſe notatiunculam alicuius viri docti prius in margine adſcriptam, & deinde contextui à librarijs inſertam: quàm ob eam negare Auguſtini eſſe librum optimum, tot ſeculis ei tributum.* t To. 1. comment. in diſt. 5. de Pœnitentia.

Nam & Ieſuitas inſimulare videtur impudentiæ, & ſeipſum hæreſeos ſuſpectum reddere, quia ſi [u] *Gretſero* credimus, *Hæ ſunt partes hæreticorum: ſi quo loco alicuius authoris ſe premi vident, dicere, locum illum eſſe aſſutum ex margine libri in contextum irrepſiſſe.*

u Lib.2.c.6. de iure & more prohibendi lib. malos.

Auguſtinus de ſalutaribus documentis, citatur à [x] *Garetio*, pro reali præſentia: Et à [y] *Tallepiedo*, pro Auriculari confeſſione.

x Vniuerſ.& Cathol.Eccl.confeſ.
y Collat.4.doctorũ

Apparet hominem fuiſſe pium, qui ſcripſit hunc libellum, ſed abſque literis, nam ſermo nec purus eſt, nec cohæret alicubi. Auguſtino tribuere, ſummæ eſt impudentiæ, inquit [a] Eraſmus.

a Cenſ.in hunc lib.

Liber qui inſcriptus eſt, de ſalutaribus documentis, neque eſt Auguſtini, neque eo dignus, inquit [b] Lenſæus.

b De Purgat.c.12.

Liber de ſalutaribus documentis non videtur eſſe S. Auguſtini, tum quia eius non facit mentionem Poſſidius in Indiculo, tum quia ſtylus humilior eſt, & oratio ipſa magis ieiuna, quam ſoleat S. Auguſtini, inquit [c] Bellarminus.

c Lib. de ſcript. Eccleſ.

Eodem ſunt iudicio Theologi Louanienſes Cenſura in To.4. Auguſtini: Poſſeuinus in Apparat. verbo, Aurelius Auguſtinus. Et Angelus Rocca lib. ſupra citato.

Auguſtinus de continentia, citatur ab [d] *Anglo-Rhem.* & [e] *Maldonato*, vt probent: continentiam dari à Deo omnibus eam petentibus. Citatur à [f] *Bellarmino*, vt probet, Concupiſcentiam non eſſe proprie peccatum.

d Annot.in 1.Cor. 7.
e Comment. in Math.19.11.
f De Amiſſ. gratiæ, l.5.c.8.

Auguſtini non eſſe phraſis arguit. Mihi videtur Hugonis Victorini, inquit [g] Eraſmus. *A nonnullis creditur Hugonis Victorini*, inquit [h] Angelus Rocca.

g Cenſ. in hunc lib.
h Epit Bibl. p 41.

Auguſtinus de Patientia, citatur à [i] *Parſonio*, vt probet: Martyrium prodeſſe hæretico ad tolerabiliorem damnationem; Et à [k] *Colonienſibus*, vt probent: Opera infidelium non eſſe peccata.

i Conuerſ. Ang. part. 3. p.13.
k Dial.2.

Auguſtini non eſſe phraſis arguit, inquit [l] Eraſmus, *Aliqui approprïant Cypriano, ex ignorantia tamen, quia multum in ſtylo à Cypriani libro differt*, ait [m] Angelus Rocca.

l Cenſ.in hunc lib.
m Lib.ſupra citat.

Concio ad Catechumenos To.6. citatur à [n] *Turriano*, vt probet: Eccleſiam non poſſe errare.

n Confeſ.Auguſtini l.1.c.6.ſect.12.

Concio ad Catechumenos, Auguſtini non eſſe videtur Iohanni à Louanio, inquit [o] Poſſeuinus. Et quidem, *Hic tractatus idem*

o Apparat. verbo, Aurelius Auguſtinus.

idem eſt cum ſer. 4. de tempore in editione Veneta, ann. 1603.

Auguſtinus de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ, citatur à [p] *Turriano*, pro virtute crucis.

Hic liber citatur à *Garetio, de veritate corporis Chriſti in ſacramento*, fol. 186. *inter authores ignotos.*

Non ſapit Auguſtini phraſin, nec ab aliquo bono authore teſtimonium habet, inquiunt [q] Louanienſes.

Nihil habet phraſeos Auguſtinianæ. Videtur Aulicus, aut Iureconſultus quiſquam fuiſſe, inquit [r] Eraſmus.

Liber de Altercatione Eccleſiæ & Synagogæ non videtur Auguſtini, cum nec ſit in Retractationibus, nec in Indiculo, nec ab vllo bono authore teſtimonium habeat, neque phraſin S. Auguſtini ſapiat, inquit [ſ] Bellarminus.

Auguſtinus contra Fœlicianum Arianum, citatur à [t] *Briſtoo*, pro Limbo Patrum.

Non eſt probabile hunc Dialogum eſſe Auguſtini, &c. eruditus aliquis exercendi ingenij gratia finxit, inquit [u] Eraſmus.

Auguſtinus de Epicureis & Stoicis citatur à [x] Caniſio, pro meritis operum. *Tractatus non omnino malus, ſed aut nihil aut quam minimum habens Auguſtini*, inquit [y] Eraſmus. Vide Poſſeuinum in Apparatu, Auguſtinus.

Auguſtini liber qui inſcribitur *Hypognoſticon*, citatur à [z] *Biſhopo*, pro meritis operum: à [a] *Stapletono*, pro libero arbitrio: à [b] *Bellarmino*, pro exufflatione in baptiſmo.

Hic liber reijcitur à *Louanienſibus* in *Appendicem* To. 7. quia iudicarunt eſſe incerti authoris. Non eſſe Auguſtini cenſet [c] *Eraſmus*, quia *cum ſit iuſti voluminis, non enumeratur in Retractationibus, & quia titulus eſt inſolens* ὑπογνωστικῶν, *quaſi dicas Subnotationum, neque enim ſolet ille titulos Græcos indere ſuis libris.*

Eraſmo conſentiunt alij ex Pontificijs. Nam *non cenſetur Auguſtini, qui titulos Græcos ſuis libris indere non ſolet, nec ſtylus per omnia congruit, &c.* inquit [d] Angelus Rocca.

Libri qui inſcribuntur Hypognoſticon, phraſin non habent Auguſtini, neque à Poſſidio, vel Beda, vel alio vetere citantur ſub nomine Auguſtini, inquit [e] Bellarminus.

Certè Hypognoſticon, non eſt Auguſtini, ſed alterius, eiuſdem-

p Confeſ. Auguſtini l.4.c.9.

q Cenſ. in to. 9.

r Cenſ. in hunc lib.

ſ Lib. de ſcript. Eccl. ad an. 420.

t Replica ad Fulconem part. 2. c. 9.

u Cenſ. in hunc lib

x Catech. de fructu Iuſtif. c. 20.

y Cenſ. in hunc lib.

z Contra Perkinſum fol. 68.

a Triplicat. p. 296.

b Lib. 1. de bapt. c. 25.

c Cenſura in hunc lib.

d Lib. ſupra citato.

e Lib. de ſcript. Eccleſ.

que Pelagiani, inquit *Andreas du Valij* doctor Sorbonicus, Notis in lib. Eccleſiæ Lugdunenſis, quæ habentur in To. 2. Auctuarij ad edit. 3. Bibl. vet. Patrum, vbi plura reperiet Lector, præſertim pag. 1150. & 1194. & 1297.

f Contra Riderum p. 285.

Auguſtinus contra Fulgentium Donatiſtam citatur à [f] *Fitzimon* contra *Riderum*, vt probet: Impios comedere corpus Chriſti.

g Cenſ. To. 7.

h Lib. de ſcript. Eccleſ.

Hic liber incerti authoris eſt, inquiunt [g] Louanienſes. Atque ſanè, eius mentio non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo, teſte [h] Bellarmino.

i Confeſſ. Auguſtin. l. 2. c. 3.

Auguſtinus de Prædeſtinatione & gratia, citatur à [i] Torrenſi, pro libero arbitrio.

Hic liber reijcitur à *Louanienſibus* in *Appendicem* partis poſterioris To. 7. & dicitur, eſſe ſuſpecti authoris.

Liber de Prædeſtinatione & gratia non videtur eſſe Auguſtini. Nam diſcrepat à phraſi, & à doctrina Auguſtini: ſiquidem cap. 16. dicit hic author, hominem potuiſſe iuſtè à Deo damnari, etiamſi non peccaſſet: contrarium docet S. Auguſtinus in Epiſtola 105. *&* 106. *& lib.* 2. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.* 16. *& alib. Deinde nulla erat ratio cur hunc librum ſcriberet, qui tam copioſe ſcripſerat de Prædeſtinatione ſanctorum. Denique liber hic, neque à Poſſidonio, neque à Beda, neque ab alio veteri teſtimonium habet*, inquit [k] Bellarminus.

k Lib. de ſcript. Eccleſ.

Qui volet plura, Poſſeuinum conſulat in Apparat. Auguſtinus: & Bellarminum lib. 2. cap. 14. de gratia & libero arbitrio,

l Comment. in 1. Tim. 2. diſput. 7.

m Petitione ad Regem, p. 26.

n To. 1. l. 5. de ſanctis, Art. 8.

Auguſtini Meditat. lib. citatur à [l] *Salmerone* pro Inuocatione ſanctorum in genere: ab [m] *Anglo-ſacrificulis*, pro Inuocatione Virginis Mariæ in ſpecie: à [n] *Coccio*, quo probet: ſanctos abſentia cognoſcere, & vota noſtra percipere.

Hic liber filius eſt populi. Garetius de veritate corporis Chriſti, citat *inter Authores ignotos.*

o Cenſ. in Append. To. 9.

[o] Louanienſis dicunt *Authorem huius libri vel fuiſſe Auguſtinum, vel qui eius libros non indiligenter legit. Auguſtinum fuiſſe authorem nec aſſeuerare, nec inficiari*, audet [p] Eraſmus. Nec *Bellarminus* quidem. Nam hic vnus eſt ex ijs libris To. 9. Auguſtini, de quibus [q] Bellarminus profitetur ſe, *nihil certi habere.* Videtur tamen non eſſe Auguſtini. Quia cap.

p Cenſ. in hunc lib.

q De ſcript. Eccleſ. obſeruat. 3. in To. 9. Aug.

cap. 26. habetur hymnus Rythmicus de gaudijs Paradiſi, in hæc verba:

Ad perennis vitæ fontem mens ſitiuit arida,
Clauſtra carnis, præſto frangi, clauſa quærit anima,
Gliſcit, ambit, eluctatur, exul frui patria, &c.

Nam hoc genus Rythmi, Scholaſticorum potius, quam antiquorum Patrum, inuentum exiſtimandum eſt. Quod ex [r] *Sixto Senenſi* poteſt colligi, cuius verba hæc ſunt. *Scholaſtici cum deſiderarent homines ſui ſeculi Rythmis deditos ad ſtudia ſacrarum literarum allicere, arrepta hinc occaſione, excogitauerunt & ipſi nouam metricæ artis rationem, quæ ab omnibus eruditis contemnebatur, & prorſus explodebatur, tanquam inepta, ſuperſtitioſa, & riſu digna.* r Bibl. lib. 3.

Auguſtini Manuale, citatur ab [ſ] *Hardingo*, pro Miſſæ ſacrificio: Et à [t] *Gretſero*, vt probet: militem illum qui latus Christi lancea aperuit, fuiſſe *Longinum.* ſ Replica. pro Miſſa p. 121. t De cruce l. 1. c. 33.

Hic liber vnus eſt ex ijs, de quibus [u] *Bellarminus* ait, *ſe nihil certi habere.* Verùm *Theologi Louanienſes* reiecerunt in *Appendicem* To. 9. *in qua continentur ea, quæ conſtat non eſſe Auguſtini.* Et hanc de eo cenſuram tulit [p] Eraſmus: u Loco. proxime citato. p Cenſ. in hunc lib.

Hic liber conſarcinatus eſt ex libris Meditationum & Soliloquiorum, per quempiam nec eruditione, nec eloquentia praeditum. Proinde non video cur admodum lectu dignus videatur: cap. 26. ponit in poteſtate hominis, vt promereatur regnum cœlorum, quam ſententiam vbique deteſtatur Auguſtinus.

Auguſtini liber Soliloquiorum, citatur, ab [q] *Anglo-Duacenſibus*, pro Inuocatione ſanctorum. q Annot. in Gen. 48. 15.

Hic liber vnus eſt ex ijs, de quibus [r] *Bellar.* ait *ſe nihil certi habere.* Hic liber reijcitur in *Appendicem* à [ſ] *Louanienſibus.* r Loco citato. ſ To. 9. Auguſt.

Auguſtini Explicatio Apoc citatur à [t] *Turriano*, vt probet: Eliam temporibus Antichriſti prædicaturum: ab [u] *Anglo-Duacenſibus*, vt probent: Eliam in viuis eſſe, t Confeſſ. Auguſtin. l. 4. c. 10. u Annot. in verbo, Teſtam. p. 762.

Hæc Explicatio non videtur Auguſtini, inquit [x] Eraſmus. Hæc Explicatio reijcitur in *Appendicem* à *Louanienſibus*. *Liber Explicationis Apocalypſis manifeſte ſuppoſititius eſt, quoniam exponit cap. 21. de ſtatu præſentis Eccleſiæ, quod impudentiæ nimiæ eſſe dicit S. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate Dei cap.* x Cenſ. in hunc lib.

12. inquit *Bellarminus*, tum. lib. 3. de cultu ſanctorum cap. 4. tum lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 420. obſeruat. 2. in 9. To. Auguſtini. Tychonio Donatiſtæ * tribuit Franciſcus Ribera.

* Comment. in Zachar. c. 4. nu. 9.

Auguſtinus de Triplici habitaculo, citatur à [y] *Kelliſono*, vt probet: ſanctos cognoſcere cogitationes noſtras.

y Lib 3. c. 12. Nouæ Religionis.

Hic eſt vnus ex ijs, de quibus [z] *Bellarminus* ait, *ſe nihil certi habere.* Hunc *incerti authoris* eſſe, fatentur [a] Louanienſes. Pium quempiam at ocioſum conſarcinaſſe hunc librum, putat [b] Eraſmus. *A nonnullis S. Bernardo aſcribitur*, teſte Angelo [c] Rocca.

z Supra.
a Cenſ in Append. To. 9.
b Cenſ. in hunc lib.
c Lib. citato.

Auguſtini Scala Paradiſi, citatur à [d] Turriano, pro libero arbitrio.

d Confeſſ. Auguſtin. l. 2. c. 3.

Hic eſt vnus ex ijs de quibus *Bellarminus* * ait *ſe nihil certi habere*. Attamen Eraſmus, & Louanienſes certò ſtatuerunt non eſſe Auguſtini, ſic enim de eo [e] ſcripſerunt. *Hoc Opuſculum fertur inter ſcripta D. Bernardi, quanquam nec illius videtur eſſe, tantum abeſt vt ſit Auguſtini: neque enim vnquam Auguſtinus laborauit manibus, quod Monachorum eſt, qui tum fuerant Laici.*

* Lib. de Script. Eccleſ.
e Cenſuris in To. 9.

Auguſtinus de Cataclyſmo citatur à [f] Turriano, pro reali Chriſti in ſacramento præſentia.

f Confeſſ. Auguſtin. l. 3. c. 6.

De hoc, *nihil certi habet Bellarminus*. Verùm [g] Eraſmus ait, *nihil habere Auguſtini*, &, [h] Garetius citat inter *authores ignotos*.

g Cenſ. in hunc. lib.
h De veritate corp. Chriſti

Auguſtinus de vita Chriſtiana, citatur à [i] Torrenſi, vt probet: fideles in baptiſmo viſibili chriſmate inungendos eſſe.

i Confeſſ. Auguſt. l. 3. c. 4.

De hoc, * *nihil certi habet Bellarminus*. Verùm *Louanienſes* reiecerunt in *Appendicem* To. 9. Atque *hunc librum admonere non eſſe S. Auguſtini, non minus ſuperuacaneum eſt, quàm ſi quis admoneat Bubalum non eſſe equum*, inquit Eraſmus, cenſura in hunc librum.

* Lib. de Script. Eccleſ.

Auguſtinus de cognitione veræ vitæ citatur à [k] *Colonienſibus*, pro Inuocatione ſanctorum.

k Dial. 6.

Non eſt opus vt admoneam hoc opus non eſſe Auguſtini; ſtylum magis refert Iouinianum quempiam, vel febricitantem potius. Nam cap. 6. dicit Angelos omnia ſcire, & præſcire. Apparet eſſe progym-

pregymnaſma Monachi tironis Theologiæ, inquit [l] Eraſmus. [l Cenſ. in hunc lib.]

Hoc opus Auguſtini non eſſe, ſtylum, & alia quædam manifeſtare, dicunt [m] Louanienſes. De hoc, [*] *Nihil certi habet Bellarminus.* [m Cenſ. To. 9.] [* Lib. de ſcript. Eccleſ.]

Auguſtinus de Aſſumptione citatur à [n] *Stapletono*, pro Aſſumptione Virginis Mariæ. Atque *breuis & elegans* [o] *dicitur tractatus, licet Cenſor Eraſmus ſine vllo prorſus argumento aliter ſentiat.* [n Promptuar. Cathol. part. 2.] [o Ibid.]

Sentit reuera aliter *Eraſmus.* Nam [p] dicit *hunc Tractatum ne pilum quidem habere Auguſtini.* At non eſt ſolus in hac ſententia. Nam, *non eſt Auguſtini*, inquiunt [q] Louanienſes. *Liber eſt inter opera Auguſtini To. 9. de Aſſumptione B. Mariæ, ſed non reputo eſſe Auguſtini*, inquit [r] Ioh. Heſſels. De hoc, [*] *nihil certi habet Bellarminus.* [p Cenſ. in hunc lib.] [q Cenſ. in To. 9.] [r Notis in Vſuardi Martyrolog. c. 8.] [* Lib. de Script. Eccleſ.]

Auguſtinus de Obedientia & humilitate, citatur à [ſ] *Sedulio* in Apologia pro libro Conformitatum, pro voto obedientiæ. [ſ Lib. 2. c. 5.]

De hoc libro, [*] *nihil certi habet Bellarminus.* Sed, *Non eſt Auguſtini*, inquiunt [t] Louanienſes. Et, *Hic ſermo ne pilum quidem habet docti hominis, nedum Auguſtini*, inquit [u] Eraſmus. [* Lib. de Script. Eccleſ.] [t Loco citato.] [u Cenſ. in hunc lib.]

Auguſtinus de diligendo Deo, citatur à [x] *Turriano*, vt probet: Angelos offerre preces noſtras Deo. [x Confeſſ. Auguſt. l. 4. c. 2.]

De hoc libro, *nihil certi habet Bellarminus*, verùm *phraſin multum diſcrepare ab Auguſtiniana*, & Eraſmus, & Louanienſes [y] ſcribunt. [y Cenſuris.]

Auguſtinus de laudibus charitatis, citatur à [z] *Lombardo*, vt probet: charitatem eſſe cauſam fidei. [z Lib. 3. Sent. diſt. 23.]

Non eſt Auguſtini, inquit [a] Eraſmus. De hoc, *nihil certi* [*] habet Bellarminus. [a Cenſura in hunc lib.] [* Lib. de ſcript. Eccleſ.]

Auguſtinus de viſitatione infirmorum, citatur à [b] *Turriano*, pro cruce: ab [c] *Alano* pro Auriculari confeſſione: & vt diligentiùs attendamus, ſic inſcribit, *Sanctus ille Orthodoxæ fidei doctor Auguſtinus.* [b Confeſſ. Aug. l. 4. c. 9.] [c De confeſ. c. vlt.]

Licet Bellarminus in libro de ſcript. Eccleſ. nouiter impreſſo, dicat, de hoc libro ſe *nihil certi habere*: tamen lib. de extrema vnctione, cap. 4. fatebatur, *videri falsò tribui*

Auguſtino: nec mirum, cum in his libris, viz. lib. 2. cap. 3. *Imaginum cultus* probatur, qui in[d] genuinis Auguſtini operibus reprobatur.

d De Moribus Eccleſ. Cathol. c. 34.

[e] Eraſmus aſſerit, *Authorem fuiſſe loquuteleium, nec doctum, nec diſertum*; & ſtomachatur in eos, tanquam *nihil vel frontis, vel mentis habentes, qui talia ſcripta nobis obtruſerunt nomine Auguſtini*. Ipſi [f] Louanienſes, *non eſſe Auguſtini*, aiunt.

e Cenſura in hunc lib.

f Cenſ. to. 9.

Auguſtinus de Rectitudine Catholicæ conuerſationis, citatur in *Cenſura*[g] *Colon.* pro inuocatione ſanctorum: A *Rhemenſibus*, pro extrema vnctione.

g Dial. 6.

Reijcitur in *Appendicem* To. 9. à *Louanienſibus*, cum hac cenſura, *Non eſt Auguſtini*; &, *Non eſt Auguſtini*, ait [h] Eraſmus. De hoc, *nihil certi habet Bellarminus*. *Auguſtinus de Antichriſto*, citatur à [i] *Coccio*, vt probet, Antichriſtum naſciturum ex Tribu Dan, &c. & à [k] *Turriano*, vt probet: Antichriſtum vnum aliquem particularem hominem futurum.

h Cenſ. in hunc lib.

i To. 2. l. 10. de 4. nouiſſimis art. 3.

k Confeſ. Auguſt. l. 4. c. 10.

Tractatus iſte excuſus eſt etiam titulo Rabani Archiep. Moguntini, eiuſque eſſe agnoſcit Robertus Tuitienſis, à quo allegatur in 8. cap. Apoc. inquiunt [l] Louanienſes.

l Cenſ. to. 9.

Opuſculum de Antichriſto quod habetur ſub nomine Auguſtini in fine To. 9. probabile eſt eſſe Rabani; certe Auguſtini eſſe non poteſt, inquit Bellarminus, de Ro. Pont. lib. 3. cap. 12. & [m] alibi. *Liber de Antichriſto manifeſte ſuppoſititius eſt, nam mentionem facit imperij tranſlati à Græcis ad Francos: quod contigit 400. annis poſt Auguſtini tempora*, inquit idem.

m De ſcript. Eccleſ. ad an. 420.

Auguſtinus de vtilitate Pœnitentiæ, citatur à [n] *Turriano*, pro ſatisfactione.

n Confeſ. Auguſt. l. 3. c. 9.

Plurimum diſcrepat ab Auguſtino, inquit [o] Eraſmus. A Garetio, de corpore Chriſti, citatur *inter ignotos authores*. Eſt idem cum ſer. 27. homiliarum quinquaginta.

o Cenſ. in hunc lib.

Auguſtini præfatio in Ioh. citatur à [p] *Greg. de Valentia* lib. de indiſſolubili vinculo Matrimonij, vt probet: Chriſtum vocaſſe Ioh. Euangeliſtam ad perpetuam profeſſionem caſtitatis.

p Cap. 2.

Theologi Louanienſes, in Cenſ. To. 9. aiunt: *Præfationem in Euangelium Ioh. eſſe incerti authoris.* Et caſtigationibus & varijs Lection. ad To. 9. *Præfatio* (inquiunt) *quæ huic expoſitioni*

ſitioni (viz. in Ioh.) *in prioribus editionibus præmittebatur, nec Auguſtini eſt, nec in vllo erat manuſcripto codice. Res ipſa clamitat non eſſe Auguſtini,* inquit [q] Eraſmus.

[q] In fronte præfat.

Auguſtinus de verbis Domini, ſer. 28. citatur à [r] Bellarmino, & alijs, pro Tranſubſtantiatione.

[r] De Euch. lib. 3. c. 20.

Ex homilijs de verbis Domini ſubſequentes non numerantur in Indiculo Poſſidij, 3.4.18.19.20.22.25.28.29.34.37.58.41.47.49.50.52.54.56.57.58. *De quibus nihil certi habeo,* inquit [ſ] Poſſeuinus.

[ſ] Apparat. Auguſtinus.

Ser. 3. 14. 19. 20. 28. 52. 57. 58. de verbis Domini, reijciuntur à [t] Louanienſibus in *Appendicem* To. 10. in quam ſolùm illa reijciuntur, quæ certò deprehenſa ſunt, *Non eſſe Auguſtini.* Atque hoc (quod ſpectat ad ſer. 28.) merito eos feciſſe apparet, tum ex hoc, quod *Sermo* iſte 28. eſt idem plane cum eo qui reperitur ſub nomine *Ambroſij lib.* 5. *de Sacram. cap.* 4. tum ex eo, quod continet doctrinam, quæ cum *Auguſtini* mente non congruit. Nam in hoc *Sermone,* hæc verba Chriſti, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* exponuntur tantùm de *Sacramento corporis Chriſti:* cum in illis operibus quæ certo deprehenduntur eſſe *Auguſtini,* exponuntur etiam, *de huius vitæ ſufficientia.* Vt in Epiſtola 121. cap. 11. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 115. & lib. 1. loquut. in Geneſ. cap. 39.

[t] Cenſ. general. præfix. to. 10.

Auguſtini ſer. 15. *de verbis Apoſtoli* citatur à [u] *Greg. Martino,* vt probet: Deum non poſſe iuſtificare hominem ſine ſeipſo. Et ſer. 17. à [x] *Bellarmino;* ab alijs, ſer. 32. pro Purgatorio.

[u] Detect. hæret. tranſlat. cap. 10. ſect. 7.

[x] Lib. 1. de Purgat. c. 6.

Sermonem 15. non eſſe *Auguſtini,* videtur ex eo colligi, quod non numeretur in indiculo Poſſidij. Et quod, *egregium,* dictum dicat, *quaſi à grege ſeparatum.* Nam non minus hoc ridiculum, quam *Neptunus,* à *nando.*

Sermonem 32. non eſſe Auguſtini, nedum 15. cenſuit [y] Eraſmus. Nam, *A, maiuſculum, poſitum in capite horum ſermonum, denotare legitimum Auguſtini partum,* monuit ille: cum tamen in capite horum ſermonum, viz. 15. & 32. non habetur *A maiuſculum,* affixum. [z] *Bellarminus* ipſe non audet affirmare, omnes ſer. de verbis Apoſtoli Auguſtini eſſe, ſed *omnes, aut fere omnes.*

[y] Cenſ. in to. 10.

[z] De ſcript. Eccl. ad an. 420.

Auguſtini hom. 12. ex 50. homilijs, citatur à [a] *Bellarmino*, pro Auriculari confeſſione, & homil. 16. [b] pro Purgatorio.

a Lib. 3. de Pœnitentia c. 9.
b Lib. 1. de Purgat. c. 6.
c Cenſ. to. 10.

[c] *Eraſmus* cenſet multa ineſſe homilijs iſtis, *quæ parum referunt phraſin & eruditionem Auguſtini.* Itaque hom. 2. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 15. 16. 20. 21. 22. 26. 27. 32. 33. 35. 37. 39. 41. 44. 46 47 48. non affixit *A maiuſculum.* Atque idem ex parte ſenſiſſe Louanienſes conſtat. Nam in editione Louanienſi, homiliæ 6. 8. 12. 16. 17. 19. 21. 26. 33. 35. 37. 39. 41. 47. 49. non habent nomen *Auguſtini* præfixum.

In Indiculo Poſſidij ſolum reperiuntur homiliæ ſequentes, 1. 10. 11. 28. 34. 35. & 50. *de reliquis ambiguum eſt*, inquit [d] Poſſeuinus.

d Loco citato.

Auguſtini ſer. 2. de tempore, citatur à *Bellarmino*, [e] pro reali præſentia. ſer. 55. [f] pro horis canonicis. ſer. 60. & 62. vt probet [g] Ieiunium eſſe vtile ad ſatisfaciendum Deo: ſer. 124. & 142. pro [h] Primatu Petri, ſer. 226. citatur ab [i] *Anglo-Duacenſibus*, vt probent, librum Tobiæ canonicam eſſe Scripturam. Ser. 228. & 229. à [k] *Serario*, vt probet, librum Iudith eſſe canonicam Scripturam. Ser. 244. citatur à Sonnio art. 3. pro inuocatione ſanctorum, &c.

e De Euch. l. 2. c. 24
f Lib. 1. c 13. de bonis operibus in partic.
g Lib. 2. cap. 11. de bonis operibus.
h Lib. 1. de Rom. Pont. c. 25. Apolog ad Regem Britan.
i Annot. in lib. Tobiæ.
k Prolegom. 4. in Iudith.

Sermones iſti *de tempore* non ſunt ſcripti ab *Auguſtino*, teſtibus *Eraſmo* & *Martino Lipſio*. Sic enim illi: *Ad caput ſermonis, A maiuſcula litera poſita verum ac genuinum partum denotat.* At nullus horum habet literam A affixam; nullus ergo horum eſt genuinus *Auguſtini* partus. Neque hi ſolum ſpurij ſunt iudicio Eraſmi & Lipſij, ſed & alij multi, ad numerum pene *centum & octuaginta ſermonum.* Nam, *ad caput ſermonum* deſideratur A in omnibus, præterquam in iſtis 3. 20. 40. 45. 49. 50. 74. 94. 96. 109. 110. 113. 119. 136. 139. 140. 141. 143. 145. 146. 148. 151. 152. 155. 158. 160. 164. 174. 175. 186. 187. 196. 200. 205. 212. 220. 234. 235. 236. 237. 245. 254. 256. *Louanienſes Theologi reijciunt ſermones* 48. *vt ſuppoſititios, viz. ſermonem* 9. 10. 11. 15. 18. 28. 33. 37. 38. 43. 47. 48. 51. 59. 63. 68. 77. 97. 99. 114. 115. 117. 118. 120. 121. 125. 128. 130. 132. 136. 137. 138. 156. 159. 161. 169. 176. 181. 183. 187. 207. 211. 224. 226. 228. 229. 241. & 242. Et reliquos omnes exceptis quadraginta

ginta ſeptem, ſuſpectæ fidei eſſe dicunt. Nam ſolùm his nomen Auguſtini additum eſt, viz. 20. 23. 25. 26. 27. 30. 31. 32. 39. 40. 45. 46. 49. 50. 52. 72. 74. 94. 109. 110. 119. 139. 140. 141. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 151. 155. 160. 164. 186. 205. 212. 214. 220. 234. 235. 236. 237. 245. 254. & 256. Reliqui ergo quibus nomen Auguſtini non additur, *dubiæ ſunt authoritatis*. Sic enim illi, *Reliquos aut non ſatis diſcuſſos, aut ex iudicio quorundam eruditorum, dubiæ authoritatis, inter B. Auguſti. ſermones reliquimus, non tamen addito eius nomine.* Sunt ergo inter ſermones de tempore, 145. authoritatis dubiæ, etiam iudicio Pontificiorum: & 48. planè ſuppoſititij, quod manifeſtiùs apparet ex ſpecialibus cenſuris *Scholæ Louanienſis. Sermo 9. continet pleraſque ſententias ex homilijs D. Bernardi in Euangelium, Miſſus eſt. Sermo 11, tribuitur Maximo Epiſcopo in deſcriptis codicibus, & in lectionibus vigiliæ Epiphan. Seomo 15, tribuitur Seueriano in libris quibuſdam deſcriptis, in alijs Fulgentio. Sermo 18, eſt hominis eruditi. Sermo 33, Leonis Papæ 8. Sermo 37, in deſcriptis libris & impreſſis D. Maximo tribuitur. 48, conflatus eſt ex 8. & 9. de verbis Domini, ex Hilario in Matthæum, & Ambroſio in 10. Lucæ. 63, eſt Leonis, & ſub eius nomine imprimitur Louanij anno 1577. 68, nonnullis videtur ex Ambroſij ſcriptis hauſtus. 77, eſt inter Ambroſianos, 37. 117. ex Ambroſio in Lucam carptim deſumptus eſt. 118, in manuſcriptis & impreſſis eſt D. Maximi. 120, multum diſcrepat à dictione D. Auguſtini, quidam Euſebio inſcribunt. 125, prope idem cum Damaſi Papæ Symbolo in Tomo 4. Hieronymi. 128, in manuſcriptis & impreſſis eſt D. Maximi. 130, in manuſcriptis libris & impreſſis adſcribitur Chryſoſtomo. 136, eſt inter ſermones Euſebio inſcriptos. 137, ex Euangeliorum homilia Gregorij 12. & aliunde congeſtus eſt. 138, eſt inter Euſebianos. 156, eſt inter Euſebianos. 181, vtitur verbis Gregorij ex Moralibus, & plura habet vnde conſtat non eſſe Auguſtini. 191, eſt idem prorſus cum explanatione Symboli ad Damaſum, quæ habetur Tom. 9. Hieronymi. 226, ex Ambroſio hauſtus eſt. 228 eundem refert authorem quem præcedens. 229, non diſcrepat à præcedentibus, 241. Lipſius dubitat an ſit phraſis Seueriani.* Hos ſermons ſic perſtrinxerunt Theologi *Louanienſes*, & multo plures non

minus verè perſtrinxiſſent, nominatim vero *ſermonem* 102, qui verbatim deſumitur ex *Origine hom.* 13, *in caput* 22, *Numeri:* Sermonem 244, qui tanta ſpurcitie & ſtultitia refertus eſt, vt nemini niſi planè inſanienti videri poſſit Auguſtini; ſic enim in illo ſermone legimus, *Velim ſcire fratres, ille qui vxore ſua incontinenter vtitur, Si quoties eum luxuria victum agnouit, toties ſuum agrum arauerit, vel ſeruerit, qualem meſſem colligere poteſt?* Paulò poſt admonet mulieres, *vt quando maritos accipiunt, per triginta dies in Eccleſiam intrare non præſumant; quod etiam viri conſimiliter obſeruare deberent*, concludens tandem, *Qui in die Dominica, aut alia qualibet ſolennitate ſe continere noluerit, qui hinc concepti fuerint, aut Leproſi, aut Epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci naſcentur.*

Sermo 1. in vigilia Pentecoſtes, qui eſt 181. *de Tempore apud Auguſtinum, eſt imperiti cuiuſdam hominis ſermo.* Molanus de Picturis, cap. 16. impreſ. Louan. 1670.

Auguſtini ſer. 1. *de ſanctis*, citatur à [l] *Rhemenſibus*, & alijs, pro Inuocatione ſanctorum. Atque tam aperte pro Pontificijs facere videtur, vt [m] Aloyſius Lypomanus Ironice roget, *Quid hîc dices hæretice? Commendemus nos (ait Auguſtinus) orationibus S. Stephani, &c.*

[l] Annot in Act. 7. ad v. 60. in marg.
[m] Epit. de vit. ſanct. part. 1.

Hic ſermo neque habet *A* affixum in editione Eraſmi, neque *nomen Auguſtini* in editione Louanienſi. *Quædam M. S. Fulgentio tribuunt*, aiunt Louanienſes.

Auguſtini ſer. 13. *de ſanctis*, qui eſt 2. *de Vincentio*, citatur à [n] *Bellarmino*, pro Reliquijs.

[n] De Reliquijs c. 3.

[o] Durantus de Ritibus Eccleſiæ citat hunc ſermonem ſub nomine *Leonis:* & ſanè ſub eius nomine excuſus eſt inter opera Louanij 1577. cum hac nota in margine, *D. Auguſtino falſò adſcriptus ſermo.*

[o] Lib. 2. c. 5.

Auguſtini ſer. 15. *de ſanctis*, qui eſt *primus de Cathedra S. Petri*, legitur in Breuiario Romanæ Eccleſiæ Feb. 22. & citatur à [p] *Rhemenſibus*, & alijs, vt probent: Petrum eſſe petram, & fundementum Eccleſiæ.

[p] Annot. in Math. 16.

[q] Baronius dicit hunc ſer. *nihil habere, quod Auguſtini eſſe impediat, ſed multa quæ perſuadeant:* Attamen in editione Eraſmi, *A* in capite deſideratur: & Louanienſes in *Appendicem* reiecerunt, vt certo deprehenſum, non eſſe *Auguſtini.*

[q] Not. in Martyrolog. Rom. Iunij 18.

Auguſtini

Auguſtini de ſanctis ſer. 16. qui eſt *ſecundus in feſto Cathedræ S. Petri*, citatur à [r] *Turriano* vt probet: Petrum eſſe fundamentum Eccleſiæ. r Confeſſ. Auguſtin.l.1.c.9.

Hic ſermo idem eſt per omnia cum *ſer.* 47. *in Ambroſio*, & cum *ſer.* 35. in *Maximo.*

Ser. 18. qui eſt *ſecundus in feſto Annunciationis*, citatur à [ſ] *Rhemenſibus*, & alijs, pro Inuocatione ſanctorum. Atque de eo Pontificij [t] prædicant, quod *omnium manifeſtiſſime ſanctorum inuocationem comprobat; quod in illo multo plura tribuuntur Virgini Mariæ, quam Catholici tribuere auderent, ſi non eſſent tanti viri authoritate animati.* ſ Annot. in Act. 1. 14. t Ioh. à Dauentria in Exegeſi, fol. 223.

Eraſmus, *Louanienſes*, [u] *Baronius*, monent hunc ſermonem à quibuſdam tribui *Fulgentio*. Et quidem [x] *Rhemenſes* dubij ſunt, (quod ex modo citationis patet,) num Auguſt. vel potius Fulgentij ſit. Verùm neutrius eſſe ex titulo cõſtat. Nam habetur *in feſto Annunciationis Virginis Mariæ*, vt ex *titulo* patet. Atqui temporibus Auguſtini & Fulgentij, nullum fuit *feſtum de Annunciatione Virginis Mariæ*, nec per multa ſecula poſt. Nam Conc. Moguntinum celebratum Anno 813. *feſta* enumerans, nullam facit mentionem *Annunciationis Virginis Mariæ*, imò nec [y] Lugdunenſe, quod celebratum fuit circa Annum 1271. u Not. in Mart. Ro. Marty. 25. x Annot. in Act. y Apud Gratian. de conſecrat. diſt. 3. pronuntiandum.

Ser. 19. qui eſt ſer. 3. de Annunciatione, citatur ab [z] *Andradio* pro Inuocatione ſanctorum, & à [a] *Coſtero*, pro vſu crucis. z Defenſ. fid. Trid. a Enchirid. c. 13.

Hic ſermo non valet, nec congruit huic diei, inquit [b] Eraſmus. *Non eſt Auguſtini, nec conuenit diei*, inquiunt *Louanienſes*, qui in *Appendicem* reiecerunt, nec immerito. Nam & modus dicendi horridior eſt quam Auguſtini, *potentia imminorata, minorare, immiteſcunt, ſcrupuloſius diſputare, crux totum mundum ſua Malaxatione eſt complexata*: & multa eius generis, habentur ad verbum in *ſer.* 181. *de Tempore*, quem *imperiti cuiuſdam hominis* eſſe, monuit [c] Molanus. b Cenſ. in To. 10. c Vide ſupra p. 198.

Auguſtini ſer. 25. *qui primus eſt de Petro & Paulo*, citatur à [d] *Bellarmino*, pro Religioſo cultu ſanctorum. d De ſanct. beatit. l. 1. c. 13.

Si *Eraſmo*, & *Louanienſibus* credamus; ſermo hic dubius eſt, ſi non ſpurius. Nam in editione *Eraſmi*, *A*, deſideratur in capite: & in editione Louanienſi *nomen Auguſtini.*

Auguſtini

Auguſtini ſer. 26. qui eſt ſecundus de Petro & Paulo, citatur à [c] *Rhemenſibus* : vt probent: Chriſtum conſtituiſſe Petrum Eccleſiæ fundamentum.

[c] Annot. in Math. 16.

Eſt *ſermo 68. inter Ambroſianos*, & reijcitur in *Appendicem à Louanienſibus. Gregorius de Ualentia*, in [f] Analyſi fidei citat ſub nomine *Ambroſij*, Imò ipſi [g] *Rhemenſes*, ad augendum numerum teſtimoniorum, vno & eodem loco, citant ſub nomine *Ambroſij* & *Auguſtini*, cum neutrius tamen ſit, teſte *Molano*. Nam *de authore huius ſermonis non ſatis conſtat: ſecundùm veriſimiliorem ſententiam, nec Ambroſij eſt, nec Auguſtini, quamuis in vtriuſque operibus habeatur*, inquit [h] ille. Cuius cenſuræ æquitas ex eo patet, quod in hoc legamus: *Petrum & Paulum nobis ſalutem effuſione ſanguinis ſui peperiſſe, & ſacratam hoſtiam pro noſtra propitiatione Domino ſe obtuliſſe.* Nam hoc aperte blaſphemum eſt, ac idcirco, nec ab *Ambroſio*, nec ab *Auguſtino* profectum.

[f] Lib. 7.
[g] Annot. in Math. 16. 18.
[h] De Picturis c. 38.

Sermo 27. *de ſanctis*, qui eſt *ſer. 3. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli*, citatur à [i] *Turriano*, vt probet: Petrum Romæ Epiſcopalem Cathedram tenuiſſe.

[i] Confeſſ. Auguſtin. l. c. 1. 9.

Hic ſermo, eſt ſermo 66. inter ſermones *Ambroſij*.

Ser. 28. qui eſt 4. *de Petro & Paulo*, citatur à *Pighio* controuerſiâ 13. pro Inuocatione ſanctorum. Et, à [k] *Coccio*, vt probet: Librum Tobiæ eſſe Canonicum. Atque *nota pondus teſtimonij*, inquit Pighius. *Hic ſermo ſine controuerſia eſt Auguſtini*, inquit Ioannes à [l] Dauentria.

[k] To. 1. l. 6. de ſacris ſcript. Art. 13.
[l] Exegeſis p. 222.

Non eſſe *Auguſtini* putarunt *Louanienſes*, & *Eraſmus*. Nam in *Eraſmi* editione deſideratur *A* ad caput ſermonis: in Louanienſi, *nomen Auguſtini*.

Ser. 29. qui eſt 5. *de Petro & Paulo*, citatur à [m] *Bellarmino*, vt S. Petrum colendum eſſe doceat: Imò, Catenas & vincula.

[m] Apol. ad Britanniæ regem. c. 8.

Ad caput huius ſermonis deſideratur *A* in *Eraſmi* editione; in *Louanienſi*, *nomen Auguſtini*. Idque merito. Nam & character *Auguſtini* abeſt, & nec dum erant, viuo Auguſtino, reperta Petri Vincula. *Innotuerunt enim mundo circiter annum* 439. vt teſtatur [n] Baronius.

[n] Annal. To. 5. ad Ann. 439. nu. 5.

Sermo 30. qui eſt 1. *de Laurentio*, citatur à [o] *Lindano* in Panoplia, pro Inuocatione ſanctorum.

[o] Lib. 3. c. 27.

Hic

Hic ſermo idem eſt cum ſer. 71. inter *Ambroſianos*. Et reperitur etiam in *Maximo*, inter homilias hyemales & æſtiuales de ſanctis, ſub cuius nomine citatur à *Leonardo de Utino* ſer. 45. de ſanctis. *Eraſmus*, & *Louanienſes non eſſe Auguſtini*, aiunt.

Ser. 35. qui eſt *de Aſſumptione* 2. citatur à [p] *Colon.* pro Inuocatione ſanctorum.

Hic ſermo *non eſt Auguſtini. In eo enim allegatur cap.* 69. *Iſiodori de vita & obitu ſanctorum; ſed fortaſſe Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, cui in quibuſdam exemplaribus tribuitur*, inquit [q] Molanus.

Ser. 35. *non eſt verè Auguſtini, quod inde apparet, quia citat Iſiodorum Gregorio Magno æqualem*, inquit [r] Stapletonus.

Author 35. *ſermonis de ſanctis, hactenus Auguſtini nomine latuit, ſed falsò. Cum enim citatur ab eo Iſidorus, alium ab Auguſtino authorem eſſe certum eſt*, inquit [ſ] Baronius.

Ser. 41. qui eſt *ſer.* 4. *de Commemoratione Animarum*, citatur à [t] *Roffenſi*, & [*] *Alano*, pro Purgatorio: Et à *Louanienſibus* inſcribitur, *de igne Purgatorio*. Hic ſermo idem eſt cum *Hom.* 1. *de Eleemoſyna, quæ Cæſario Arelatenſi* adſcribitur. In editione *Eraſmi*, non habet *A* affixum, nec in *Louanienſi*, *nomen Auguſtini* additum. Præterea hic ſermo habebatur *in die Commemorationis animarum.* Atqui dies Commemorationis Animarum inſtitutus eſt ab *Odilone Cluniacenſi Abbate*, circa an. Domini 1000. teſte Polydoro Virgilio de Inuentoribus rerum lib. 6. cap. 9.

Auguſtini ſer. 47. citatur à [u] *Caniſio*, pro cultu Sanctorum.

Hic ſermo tributur Leoni, aiunt Louanienſes: & id quidem verum eſt, vt videre licet in operibus Leonis excuſis Louanij, anno 1577. In editione *Eraſmi*, non habet *A* affixum.

Auguſtinus ad fratres in Eremo, citatur à [x] *Bunderio*, in Compendio Theol. pro Auriculari confeſſione: à [y] *Turriano*, pro cœlibatu ſacerdotum: à [z] *Roffenſi*, & alijs, pro Purgatorio.

Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte con-

[p] Dial. 6.

[q] In Vſuardi Martyrolog. Auguſt. 15

[r] Promptuar. Cathol. part. 1.

[ſ] Annal. To. 1. ad An. 48. nu. 17.

[t] Art. 37. adu. Lutherum.

[*] De Purg. c. 8.

[u] Catechiſ. de Reliquijs ſanct. q. 8.

[x] Tit. 15. art. 4.

[y] Confeſ. Auguſt. l. 4. c. 7.

[z] Art. 37. cont. Lutherum.

a Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 420.

ficti, inquit [a] Bellarminus. *Inter ſermones ad fratres in Eremo, multi ſunt leues, & fabuloſi, vt eſt ſermo 24, in quo narratur S. Hieronymum Cardinalem fuiſſe in Eccleſia S. Laurentij, & veſte muliebri indutum irriſum à Romanis; quæ ſunt omnia falſa & conficta*, inquit idem, [b] ſubijciens: *Addo quod phraſis horum ſermonum, exceptis duobus de communi vita Clericorum, qui verè ſunt Auguſtini, eſt inepta, impropria, lutulenta, vt mirum ſit potuiſſe eiuſmodi ſermones S. Auguſtino ab aliquo viro prudente tribui.*

b Ibid.

Baronius, verba faciens de his ſermonibus, *ſub Auguſtini falſo nomine ſuppoſitos eſſe* dicit. Atque authorem, *impoſtorem*, & *frigidum fictorem* appellat, affirmans, eum *in illis ſermonibus, multa delira, vana, & fabuloſa, imprudenter effutiſſe*: ac *portentoſa mendacia blateraſſe*. Vide Annal. To. 4. ad an. 382. nu. 26. & ad an. 385. nu. 12.

c Cenſ. Append. to. 10.

[c] Theologi Louanienſes, *ſatis conſtare* (dicunt) *ſub D. Auguſtini nomine à quodam ſemi-latino exercitij cauſa conſcriptos eſſe*: &c. *à conſeruatore Apoſtolico Rhegij anno 1414. damnatos & reprobatos.*

Martinus Lypſius ſuſpicatur authorem fuiſſe *Gallo-flandrum*. Qui plura deſiderat, legat *Paulum Langium*, in Chronico Citizenſi, ad an. Chriſti 1259. & *Eraſmi* Epiſtolam ad Archiep. Toletanum, Pariſijs 1531. & lib. 3. de Methodo concionandi.

Commentaria falſò adſcripta Philoni Carpathio.

PHilo *Carpathius* floruit circa an 374, vt legimus apud Bellarminum, de ſcript. Eccleſ. ad an. 374. Sed iuxta computationem Coccij in *Catalogo*, ſiue *Indice* Authorum, ad initium To. 1. Theſauri Catholici, floruit ad an. 410. Sub huius nomine habentur Commentaria in Cantica Canticorum, To. 3. edit. 1. Bibl. ſanc. Pat. quæ citantur à Coccio, vt probet: [a] Chriſti Animam verè ad inferos deſcendiſſe, vt ſanctorum animas inde liberaret: Et, [b] ſanctos rite inuocari; Et, [c] culpa dimiſſa, temporalem pœnam reſtare.

a To. 1. l. 2. de Chriſto. art. 4.

b Li. 5. de ſanct. art. 6.

c To. 2. l. 7. de Pœnit. art. 4.

Philo

Philo ſcripſit Commentaria in Cantica Cantic. ſed videntur multa inſerta ex Commentario S. Gregorij Papæ in Cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent, inquit * Bellarminus lib. ſupra citato. * De ſcript. Eccleſ.

Miror in Philone Carpathio plurima inueniri quæ totidem fere verbis occurrunt in B. Gregorij Pontificis Commentarijs. Suſpicor Græculum aliquem recentiorem ea ex D. Gregorio Philonianis inſeruiſſe potius, quàm vetuſtum illum Carpathium conſcripſiſſe, nam cum reliquo Commentario non nimis cohærent, inquit Martinus Delrio, Iſagoge Comment. in Cant. Cant. cap. 5. quæ habentur etiam apud Poſſeuinum in Apparatu, Philo Carpathius.

Sed ad rem propius accedit Margarinus de la Bigne. Nam, *Cum multa occurrant in hoc Philonis opere, quæ totidem ferme verbis poſita inueniuntur in Commentarijs in Cantica S. Gregorij magni, ſuſpicantur viri eruditi ab aliquibus operi Philonis inſerta: at multo melius coniecissent, vt ſæpe aliàs ſolent, hac ipſa de cauſa, non fuiſſe Philonem Carpathium, ſed alium multò recentiorem*, [d] inquit ille. d Not. ad initium Philonis to. 1. Bibl. vet. Pat. edit. 3.

Opera falsò adſcripta Marco Eremitæ.

IN *Catalogo*, ſiue *Indice Coccij*, *Marcus Eremita* vixiſſe dicitur ad An. 400. licet *Bellarminus* in nouiſſimo opere de ſcriptoribus Eccleſ. ad an. 906. vixiſſe dicat, in quo à ſeipſo diſſentire videtur: qui lib. 5. de Gratia & libero Arbitrio, cap. 25. citans ſcriptores ſecundùm ordinem temporis quo vixerunt, *Marcum Eremitam* citat ante *Cyrillum Alexandrinum*, quem vixiſſe ad an. 430. agnoſcit ipſe. Sed vtcunque hoc ſit, *in Bibl. vet. Pat. To.* 5. *edit.* 3. ſub huius nomine habentur varia *Opuſcula Theologica*, quorum vnum *de Paradiſo & lege ſpirituali*, citatur à *Coccio* To. 2. lib. 1. de Natura hominis, art. 5. pro. libero arbitrio: Alterum *de baptiſmo* à [e] Bellarmino pro eadem doctrina. e De gratia & lib. Arbit. lib. 5. c. 25. f Not. præfix. to. 5. Bibl. vet. Pat. edit. 3

[f] *Margarinus de la Bigne* ſuſpicatur duos fuiſſe *Marcos Eremitas*, quorum vnus ad an 400. alter ad an. 900. vixit.

Et *in ambiguo eſſe dicit, vtri tribuenda ſunt*, ſed fortaſſe *neutri. Nam ſi opus non ſit ab hæreticis deprauatum* (inquit ille) *indignum plane eſt, quod vel illi, vel huic Marco adſcribatur, cum vterque fuerit ſanctiſſimus, & opus ipſum contineat multas ſententias à rectæ fidei regula exorbitantes.*

g Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 906.

g *Bellarminus* qui vnum tantùm *Marcum Eremitam* agnoſcit, *Opera ita ſcatere erroribus contra fidem*, ait: *vt ſuſpicari cogatur, vel ab hæreticis noſtri temporis conficta, aut valde deprauata fuiſſe.* Subijciens: *Neque alia de cauſa huius authoris memini, niſi vt admonerem cautiſſime eſſe legendum: non enim deſunt alij authores pij, qui ſine tali periculo legi poſſunt.*

Sermones Maximi Taurinenſis ſunt ſuppoſititij,

h Not. in Martyrolog. Ro. Iunij 25. & to. 6. Annal. ad an 451. nu. 13.

MAximus *Taurinenſis* vixit circa annum 420. vt plerique volunt, aut potius ad an. 460. vt opinatur [h] *Baronius*. Huius nomine extant *Sermones* multi, qui excuſi ſunt *Romæ* apud *Paulum Manutium cum priuilegio Pij 4. Pont. Max. anno* 1564.

i Lib. 1. de ſanc. beat. c. 13.
k Lib. eod. c. 18.

Sermo de Martyribus Tauricis, viz. *Octauio, Aduentore, & Solutore*, citatur à [i] *Bellarmino*, vt probet, primò in genere: cultum aliquem religioſum deberi creaturis: [k] deinde in ſpecie, vt probet, ſanctos, qui regnant cum Chriſto, pro nobis orare, non ſolùm in genere, ſed etiam in particulari, &, [l] Reliquias ſanctorum eſſe venerandas.

l Lib. 2. de Reli. c. 3. & in Apolo. ad Iacob. reg. c. 1. p. 17.

Hic *Sermo* ſuppoſititius eſt, quandoquidem duos habet Patres *Maximum* & *Ambroſium*. Hic enim ſermo æque agnoſcit *Ambroſium* pro parente, ac *Maximum*. Nam apud *Ambroſium* reperitur numero ſermonum, 77.

m Lib de inuocat. ſanc. fol. 56.

Sermo de *Nazario & Celſo* citatur à [m] *Garetto* ſub *Maximi* nomine; pro inuocatione ſanctorum.

Hic ſermo habetur apud *Ambroſium*, æque ac apud *Maximum*, præ ſe ferens nomen *Ambroſij*, æque ac *Maximi*: filius ergo populi. Incertum cuius.

n Lib. 1. de Rom. Pont. c. 23.
o Lib. citat. c. 27.

Sermo 5. *in Natiuitate Apoſtolorum Petri & Pauli* citatur à Bellarmino, vt probet: [n] vulgatum illud, de contentione *Petri* cum *Simone Mago*, &, [o] *S. Petrum* maiorem fuiſſe *S. Paulo*

Paulo poteſtate, licet *S. Paulus* maior *S. Petro* fuit ſapientia: & paulo pòſt citatur ab eo, vt probet [p] *S. Petrum Romæ* mortuum eſſe. Eiuſdem ſermonis pars bona legitur in [q] *Breuiario Ro.* nuper recognito, ſub nomine *Maximi.* p Lib. 2. de Rom. Pont. c. 3. q Feſta Iulij 5.

Hic ſermo præ ſe fért nomen [r] *Ambroſij*, & [ſ] *Auguſtini*, etiam, æque ac *Maximi.* Ac idcirco ſuppoſititius iure cenſeri poteſt, cum vnius legitimæ prolis ſit vnus tantùm Pater. r Ambroſ. ſer. 66. ſ De ſanc. ſer. 27.

Sermo de Eleemoſynis, citatur à [t] *Coccio*, ſub *Maximi* nomine, vt probet: ſine baptiſmo neminem ſaluari. t To. 2. Theſau. Cathol. l. 5. de baptiſ. art. 4.

Hic ſermo eſt idem prorſus cum ſermone 31. qui *Ambroſio* adſcribitur. Idcirco hic ſermo reijcendus, vt Nothus.

Libri falsò adſcripti Euodio Epiſcopo Vzalenſi.

TO. 10. operum *Auguſtini* in edit. *Louanienſi*, habentur duo libri *de Miraculis beatiſſimi Martyris Stephani, qui* pre ſe ferunt nomen *Euodij Epiſcopi Vzalenſis*, quem vixiſſe ait Coccius in Catalogo, ad annũ 403. Horum ſecundus citatur à [u] *Bellarmino*, vt oſtendat imaginem S. Stephani peculiarem deuotionem mereri ob artificem, quia ab Angelo formata & allata fuiſſe putatur. Citatur idem liber à [x] *Copo*, vt pote qui inſignem plane narrationem contineat, qua palam conſtat, Imagines ſanctorum in templis palam extitiſſe Auguſtini ſeculo, idque in ipſa Africa; nec extitiſſe ſolùm, ſed Deo, & pijs Epiſcopis ſummopere placuiſſe. u Lib. 2. de imag. c. 18. x Lial. 4. c. 7.

Hi libri non ſunt Euodij. Nam ex prologo lib 1. patet (niſi mentiatur Author) eos iuſſu *Euody*, non ab *Euodio* conſcriptos eſſe. Quod fatetur *Baronius. Nam extant duo libri de Miraculis, &c. qui licet inſcribantur nomine Euodij Epiſcopi Vzalenſis, & ita citari conſueuerunt, ſicut & nos citaſſe meminimus, tamen non ab ipſo ſed ad ipſum potius ſcriptos, accuratus Lector inueniet*, inquit ille, Annal. To. 5. ad An. 416. nu. 2c. Imò & *Bellarminus* ipſe. Nam licet lib. 2. cap. 3. de Reliquijs, quondam dixerat *Euodium libros duos conſcripſiſſe de Miraculis S. Stephani*, tamen in libello poſtremo de

ſcript. Eccleſ. ad An. 420. *Scripti ſunt libri duo de Miraculis S. Stephani ad Euodium Vzalenſem Epiſcopum: ſed quia nomen authoris ignoratur, dicuntur libri Euodij*, inquit ille.

Opera falſo adſcripta Cyrillo Alexandrino.

CYrillus Alexandrinus, qui vixit ad An. 430. ſcripſiſſe dicitur 12. *libros in Euangelium Iohannis*, quorum 5. citatur à Rhem. Annot. in Heb. 10. 26. vt probent: omnia peccata deleri poſſe per pœnitentiam, licet non æque facile ac per baptiſmum. 7. citatur ab ijſdem, Annot. in Ioh. 10. 29. vt erroneam lectionem Ioh. 10. 29. (quæ *à librario, aut aliquo temerario emendatore venit*, teſte Valla) ſtabiliant. Et [y] vt verba illa Chriſti Ioh. 11. 44. *ſoluite eum & ſinite abire*, antiquitus intellecta fuiſſe de authoritate illa, quam ſacerdotes Die habent in remittendis peccatis, oſtendant. Idem liber citatur à *Pamelio* Annotat. in expoſit. Symb. apud Cyprianum, vt doceat, Librum Iudith eſſe Canonicum.

y Annot in Ioh. 11. 44.

Petro Martyri citanti teſtimonium contra Pontificios *ex lib. Cyrilli in Iohannem*, reſpondet [z] Bellarminus. *Hîc prodit Pſeudo-Martyr negligentiam ſuam. Nam ſextus ille liber non eſt Cyrilli, ſed Iodoci Clictouei, vt etiam inſcriptio librorum indicat: perierunt enim ex 12. libris Cyrilli in Iohannem, quatuor intermedij, ſed eos ſuppleuit Clictoueus.* Annon cum hîc *Rhemenſes* citent 5. & 7. librum Cyrilli in Iohannem, & *Pamelius* etiam, dicere nobis liceat *Rhemenſibus* & *Pamelio*, *Hîc produnt Pſeudo-Papiſtæ negligentiam ſuam? Nam nec quintus ille liber, nec ſeptimus, Cyrilli eſt, ſed Iodoci Clictouei, vt etiam librorum inſcriptio indicat: perierunt enim ex 12. libris Cyrilli in Iohannem, quatuor intermedij, ſed eos ſuppleuit Clictoueus.* Qui plura volet, legat Sixtum Senenſem in Bibl. lib. 4. Cyrillus Alexandrinus: & Suarez in 3. part. Thomæ, q. 27. Art. 2. diſput. 3.

z Lib. 2. de Euchar. c. 25.

Cyrill. in Leuit. citatur à *Rhem.* [a] pro Auriculari confeſſione, &, [b] extrema vnctione; à [c] *Pereſio*, pro reali præſentia: Et à [d] Salmerone vt probet, verba Pauli 1. Cor. 3. *Saluus erit*

a Annot. in Ioh. 20. 23.
b Annot. in Gal. 4. 1
c De Tradit. part. 3.
d Comment in 1. Cor. diſp. 6.

erit quaſi per ignem, intelligenda eſſe de igne Purgatorio

Bellar. in [e] lib. de ſcript. Eccleſ. aſſerit, *Homilias in Leuiticum verè Origenis eſſe, quia phraſin Origenis ſeruant, & erroribus eiuſdem ſcatent*; tamen aliàs dubius videtur fuiſſe, vtrum Origeni, vel Cyrillo, vel *neutri*, tribuendæ eſſent. Sic enim lib. 4. de verbo Dei, cap. 11. olim ſcripſerat: *Homiliæ illæ in Leuiticum non ſunt Cyrilli, ſed Origenis, vel neſcio cuius alterius, qui paſſim literam deſtruit, vt myſticos ſenſus ex ſuo capite ſtatuat*; concludens, *Proinde illæ Homiliæ non ſunt magnæ authoritatis*, quod rectè ab eo dictum ſcribit Gretſerus To. 1. defenſ. Bellar. lib. 4. cap. 11.

e Ad An. 226.

Opera falſò adſcripta Theodoreto.

EXtat alicubi ſub nomine Theodoreti *Catalogus Epiſcoporum & Cæſarum*, qui citatur à *Smytho* in Epiſtola ad Lectorem de Externo Chriſti ſacrificio, vt probet: Adminiſtrationem Eccleſiæ nequaquam ad Principes pertinere.

Catalogus Epiſcoporum & Cæſarum nullo modo eſt Theodoreti, ſed multo poſterioris cuiuſpiam ſcriptoris, qui ordinem etiam temporum in recenſendis Epiſcopis non tenet, multaque mentitur, inquit Ioh. Heſſels de Inuocat. ſanct. c. 29.

Inter opera *Theodoreti* habetur *Hiſtoria ſanctorum Patrum*, quam *Religioſam* vocant: hæc citatur à [f] *Bellarmino* pro Inuocatione ſanctorum, &, [g] pro cruce.

f Lib. 1. de ſanct. beatit c. 19.
g Lib. 2. de Imag. c. 29.

Author huius Hiſtoriæ [h] narrat mortem *Symeonis*, & multa miracula quæ poſt mortem operatus eſt. Atqui *Theodoretus* ante *Symeonem* mortuus eſt. Nam *Theodoretus* obijt ad An. 453. *Symeon* verò ad An. 460. quemadmodum legimus apud Baronium. Quomodo ergo potuit *Theodoretus* Author eſſe huius *Hiſtoriæ?*

h Cap. 26.

Theodoretus lib. 8. *Græcarum affectionum*, citatur à [i] *Bellarmino*, & alijs, pro Inuocatione ſanctorum. Et hoc teſtimonium *ita illuſtre* affirmat [k] *Copus, vt nullis Magdeburgenſium tenebris obſcurari poſſit.*

i Lib. 1. de ſanct. beatit. c. 18.
k Dial. 3. c. 9.

Libri 12. *de curandis Græcorum affectionibus*, dubiæ videntur

tur

tur fidei: Primo, quia *Nicephorus in Catalogo lucubrationum Theodoreti*, nullam illorum facit mentionem. Secundo, quod in genuinis *Theodoreti* libris, damnetur doctrina *de Inuocatione ſanctorum*, quæ in iſtis approbatur. In genuinis libris, puta comment. in Coloſſ. cap. 2. negat *Theodoretus* Angelos deberi inuocari. Quod à fortiori arguit, *Theodoreti* iudicio, *ſanctos non eſſe inuocandos*. Præſertim ſi meminerimus [m] *Theodoretum* fuiſſe communi illorum temporum errore tinctum, *quod Sancti non vident faciem Dei vſque ad diem iudicij*. Nam is error ſuſtulit omnem Sanctorum cultum, vt fatentur [n] Pontificij.

l Hiſt. Eccleſ. 4. c. 54.

m Sixt. Senenſ. Bibl. l. 6. Annot. 345.

n Caluino-Turciſmus l. 4. c. 8.

Commentaria falsò adſcripta Philippo Præſbytero.

PHilippus Preſbyter *claruit anno* 430. teſte Trithemio in lib. 1. de ſcript. Eccleſ. Extat ſub eius nomine, *Opus* (vt ferunt) *egregium in Iob*, quod excuſum fuit *Baſileæ*, 1527. Ex hoc, tanquam ipſius Philippi, [o] *Driedo* colligit purgatorium, & [p] *Garetius*, tranſſubſtantiationem.

o To. 1. l. 4. de variis dogm. & lib. Apoc. cap. 5. part. 5.

p De Euch.

Hos Commentarios, Iohannes Heruagius Baſileæ impreſſos, inter opera Bedæ, & ſub titulo Bedæ excudit, teſte Sixto Senenſi Bibl. lib. 4. Hinc certum eſt aliquos, Bedæ potius exiſtimaſſe, quàm Philippi, quemadmodum refert Marianus Victorius, in cenſura comment. qui To. 8. apud Hieronymum habentur. Atque ſanè cum *Gennadius* teſtetur, *Philippum Preſbyterum commentatum in Iob*, *edidiſſe ſermone ſimplici libros*: hij verò ſint myſtico potiùs, quàm ſimplici ſermone conſcripti, agnoſcente Sixto Senenſi, perſpicuum eſt, hos *Commentarios* non eſſe *Philippi*, vtvt *Bedæ* ſint, aut cuiuſpiam alterius.

Commen-

Commentaria falſò adſcripta Iunilio Africano.

TO 1. *Bibl. ſanct. Pat. edit.* 2. habetur *Commentariolus in aliquot capita Geneſeos*, qui citatur à *Garetto*, de Euch. Centenario 5. & à *Verniero* fol. 34. magni & vniuerſalis Conc. pro reali Chriſti in ſacramento præſentia.

Tribuitur Iunilio Commentariolus in prima capita Geneſeos, ſed ille non eſt Iunilij, ſed Bedæ, citat enim Sanctum Gregorium, & habetur inter opera Bedæ, inquit Bellarminus de ſcript. Eccleſ. ad An. 545. Idem dicit Sixt. Senenſis in Bibl. lib. 4. Iunilius: &, de falſa librorum inſcriptione. Idem etiam Poſſeuinus in præfat. Apparatus. Margarinus de la Bigne in 3. editione Bibliothecæ ſuæ expunxit, quod deprehenderet *Bedæ* aſcribi, & inter opera eius haberi, vt ipſe agnoſcit in Indice Authorum ad finem To. 6, Bibl. litera, I.

Opera falſò adſcripta Eucherio Lugdunenſi.

HAbentur *Commentarij in Gen. & lib. Regum* ſub nomine *Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis*, impreſſ. Baſileæ 1531. Hic vixiſſe dicitur circa An. 440. Ex his Commentarijs *Bellarminus* probare conatur, [q] Eucherium, inter alios, ſenſiſſe textum Gen. 4. 7. intelligi debere de *peccato*, non de Abele Caini fratre, vt inde liberum arbitrium deducat: Et, [r] verum ſacrificium offerri in Miſſa. Ex ijſdem elicere conatur [ſ] Garetius, inuocationem ſanctorum.

[q] Lib. 5. de gratia. & lib. arbit. c. 12.

[r] Lib. 1. de Miſſa cap. 6.

[ſ] De inuocatione fol. 68.

Tribuuntur Eucherio libri Explanationum in Gen. & in libros Regum. Sed Eucherij eſſe non poſſunt, cum author ſæpe Gregorium citet, & ad finem expoſitionis libri 1. *Regum, lectorem inuitet ad Moralia S. Gregorij perlegenda: S. autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio poſterior*, inquit Bellarminus, lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 440. Et ad eundem modum ſcribit Sixtus Senenſis Bibl. lib. 4. verbo, Eucherius; & ad finem lib. 4. Tract. de falſa librorum inſcriptione. Nam *ſunt qui*

inſcriptiones librorum deprauent & immutent, vtilitatis, quæſtus, ac turpis lucri gratia, ceu ſunt voluminum ſcriptores, impreſſores, institores, ac venditores: qui vulgarium, & interdum quoque obſcurorum hominum partus, nobiliorum authorum titulis coronant:—hoc ioco nobis obtruſerunt Angli cuiuſdam collectoris centones in Gen. & Reg. volumina, pro Eucherij Epiſcopi Lugdunenſis Commentarijs, inquit ille. Quem ſequitur *Poſſeuinus* in præfatione Apparatus ſacri.

Habetur cum ſuperioribus Commentarijs coniunctus, *Liber formularum ſpiritualium ad intelligendas Scripturas ſanctas vtilium*, qui citatur à [t] Coccio ſub nomine Eucherij, vt probet: Tobiæ librum eſſ Canonicum.

[t] To.1.l.6.de fac. ſac.ſcrip.art 13.

Hic liber eodem carbone notatur à Sixto, quo *Commentarij in Gen. & lib. Regum; multa enim loca tam in hos formularum ſpiritualium, quàm in Gen. & Reg. Commentarios, ex Beda & Gregorio transfuſa ſunt*, inquit Sixtus loco ſupra citato.

Sixti tertij Papæ libri tres ſunt ſuppoſititij.

SIxti 3. huius nominis Papæ, tres extāt libri, excuſi *Romæ* 1572. & *Antuerpiæ* 1575: qui habentur in Bibl. vet. Pat. edit. 3. To. 5. Primus eſt *de diuitijs*: ſecundus, *de malis doctoribus*, tertius *de Caſtitate*. Hic *Sixtus* vixiſſe [a] dicitur ad an. 442. Liber primus citatur à [b] *Coccio*, vt probet: Conſilij Euangelici eſſe facultates relinquere propter Chriſtum. Lib. ſecundus citatur ab eodem, [c] pro votis faciendis: & vt probet, [d] dimiſſa culpa, temporalem pœnam reſtare exoluendam: & [e] pro Purgatorio. Lib. tertius citatur, vt probet: [f] Caſtitatem eſſe conſilij Euangelici. Iidem libri citantur iterum atque iterum à Turriano, ſub Sixti nomine, vt videre licet, lib. 3. pro Epiſt. Pontificum, cap. 16. & lib. 5. cap. 12.

[a] Bell. lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 442.
[b] To. l.4. de vita Monaſtica, art. 3.
[c] Lib. citat. art. 6.
[d] Lib. 7. de Pœnitent art. 4.
[e] Lib. citat. art.
[f] Lib. 4. de vita Monaſt. art. 4.

Nomine Sixti huius, non ab alijs quàm à Pelagianis ſcripta fuere tria volumina, primum de diuitijs, &c. quæ quidem Pelagianiſmis eſſe referta, accuratus Lector inueniet, inquit [g] Baronius: ſubiungens hæc verba, *Dolui vehementer haud pridem*

[g] Annal. to 5. ad an. 440. nu. 6.

eadem

eadem opuſcula abſque diligentiore conſideratione nomine Sixti Romani Pontificis eſſe cuſa,&c.& [h] *doluit mecum vehementer, atque ex alto ingemuit pectore Lindanus Epiſcopus Andegauenſis — haud æquo animo ferre valens ſub falſo nomine tanti Pontificis Pelagianorum fœtus eſſe ſuppoſitos.* g Nu.7.

Extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum To.5. ſecundæ edit. ſub nomine Sixti tertij Pontificis, liber de diuitijs; & alter de Caſtitate, & Epiſtola de malis doctoribus: quæ tria volumina falsò aſcribuntur Sixto Pontifici, cum ſint plena erroribus Pelagianorum, inquit [i] Bellarminus. i Lib. de ſcript. Eccleſ.ad an.442.

Baronio, & *Bellarmino,* ſubſcribunt *Poſſeuinus*, in Apparatu ſac. verbo, *Sixtus 2: Margarinus de la Bigne* Annotat. præfix. his lib. in Bibl. vet. pat. edit. 3.To. 5. & *Ioh. Maria* ſacri Palatij magiſter, in Indice Romano librorum Expurgand. To. 1. p. 190.

Extat To.1.Conc. *Epiſtola ad omnes orientales,* ſub *Sixti* 3. nomine: quæ citatur à [k] *Bellarmino*, vt probet: Concilia debere conuocari à Rom. Pontifice. k Lib.1.de Conc. c.12.

Hanc Epiſtolam ſpuriam eſſe conſtat, primò, quia maxima eius pars aſſumentum eſt alterius, viz. *Fabiani ad Hilarium*, quam ſuppoſititiam eſſe [l] ſupra probauimus Secundò, quia data eſt *Valentiniano & Florentio Coſſ.* Nam tempore *Sixti* 3. nulli tales Conſules fuere, ſi credimus Baronio. l Pag.37.

To. 1. Conc. extant *Acta Sixti* 3. quæ citantur à [m] *Bellarmino*, vt probet: Epiſcopum Romanum depoſuiſſe *Polychronium* Epiſcopum Hieroſolymitanum. m De Ro. Pont. l.2.c.18.

Hæc Acta ſpuria & illegitima eſſe quiuis prudens aſſeruerit, ſi ad notam Conſularem, nomen accuſati, aliaſue res apud Acta deſcriptas, diligenter attendat, inquit [n] Binnius, qui multa habet in eandem ſententiam, quæ deſumpſit è To. 5. Annalium *Baronij*, ad an. 433. nu. 36. 37. 38. n Notis in to.1. Conc.p.932.

Sermo S. Leonis primi Papæ eſt ſuppoſititius.

LEo primus *Papa* vixit circa an. 440. Huius ſerm 5. de Quadrageſima, citatur à [o] *Bellarmino*, vt probet: dies ieiunij quadrageſimales, non eſſe 36, ſed plane quadraginta.

o Lib.2. de bonis operibus in partic.cap.15.

Hic ſermo idem eſt cum *ſerm. 63. de Tempore*, qui currit ſub Auguſtini nomine. Ac idcirco dubiæ fidei.

Vita Ambroſij falsò adſcribitur Paulino Epiſcopo Nolano.

SAnctus Paulinus, in vita *S. Ambroſij* citatur à *Rhemenſ.* Annot. in Ioh. 20.23. & à *ſacrificulis* noſtratibus, in Petitione quam exhibuerunt Iacobo Regi, pro Auriculari confeſſione.

Tribuitur à nonnullis ſancto Paulino Nolano vita S. Ambroſij, ſed vita illa non eſt huius Paulini, vt non ſolum ſtylus ipſe diuerſiſſimus docet, ſed etiam quia ille Paulinus ſancto Ambroſio, vt adminiſter aſſiſtebat, etiam tempore mortis eius: imo vt clericus ſub cura Caſti diaconi, amanuenſis fungebatur officio, vt ipſe indicat in vita B. Ambroſij. Sanctus autem Paulinus nunquam aſtitit S. Ambroſio, vt miniſter, ſed multo ante mortem eius preſbyter erat, & à B. Ambroſio in numero ſacerdotum Eccleſiæ ſuæ habebatur, vt ipſe ſcribit in Epiſtola ad Alypium, inquit Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. ad an.420.

Vita S. Ambroſij vulgo creditur à S. Paulino Epiſcopo Nolano conſcripta, cum ſcripta fuerit ab alio quodam Paulino, inquit Gretſerus lib. 2. cap. 4. de iure & more prohibendi libros. Ad eundem modum loquuntur Baronius Annal. To. 5. ad an. 397. nu. 36. &, Poſſeuinus in Apparatu, verbo, Paulinus: Et, paulo liberiùs Eraſmus in Cenſura To.1. Ambroſij. Nam *ſi quis me roget quid de hoc Hiſtorico ſentiam*, inquit Eraſmus, *dicam paucis. Idem eſt artifex qui tam multa contaminauit in ſcriptis Hieronymianis & Auguſtinianis, natus ad hunc ludum.*

Libri

Libri falſò adſcripti Proſpero.

INter *Proſperi* opera edita An.1576. habentur *Libri tres de Promiſſionibus & prædictionibus Dei*: qui citantur à *Bellarmino* lib.2.de Miſſa cap. 9. pro multiplicatione Miſſarum vno eodemque die & loco; &, à *Coccio* To. 1. lib.6. art.18. & *Serrario* Prolog.3. Comment. in lib. Machab. vt probent: libros Machabæorum eſſe Canonicos.

Vt libri de Promiſſionibus & prædictionibus Dei Proſperi non videantur, non eo tantùm ſit probabile, quòd Gennadius & Trithemius, recenſentes quæ ab illo ſcripta ſunt, huius operis non meminêre: ſed etiam ex phraſis ac ſtyli maxima diſſimilitudine, inquit Ioh. Oliuarius præfat.Proſp. ad Lectorem.

Eadem fuit olim opinio Bellarmini. Nam *In Indice manuſcripto cum Cenſura*, ſic legebatur. *Libri Proſperi de Promiſſionibus & prædictionibus Dei, non videntur Proſperi. Nam vt omittam ſtyli diuerſitatem, & quod Gennadius huius operis non meminit: cap.38. tertiæ partis indicat ſe vixiſſe in Affrica; & tamen in Epiſtola ad Auguſtinum, dicit ſe ignotum plane fuiſſe Auguſtino. Nec poteſt dici quod in Affrica fuerit poſt obitum Auguſtini: nam cap. 38. tertiæ partis, dicit ſe fuiſſe apud Carthaginem, Aurelio Epiſcopo, & Theodoſio & Valentiniano Auguſtis, quo tempore Auguſtinus viuebat. Adde quod adoleſcentem ſe fuiſſe dicat in Affrica. At non fuit Proſp. adoleſcens cum moreretur Auguſtinus, vt patet ex Epiſtola eius.* Hæc ille olim. Quæ ſi cuiquam retractaſſe viſus fuerit, quia in nupera huius *Indicis* editione, hæc omnia ſuppreſſa ſunt: perpendat is velim rationes quas priſtinæ Cenſuræ reddidit, ac nullus dubito, quin *Bellarmini ſecundas cogitationes inſipientiores*, non *ſapientiores*, facile diſcernat.

Libri falsò adſcripti Vigilio Martyri & Tridentino Epiſcopo.

TO. Bibl. 5. ſanct. Pat. edit. 1. habentur 5. *libri contra Eutychen*, ſub nomine *B. Vigilij Martyris & Epiſcopi Tridentini.* Quorum 3. citatur à *Coccio*, To. 2. lib. 5. Art. 9. pro vſu Olei & Chriſmatis in baptiſmo.

Nimiùm plane & perſpicue videtur oſtenſum, Authorem horum librorum contra Eutychen eſſe non poſſe S. illum Vigilium Tridentinum Epiſcopum & Martyrem: quum Gennadius, Honorius, & alij, cum percenſent ſcripta Vigilij Tridentini, huius aduerſus Eutychen Commentarij nullam mentionem faciunt, inquiunt Authores notæ præfix. huic lib. To. 4. Bibl. vet. Pat. edit. 3. pag. 594.

Quis fuerit iſte Vigilius non ſatis conſtat, non enim poteſt eſſe ſanctus Vigilius Epiſcopus Tridentinus, &c. inquit Bellarminus de ſcript. Eccleſ. ad An. 495.

Cæſarij Arelatenſis Homiliæ ſunt ſuppoſititiæ.

IN Bibliotheca veterum Patrum, edit. 3. habentur *Homiliæ* 46. ſub nomine S. *Cæſarij Arelatenſis.* Hic *Cæſarius* (vt [a] quidam volunt) vixit poſt An. 600. ad An. videlicet, 690. vel 700. Sed vt placet [b] *Baronio*, cui ſubſcribunt ex recentioribus fere omnes, claruiſſe dicitur temporibus [*] *Symmachi Papæ*, longe ante *Gregorij* tempora. [c] *Baronius* de eo loquitur, tanquam de *egregia ſanctitate & eruditione Patre, & fama notiſſimo.* Homilias, vt *vere aureas*, prædicat, *in quibus antiquæ Eccleſiæ Gallicanæ pia doctrina cum ſacris traditionibus ac ritibus quam fideliſſime reſeratur*; addit etiam, *vere Germanas eſſe.*

Harum homiliarum 8. quæ eſt 1. *de Eleemoſyna*, in qua explicat illud 1. Cor. 3. *Si cuius opus arſerit*, &c. citatur à [d] *Bellarminus*, vt probet Papiſticas ſatisfactiones.

Quam Homiliam [e] *Baronius* ad ſydera vſque euehit, idq; nomi-

a Bellar. l. 4. de pœnitentia, c. 9.

b Annal. To. 1. ad An. 34. nu. 323. & notat. in Martyr. Aug. 27.

* Id eſt, circa An. 500.

c Loco ſupra citato.

d Lib. 4. de pœnitent. c. 9.

e Annal. To. 6. ad An. 506. nu 6.

nominatim. Vt quæ *contineat piam doctrinam de pœnis Purgatorijs poſt animarum migrationem, & ſuffragijs pro eiſdem ſubleuandis.*

Hæc Homilia ſpuria videtur, quia & nomen habet *Auguſtini*, æque ac *Cæſarij.* Nam apud *Auguſtinum* reperitur *ſerm.* 41. *de ſanctis.*

Cæſarij hom. 1. *de Quadrageſima* citatur à [f] *Coccio* ad probandum Pontificiorum ſatisfactiones. f To.2.l.7.de pœnitent.Art.4.p. 839.

Hæc hom. ſpuria eſt. Nam agnoſcit *Euſebium Emiſenum* pro Patre, æque ac *Cæſarium.* Apud *Euſebium*, homilia eſt 10. ad Monachos.

Cæſarij hom. 2. *de Quadrageſima,* quæ eſt in 1. editione ſanct. Patrum, 18. ordine, citatur à [g] *Baronio*, vt probet: Ieiunium quadrageſimale: eamque appellat, *præclaram homiliam.* g Annal. To.6. ad An.506.nu.7.

Medietas huius homiliæ reperitur apud *Auguſtinum ſerm.* 62. *de Tempore.* Ex quo conijcere licet, ex parte, ſi non ex toto ſuppoſititiam eſſe.

*Cæſarij hom.*7. citatur à [h] *Coccio*, imò & [i] *Bellarmino*, pro Auriculari confeſſione. h To.2.l.7.de pœnitentia,art.3.p. 817.

Hæc homilia *Auguſtinum* agnoſcit patrem, æque ac *Cæſarium.* Apud *Auguſtinum* reperiet Lector inter *ſerm. de Tempore nu.* 58. i Lib.3.de pœnitentia.c.10.

Cæſarij hom. 3. *de Paſcha.* citatur à [k] *Coccio*: vt probet: Chriſti animam verè ad inferos deſcendiſſe, vt ſanctorum animas inde liberaret. k To.1.l.2.de Chriſto ſaluatore, Art.4.p.171.

Hæc homilia binos etiam habet patres. Nam eadem eſt cum *Euſebij Emiſeni hom.* 3. *de Paſch.*

Cæſarij hom. 38. citatur à [l] *Coccio* eadem de cauſa, qua *hom.* 2. *de Paſch.* l Loco citat.

In hac homilia mentio fit *Iſidori & Gregorij.* Ex quo patet, idque iudicio [m] Papiſtarum, hanc homiliam alterius potius eſſe quam *S. Cæſarij.* m Margarinus Not.prefix.Cæſario in in edit.3.

Cæſarij hom. 6. 7. 8. 9. & 10. citantur, vno in loco ſimul, à [n] *Bellarmino*, pro Auriculari confeſſione. Et alibi citantur aliæ, cum à *Bellarmino*, tum ab alijs. Verùm nulla illarum ratio habenda eſt, ſiquidem incertum eſt, à quo genitæ ſunt. Incertum cui aſcribi debent. Hom. 5. de Paſch. quæ incipit, n Bell.de pœnit. l. 3.c.10.

Magnitudo

Magnitudo cœleſtium, eadem eſt cum hom. 5. de Paſch. apud Euſeb. Emiſenum. Et cum ſerm. illo, *de corpore & ſanguine Domini* apud Hieron. to. 9. Hom. 4. de diligendis inimicis, quæ incipit: *In diuinis voluminibus.* Eadem eſt cum Auguſtini ſerm. 168. de Tempore. Hom. 21. quæ incipit, *Frequenter diximus*, eadem eſt quoad rem cum ſerm. 60. ad fratres in Eremo. Hom. 23. quæ incipit, *Sicut à nobis*, eadem eſt cum 4. ad Monachos apud Euſebium Emiſenum. Hom. 25. quæ incipit, *Scimus quidem*, eadem eſt cum hom. 5. ad Monachos apud eundem Euſebium. Hom. 26. quæ incipit, *Fratres chariſſimi*, eadem eſt cum Hom. 6. ad Monachos in Emiſeno.

Sermo falsò adſcriptus Fulgentio.

INter opera Fulgentij habetur ſermo *de laudibus Mariæ*, qui citatur à [o] *Bellarmino*, & alijs, pro Inuocatione ſanctorum.

Hic ſermo idem eſt cum *ſer. 15. de Tempore* apud *Auguſtinum.* Quem *in libris quibuſdam deſcriptis tribui Seueriano*, affirmant [p] *Louanienſes.* At nec *Fulgentij*, nec *Auguſtini*, nec *Seueriani*, nec cuiuſquam, niſi male ſani videtur: quandoquidem ſcribat *Virginem Mariam*, neſcio quos *naturæ curſus in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepiſſe, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium, noua Eua ſeruando Virginitatem, ſicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Ieſus Chriſtus.* Nam non minus hoc blaſphemum eſt, quam illud *in* [q] *Floſculis ſancti Franciſci*, vbi legitur, *Mariam merito Virginitatis ſuæ ſeruaſſe omnes fœminas ad tempora cuiuſdam Claræ, contemporaneæ S. Franciſci: ſicut ipſe Chriſtus merito paſſionis ſuæ ſeruauit omnes viros vſque ad tempora eiuſdem Franciſci.*

[o] De ſanct. beatit. l. 1. c. 19.

[p] Cenſ. in To. 10. Auguſtini.

[q] Vide Vergerium, Annot. in Indicem lib. prohibit. ad An. 1559. fol. 9.

Iuſtini-

Iuſtiniani Epiſtola ad Ioh. 2. Papam eſt dubiæ fidei.

I*Vſtiniani Epiſtola* ad *Ioh.* 2. *Papam* citatur à [r] *Bellarmino*, vt probet: Romanam Eccleſiam eſſe omuium Eccleſiarum caput.

Sunt qui dicunt in antiquis codicibus hanc Epiſtolam non inueniri, inquit [ſ] *Alciatus. In recentioribus aliquot manuſcriptis codicibus hæc verba in margine notantur, Hæc Epiſtola in aliquibus non habetur, & propterea non gloſſatur Azo*; inquit Gregorius Holoander. *Epiſtolam Cæſaris ad Iohannem Archiep. vrbis Romæ, hominis docti commentitiam eſſe iudicant*, inquit [t] Iohannes Sleidanus; quod multis argumentis probat *Franciſcus Ottomannus Amicabilium Reſponſionum*, lib, 1. c.1.

r De Notis Eccleſ. l. 4. c. 5.

ſ Parerga iuris. l. 4. c. 23.

t lib. 2. de quatuor ſummis imperijs.

Commentarius falsò adſcriptus Primaſio.

P*Rimaſius* creditur à quibuſdam *Auguſtini diſcipulus*, & floruiſſe ad An. 440. *Bellarminus* verò lib. 2. de Euch. cap. 31. & alibi, floruiſſe dicit, circa annum 550. & *Auguſtini doctrinæ fuiſſe addictiſſimum.* Sub huius nomine habentur *Commentarij in Epiſt. ad Hebræos*, qui citantur à *Bellar.* [u] pro reali Chriſti in Sacram. præſentia: & , [x] pro ſacrificio Miſſæ: Et à [y] *Rhemenſibus*, pro incongrua lectione, quæ habetur apud vulgatum Interpretem Heb. 13. 16. in illis verbis, *Talibus ſacrificijs promeretur Deus.*

[z] *Salmeron*, verba faciens de Commentarijs *Primaſij & Haymonis*; *Primaſius atque Haymo*, (inquit ille) *tam ſibi ſimilia & conſona ſcribunt, vt ab vno eodemq; authore dicta videantur.* Et quidem quod ſpectat ad *Commentarios in Hebræos*, veriſſimum eſt quod ſcripſit *Salmeron*. Nam *Commentarij Primaſij in Hebræos*, ſunt ijdem per omnia cum *Commentarijs Haymonis in Hebræos*, quivixit ad An. 800. vſque adeo vt ipſiſſima verba, quæ citantur à *Coccio* To. 2. lib. 3. Art. 3. ſub nomine *Primaſij* ad An. 540. *pro merito operum*: citentur etiam ab eodem, eo ipſo loco, & eadem de cauſa, ſub nomine *Haymonis* ad An. 800.

u Lib. 2. de Euchar. c. 31.

x Lib. 1. de Miſſa, c. 6.

y Annot. in Heb. 13. 16.

z To. 13. diſput. 16 in epiſt. Pauli.

Liber Reſponſionum falsò adſcriptus Anaſtaſio Niceno.

EXtat To. 1. Bibl. vet. Pat. edit. 3. liber ſub hoc titulo, *Anaſtaſij Epiſcopi Reſponſio ad Orthodoxorum aliquorum interrogationes de diuerſis capitibus Eccleſiaſticis*, qui citatur à [a] *Baronio* Annal. To. 1. pro Auriculari confeſſione.

a Ad An. 56. nu. 38.

Ipſiſſimus liber, & ipſiſſima verba, in eadem cauſa, citantur ab [b] *Andradio* ſub nomine *Anaſtaſij Patriarchæ Antiocheni*. Atqui nec *Niceni* nec *Antiocheni* eſſe poteſt. Non *Anaſtaſij Antiocheni*, quia is familiaris erat *Gregorio Magno*, agnoſcente *Gretſero*, To. 1. defenſ. Bell. lib. 4. cap. 7. & mortuus eſt ad an. 599. teſte *Baronio* Annal. To. 8. ad an. 599. nu. 8. cum hic citet *Maximum Monachum*, qui deceſſit ex hac vita ad an. 657, & *Canonem* 85. *ſextæ Synodi*, quæ habita eſt ad an. 692. & *Nicephorum Archiep. Conſtantinopolitanum*, qui obijt an. 828. Quæ ratio euincit etiam non poſſe eſſe *Anaſtaſij Niceni*: Nam vltimus eius nominis *Niceæ* Epiſcopus, de quo legimus, ſubſcripſit *Synodo quintæ* ſub *Menna*, quæ celebrata fuit circa an. 536. Qui enim fieri potuit, vt *Nicenus*, vel *Antiochenus*, qui ſexto ſeculo vixerint, citare poſſent homines ſeptimi & octaui ſeculi?

b Orthodox. Explic. lib. 8.

Opera falsò adſcripta Gregorio Magno.

OPera *Gregorij Magni* cuſa ſunt *Pariſijs*, *Venetijs*, *Antuerpiæ*, & *Romæ*. Sed nec eodem ordine, nec æquali numero. In poſterioribus editionibus inuertitur ordo, quem obſeruarunt primæ: Et augetur numerus Tractatuum.

In poſterioribus editionibus habentur *Libri ſex Commentariorum in libros Regum* ſub nomine *Gergorij Magni*, qui citantur à *Bellarmino*, vt probet: [a] Ordinationem ſacramentum eſſe: Et, [b] Pœnitentiam ſeu Contritionem, cauſam eſſe remiſſionis Peccatorum: Et, [c] Deo ſatisfieri poſſe

a Lib. 1. de ordine cap. 3.
b Lib. 2. de Pœnit. cap. 12.
c Lib. 4. de Pœnit. c. 9.

poſſe pro pœna temporali, culpa dimiſſa: Et, [d] errare eos, qui propter verbum *Pauli, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat*, putant licere Eccleſiaſticis vxores habere.

d Lib.1. de Cleric. c.19.

Claudius Cheuallonius Typographus Pariſienſis edidit anno 1533. *Gregorij Magni omnia quæ extant opera*, vt habet libri Titulus. Attamen inter illa non reperiuntur *Commentarij* citati in *libros Regum*. Imò pagina ſecunda, idem *Cheuallonius* ex *Trithemio* obſeruat, *Commentarios in libros Regum periiſſe*. Nam poſt indicem operum *Gregorij*, ſic apud eum legimus: *Scripſit & alia nonnulla D. Gregorius, vt Iohannes de Trittenheym teſtatur, ſcilicet in quinque lib. Moyſi, in libros Regum, &c, quæ poſt ipſius mortem nondum in publicum data, æmuli eius nequiſſimi, gloriæ viz. ſancti viri inuidentes, igne perdiderunt, ſicut Ioh. Diaconus in vita Gregorij conqueritur.*

In omnibus editionibus *Gregorij* quas vidi, habetur *Explanatio in 7. Pſalmos Pœnitentiales*: quæ citatur à [e] *Bellarmino*, pro deſcenſu Chriſti ad inferos: &, pro [f] Purgatorio: Et, aliјs de cauſis.

e Lib. 4. de Chriſto, c. 14.
f Lib.1. de Purg. cap.6.

Hæc *Explanatio* non videtur eſſe *Gregorij*, primò, quia contra morem & conſuetudinem Patrum, in ſermonibus ad populum [g] citat ſubinde *Auguſtinum* & *Hieronymum*, idque cum adiuncto *beatitudinis*. [h] *Beatus* (inquiens) *Auguſtinus, Beatus Hieronymus, &c.* Secundò, quia falſiſſimè, addo etiam & impudentiſſimè, [i] dicat: *Chriſtum Romanam Eccleſiam B. Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſiſſe*, dicentem, *Tibi dabo Eccleſiam meam.* Vbi enim, quæſo, hoc ſcriptum? aut à quo vſpiam traditum? Tertiò, quia textus quem hîc explanat, alius eſt à textu quem Auguſtinus ſequutus eſt, & ab eo etiam quem ipſe, pro re nata, in genuinis libris allegat. Exempli gratia: In ſecundo *Pſalmo Pœnitentiali* textus quem perſequitur, ſic currit: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei:* cum tamen apud [k] *Auguſtinum* & in [l] *Paſtorali*, vbi *Gregorius* obiter citet hunc verſum, ſic legimus: *Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſticias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Similiter, in *Pſal.* 3. *Pœnitentiali*, pro eo quod ibidem legitur, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper:* apud [m] *Auguſtinum*

g Pſal.1. & 5.
h Pſal.4.
i Pſal.Pœnit.5.
k Expoſit. 2. in pſal.131.
l Part.3. Admonit. 30.
m Expoſit. in Pſal.47.

n Lib.8.c.15.

guſtinum, & in [n] *Expoſit. Gregorij in Iobum*, legimus; *Iniquitatem meam ego pronunciabo, & cogitabo pro peccato meo.*

o Lib.1.de confirmat.c.3.
p cap.7.
q cap. 8.
r cap.9.

Inter opera *Gregorij* habetur *Expoſitio in Cant. Cantic.* quæ citatur à [o] *Bellarmino*, vt probet: Confirmationem eſſe ſacramentum: Et, [p] Balſamum cum oleo miſceri ſolitum in ſacramento confirmationis: Et, [q] Chriſma, quod eſt materia ſacramenti confirmationis, prius conſecratum, & benedictum eſſe deberi: Et, [r] tempore *Gregorij Magni*, in vineis Engaddi Balſamum gigni ſolitum.

ſ Apparat. ſac. Gregorius Magnus.

Sciendum eſt hunc Commentarium non eſſe Gregorij Magni, (inquit [ſ] Poſſeuinus) *quippe cuius tum Expoſitio in Cant. Canticorum, tum in alia quædam poſt obitum Gregorij Magni, fuere (vt Iohannes Diaconus ſcribit) ab inuidis prius concremati, quàm editi.*

Commentarius in Cant. Cantic. qui extat ſub Gregorij titulo, nuſquam illi, ſed vbique in M. S. codicibus Iſidoro adſcriptum reperitur, inquit Iacobus Pamelius præfat. ad lectorem in D. Gregorij appendicem, To. 2. operum Greg. impreſſ. Antuerp. 1572, fol 357.

t Lib.7.Epiſt.63.
u De Ro.Pont.l.2. c.14.

Inter *Epiſtolas Gregorij* habetur [t] vna ad *Ioh. Epiſcopum Syracuſanum*, quæ citatur à [u] *Bellarmino*, vt probet, Primatum Pont. Romani.

x Colloq. cum Harto c.8.ſect.5.
y Tortura Torti pag.245.

In hac Epiſtola fit mentio cuiuſdam *Euſebij Epiſcopi Conſtantinopolitani*, cum certum, ſit, nullum *Conſtantinopoli Euſebium*, vel ætate *Gregorij*, vel multis, ſiue ante, ſiue poſt eum annis Epiſcopum fuiſſe. Quod triginta abhinc annis annotauit magnus noſter [x] *Rainoldus*: Et non ita pridem, reuerendiſſimus *Epiſcopus* [y] *Ciceſtrienſis*. Quod etiam ex Annalibus *Baronij* poteſt colligi, ſi diligentius obſeruetur, Quis, cui, in ſede *Conſtantinopolitana* ſucceſſiſſe ibidem ſcribitur.

Ad finem *lib. 12. Epiſtolarum S. Gregorij, edit. Pariſ.* 1533. habetur *Priuilegium* quod conceſſiſſe dicitur *Gregorius* Monaſterio *S. Medardi*. Hoc priuilegium citatur à multis Pontificijs, nominatim verò à [z] *Bellarmino*, & [a] *Coſtero*, vt probent, licere Pontifici Principes deponere.

z De Ro.Pont.l.2. c.19.
a Apolog. cont. Gaumatum part. 1.p.65.

Hoc *Priuilegium* commentitium eſſe ex ſubſcriptione patet. Datum eſt enim anno 593, & inter alios, ei ſubſcrip-

ſiſſe dicuntur *Auguſtinus Archiep. Cantuarienſis* & *Mellitus Epiſcopus Londonienſis*, & *Theodoricus Galliarum Rex*. Cum tamen *Auguſtinus* iſte non eſt miſſus in Angliam [b] ante an. 596. tantum aberat ab Archiepiſcopatu *Cantuarienſi* anno 593. Neque *Mellitus* erat Epiſcopus *Londonienſis* [c] ante an. 604. nec *Theodoricus Galliarum Rex* ante an. 596. Quod vſque adeo verum eſt, vt *Baronium* ipſum habeamus confitentem: Nam *aduertendum eſt* (inquit ille) *ſubſcriptionem* [d] *Epiſcoporum & Regis Francorum Theodorici haud congruere iſtis temporibus, ſiquidem complures Epiſcopi qui ſubſcripſiſſe reperiuntur, poſt aliquot abhinc annos creari noſcuntur, veluti inter alios Auguſtinus Epiſcopus Cantuarienſis, & Mellitus Londonienſis, quos conſtat neque hoc tempore profectos eſſe in Angliam, quo etiam neque Theodoricus regnabat in Gallijs.* Quæ vltima circumſtantia de *Theodorici regno*, ſupppeditat argumentum ſatis firmum, quo probemus ex ipſo Priuilegij contextu Priuilegium ficticium eſſe. Nam in contextu, *Priuilegium dicitur conceſſum ad petitionem Theodorici Regis.* Atqui nullus erat *Theodoricus Francorum Rex* qui illud peteret, per illa tempora. Nec vllum ergo priuilegium conceſſum.

b Flores Hiſtor. fol. 154. & 156.
c Beda Hiſt. Angl. l.2.c.3.
d Annal. to. 8. ad an. 593. nu. 85.

Poſt *Priuilegium* de quo diximus, habetur in edit. Pariſ. 1533. *Synodus ſub Gregorij* nomine, quæ continet Canones 16. Horum 4. citatur à [e] *Coccio*, vt probet: Cognationem ſpiritualem contrahi in baptiſmo, & matrimonium impediri.

e Theſaur. Cathol. to.2.l.1.art.4.de Matrimon.p.1027.

Hæc *Synodus* habetur ſub nomine *Gregorij minoris*, To. primo Conc. per Merlinum edit. Colon. 1530. & To. ſecundo Conc. edit. Colon. 1551. per *Crabb*, ſub nomine Gregorij 3, vel Iunioris; & ſanè citatur à [f] *Smytho Oxonienſi* ſub nomine *Gregorij Iunioris*, vt probet: eum excommunicandum eſſe qui *Monacham* ſeu *Nonnam* vxorem duxerit. Cuius nomine citatur etiam à [g] doctiſſimis quibuſdam viris, qui efficaciſſimis argumentis explicarunt *Cenſuras illuſtriſſimarum totius Italiæ & Galliæ Academiarum, de veritate illius propoſitionis, viz. quod ducere relictam fratris mortui ſine liberis, ita ſit de iure diuino & naturali prohibitum: vt nullus pontifex ſuper huiuſmodi matrimonijs contractis ſiue contrahen-*

f De Cœlibatu ſacerdot. prope finē.
g cap. 2.

dis diſpenſare poſſit. Neque ſanè alterius eſſe poteſt, ſi qui-dem verè deſcribitur in Tomis Conciliorum. Nam coacta fuit anno 6. *Leonis*, & ſecundo *Conſtantini* filij, indictione 4. vt patet ex principio & fine Concilij, quemadmodum in Tomis Conciliorum legimus. Sextus autem *Leonis* Imperatoris, & ſecundus *Conſtantini* filij, incidunt tantùm in tempora *Gregorij* 2. viz. in an. Domini 721. vt videre licet apud *Baronium.*

Gregorij Dialogi videntur ſuppoſititij.

INter opera *Gregorij Magni* quatuor eſſe *Dialogorum libros*, nemo eſt qui neſcit. Hos nupertime male feriatus quiſpiam, ex Latinis non bonis, Anglicos fecit peſſimos. Et quæ fuit impudentia hominis, *Annæ Sereniſſimæ noſtræ Reginæ* dedicauit. Citantur paſſim à [h] *Papiſtis*, pro Purgatorio, & pro Inuocatione ſanctorum, &c.

h Bell.lib. 1.de Purgat.c.6.& l.1. de ſanct. beatit. cap.19.

Veritas horum *Dialogorum* vocatur in quæſtionem à [i] *Cano Epiſcopo Canarienſi*: Quædam in illis reijcienda fatetur ille, licet timidiuſculè. Ego verò ipſum Authorem in quæſtionem voco. Multa enim videor mihi habere Argumenta, partim à ſtylo, partim à materia petita, quæ arguunt alium quemuis potiùs recentiorem, quàm *Gregorium* cognomento *Magnum*, illorum Authorem extitiſſe.

i Loc.Com.lib.11. cap.6.

Ac 1. ſi in *Gregorianis ſcriptis* magna ſit ſemper dictionis æqualitas, magna ſemper ſtyli ſimilitudo ac aptè continuata orationis ſeries: quod teſtatur [k] *Sixtus Senenſis*: Si *Gregorius* vicit eloquentia Cyprianum, vt ex ſancto [l] *Ildefonſo* probat [m] Baronius: actum eſt de his *Dialogis*, *Gregorij Magni* nullo modo poſſunt eſſe. Nam in his *Dialogis* dicendi modus valde diſſimilis eſt ei, quo vſus eſt Gregorius in libris qui agnoſcuntur ab omnibus pro ſuis. In his eloquentiæ parum, multum loquentiæ, phraſeos, & dictionis barbaries multa. Exempli gratia: In his [n] legimus, *Gregorium* ſecretum locum petijſſe, *vbi cuncta quæ infligere dolorem conſueuerunt, congeſta ante oculos licenter venirent.* In his legimus

k De falſa lib. inſcriptione ad finem l.4.
l de viris illuſt.c.2.
m Notat. in Martyrolog. Ro. Martij 12.

n In initio Dialog.

mus quæ ſequuntur, 1. *Piſces in illo loco audiri conſueuerant, non videri.* 2. *Tollite flagellum vt habeatis qualiter hoc iumentum minare valeatis.* 3. *Per culpam incuriæ ſuccenſa eſt Ciuitas.* 4. *Inhianter cupere* 5. *Septem dies ſupra te in hoc mundo viuam.* 6. *Humano fauore pulſatus*, 7. *Æquanimiter portandi ſunt mali.* 8. *Silenter vocare.* 9. *Ad melioranda lumina.* 10. *Literas funditus ignorare.* Quæ in *Matagone de Matagonibus*, aut aliquo *Antichopino*, aut in *Epiſtolis obſcurorum virorum* reperiri fortaſſis poſſint, in Gregorij ſcriptis nuſquam.

1 Lib.1.cap.1. 2 Lib.1.cap.2. 3 Lib.1.cap.6. 4 Ibid.cap. 7. 5 Ibid.cap.8. 6 Ibid.cap.9. 7 Lib.2.cap.3. 8 Lib.3.cap.14. 9 Ibib.cap.24. 10 Lib.4.cap.14.

Et, vt *ſimilia labra, ſimiles Lactucæ*: Materia horum dialogorum eſt valde *fabuloſa*, valde *ridicula*. In [o] his enim narrat, *Monialem* quandam Lactucam conſpicientem concupiuiſſe, eamque ſigno crucis benedicere oblitam auidè momordiſſe, & proptereà à Diabolo arreptam protinus cecidiſſe: cumque Diabolus eijciendus eſſet, conqueritur quaſi de iniuſtitia, clamans: *Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi ſuper Lactucam, venit illa & momordit me.*

o Lib.1.cap.4.

In his [p] narratur, *Nonnoſum* præpoſitum Monaſterij in monte *Soractis*, ingens ſaxum *oratione ſua amouiſſe, quod quingenta boum paria mouere non poſſent*: Idque eo ſolùm nomine, vt fratres locum aptum haberent, *ad condimenta olerum nutrienda*, vt [q] loquitur Dialogiſta. In his narratur *Bonifacium* puerum obtinuiſſe precibus, vt *Vulpes quæ Gallinam matris ſuæ abſtuliſſet, mox rediret, & Gallinam quam ore tenebat, dimitteret.* In [r] his narratur, eundem *Bonifacium* quadam die ingreſſum fuiſſe hortum ſuum, eumque magna *erucarum* multitudine inueniſſe coopertum, qui omne holus in eo deperibant: Ad quas cum conuerſus dixit, *Adiuro vos in nomine Domini Ieſu Chriſti, recedite hinc, atque hæc holera comedere nolite: ſtatim ad viri Dei verbum ita omnes egreſſæ ſunt, vt nec vna quidem intra ſpacium horti remaneret.*

p Lib.1.cap 7. q Lib.1.cap.9. r Ibid.

In [ſ] his narratur, *Fortunatum* quendam coxam cuiuſdam *Gothi* fractam aqua benedicta ſic ſanaſſe, vt hora eadem de lecto ſurgeret, & aſcenſo equo ita cœptum iter ageret, ac ſi nullam vnquam læſionem corporis pertuliſſet.

ſ Lib.1. cap.10.

In [t] his narratur, precibus cuiuſdam *Seueri* excitatum quendam virum peſſimum qui *à dæmonibus in Infernum deducebatur*:

t Lib.1.cap.12

ducebatur : [u] *Maurum ſuper aquas cucurriſſe*, [x] *Benedictum duas ſanctimoniales excommunicaſſe minando, non proferendo Excommunicationis ſententiam* : eaſque *poſt mortem abſoluiſſe*: [y] *puerum quendam ſepultum in terra permanere non potuiſſe, donec iuſſu Benedicti Dominicum corpus ſuper pectus poneretur*: [z] *Benedictum à Dæmone liberaſſe Monachum ſolummodo per alapam quam dedit Monacho obſeſſo*. [a] *Ligatum ruſticum ſolo aſpectu Benedicti vinculis ſolutum*: [b] *Equum qui Iohannem Papam portauit, mulierem amplius ferre noluiſſe*. [c] *Herculani caput corpori poſt mortem reunitum*. [d] *Urſum paſtorem ouium effectum eſſe*, [e] *Diabolum diſcalceaſſe quendam Presbyterum*.

[f] Illuſtrem virum *Stephanum* in vrbe *Conſtantinopolitana* mortuum eſſe, ſed per errorem. Nam cum apud inferos *præſidenti illic Iudici præſentatus fuiſſet*, ab eo receptus non eſt, inquit Author iſte. Iudex ſiquidem dixit, *Non hunc adduci, ſed Stephanum Ferrarium iuſſi. Atque, ita ille reuixit, & ſimul Stephanus Ferrarius qui in vicinia morabatur, obijt*. Hæc, & ſexcenta fere iſtius generis, in his Dialogis narrantur, quæ arguere videntur Dialogos iſtos *Gregorij* non eſſe. Quis enim ſine iniuria *Gregorij* ſuſpicari poſſit, Gregorium tam ſtultè credulum, vt tam anilibus fabulis, vel aurem præberet ipſe, vel fidem adhibere vellet alios?

Sed vt progrediamur. *Doctrina*, quæ in iſtis traditur, ſuſpectum reddit Authorem: quippe quæ contraria eſt doctrinæ quam in genuinis *Gregorij* libris didicimus. In iſtis enim [g] *Dialogis* traditur, *Ignem quo torquentur animæ in inferno eſſe corporeum*; cum tamen in [h] *Libris Moralium* qui certiſſime *Gregorij* ſunt, inuenimus: *Ignem inferni eſſe incorporeum*. Sic enim legimus: *Ignis corporeus vt eſſe ignis valeat, corporeis indiget fomentis. — At contra gehennæ ignis cum ſit incorporeus — nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur: ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſuccenſione non indiget, & ardore non caret*. Quæ Lectio, licet mendoſa ſit habita à [i] *Bellarmino*, ipſiſſima eſt *Gregorij*, vt ex noſtris pluribus oſtendit vir beatæ memoriæ [k] *Ioh. Raynoldus* in prælectionibus; & ex Pontificijs, [l] *Iohannes Pineda*, ſocietatis Ieſu, Commentarijs in Iob, de quibus *Didacus Villa* in cenſura operis impreſſi *Madriti* 1597. hoc ſcripſiſſe [m] fertur

u Lib.2.cap.7.
x Lib.2.cap.23.
y Ibid.cap.24.
z Ibid.cap 30.
a Ibid.cap.31.
b Ibid.cap.2.
c Ibib.cap.13.
d
e Lib.3.cap.20.
f Lib.4.cap.36.
g
h Lib.15.cap.14.
i Lib.2.de Purg. cap.11.
k Prælect.52.& 60.
l
m Poſſeuin in Apparat.ſac.verbo, Ioh.Pineda.

tur, *Opus quod fidei nihil habet aduerſum, & Eccleſiæ Catholicæ eſt vtiliſſimum, in quo elucet magnum & fœlix Authoris ingenium, ſtupenda eruditio: trium linguarum peritia mirabilis: Varia veterum Patrum lectio, & electio rara in eruendis, explicandiſque genuinis, & huc vſque non auditis Iobi ſenſibus, inaudita fœcunditas, miraque dexteritas, vnà cum modeſtia, pietate etiam ſingulari. Ioh.* (inquam) *Pineda* in Commentarijs ſuis in Iob, quos tantopere prædicat *Didacus Villa*, legendum eſſe, [Incorporeum] non [Corporeum] acriter contendit. Ita vt hîc dici poſſit, quod olim in ſimili cauſa dixit [n] *Epiphanius*, *Quomodo Cerinthi erunt, quæ contra Cerinthum dicunt?* Quomodo hi *Dialogi* erunt *Gregorij* 1. qui contra *Gregorium* primum dicunt? n Hæreſi 51.

Fragmentum ſub nomine Petri & Iohannis, Gregorij 1. *Diaconorum, eſt ſuppoſititium.*

IN *Bibliotheca Vaticana*, pluteo 3. nu. 153. in codice *Dialogorum S. Gregorij*, ad finem appoſita ſunt quædam, velut additamentum ſub nomine *Petri & Iohannis, Gregorij Diaconorum*. Hoc fragmentum citatur ab [o] *Alfonſo Ciacone*, vt probet precibus Gregorij Traiani animam fuiſſe ab inferis liberatam. o Apolog. pro Hiſtoria Traiani.

Hoc teſtimonium mihi valde ſuſpectum eſt, inquit [p] *Bellarminus. Nam ſi illud eſſet vere Petri Diaconi, non diceret Ioh. Diaconus, hiſtoriam hanc non extare in Romana Eccleſia, ſed ſolum apud Anglos. Præterea iſte Petrus dicit, Gregorium à Deo petiuiſſe vt quotquot ſepelirentur in Eccleſia S. Andreæ in cliuo Scauri, non poſſent damnari, dummodo fidem tenuerint Chriſtianam; & impetrauiſſe. At certe Gregorius vir prudentiſſimus nunquam ita oraſſet: nam vel intelligit de fide informi, vel de formata. Si de informi, ergo voluiſſet ſaluari homines ſine charitate; quod quis credat? ſi de formata, non erat opus petere, nam vbicunque ſepeliatur, qui moritur cum charitate, damnari non poteſt. Adde quod totum illud fragmentum redolet nouitatem, & proinde ſuppoſititium videtur, &c.* In eadem ſententia eſt [q] *Baronius Cardinalis*, ſic enim ille, *Non iſta Petrus atque* p Lib 2. de Purg. cap. 8. q Annal. To. 8. ad An. 604.

Iohannes S. Gregorij Papæ Diaconi dixere, vel ſcripſere, neque iſtius temporis ſcriptio illa eſſe probatur, ſed longe poſterioris ſeculi. Atque ne quiſquam illi ſcriptioni magis fideret, quòd in Bibliotheca Vaticana reperiretur, ſubiungit: *Execratione inſectanda ſunt, quæ nomine Petri & Iohannis Diaconorum S. Gregorij in medium afferuntur ex codice Vaticano ſcripta, quæ ob id recipienda ſimplices putant tanquam diuinum Oraculum, quaſi non omnis Bibliotheca referat ſimilitudinem ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere piſcium congregantis, bonos & malos continens libros, &c.*

Opera falsò adſcripta Iſidoro Hiſpalenſi.

INter opera *Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis*, habetur liber *de vita & morte ſanctorum*, qui citatur à [a] *Bellarmino*, vt probet S. Petrum Romæ mortuum eſſe, &, [b] vſque ad mortem Epiſcopum fuiſſe: à [c] *Coccio*, vt probet: Petrum vniuerſæ Eccleſiæ Principem & Paſtorem ab ipſo Chriſto conſtitutum fuiſſe: à [d] *Lyppomano*, vt probet: ſanctum Iacobum prædicaſſe in Hiſpania. Cui rei probandæ citatur etiam à [e] *Ioh. Mariana*, qui ſtatim ſubijcit: *Quis eſt tanta confidentia qui ſuum iudicium præferat Iſidoro, præſertim de rebus Hiſpaniæ?*

[f] *Lyppolous* To. 2. de vitis ſanctorum affirmat, *Cardinalem Baronium cenſere hunc librum alterius cuiuſpiam potius eſſe quam Iſidori.* Atque in eo quidem vere *Lyppolous*. Nam in [g] Annalibus, *Pſeudo-Iſidorum* appellat: Et in [h] Notat. in Martyrologium Ro. *alterius cuiuſpiam potius quam Iſidori opus eſſe*, diſertis verbis affirmat. Vt omitam dicere, quòd in illis [i] Notationibus alibi dicat, *non immerito adduci in controuerſiam an ſit liber ille Iſidori, cum complura in eo indigna Iſidoro reperiantur coagmentata mendacia*: Et [k] alibi, *ſe non dicturum librum eum Iſidori eſſe.*

Ad initium To. 1. Conc. habetur *præfatio de origine Conciliorum, &c.* quæ *Iſidori Hiſpalenſis* cenſetur eſſe tum à *Poſſeuino*, tum ab alijs, Hæc citatur à [l] *Coccio*, vt probet: Ro. Pont. verum eſſe ſucceſſorem Petri: à [m] *Pighio*, vt probet:

a De Ro. Pont. l. 2. c. 5.
b Cap. 4.
c To. 1. l. 7. de Hierarch. Eccl. art. 4. p. 809.
d De viris ſanct. part. 1. p. 361.
e De Aduentu Iacobi in Hiſp. cap. 7.
f Vita Iſidori April. 4.
g To. 9. ad an. 816. nu. 50.
h Maia. 1. 2.
i Iulij 25. a.
k Auguſt. 25. a.
l To. 1. lib. 7. de Hierarch. Eccl. art. 6. p. 843.
m Lib 6. Hierarch. Eccl. c. 6.

bet: Anacleti Papæ Epiſtolam illius genuinam eſſe: à [n] *Bellarmino*, vt probet Epiſtolas decretales Clementis, Anacleti, Euariſti, Alexandri, &c. antiquiſſimas eſſe: Et à [o] *Turriano*, vt probet: Epiſtolas Decretales ad vnum omnes eorum eſſe quorum nomina præ ſe ferunt. Qui quaſi geſtiens præ gaudio de tanto teſtimonio, ſubiungit: *Annon eſt fide dignus author, & in numero Patrum S. Iſidorus?*

n Lib. 2. de Ro. Pont. c. 14.
o Pro Epiſt. Pont. l. 5. c. 23.

Hæc *Præfatio* non eſt *Iſidori Hiſpalenſis*. Nam in hoc fit mentio *Concilij Toletani* 11. quod habitum fuit circa an. 675. imo, *Sextæ Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Agathone Papa*, & *Conſtantino Imperatore* contra *Macarium* & ſocios eius, quod habitum fuit circa an. 681: cum conſtet *Iſidorum Hiſpalenſem*, teſtibus [p] *Baronio*, & [q] *Poſſeuino*, obijſſe ad an. 636.

p Annal. to. 7. ad an. 636.
q Apparat. ſac. verbo, Iſidorus Hiſpal.

Longe ante eius Synodi (intelligit Toletan. 11.) *ac Papæ Agathonis tempora, Iſidorus Hiſpalenſis ex humanis deſierat*, inquit [r] Baronius. Ex eo [ſ] colligens, erraſſe & *Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum, Trithemium*, & alios qui *præfationem* illam tribuant *Iſidoro Hiſpalenſi*, quandoquidam in illa *præfatione* fit mentio *Conc. Toletani* 11, ac *Agathonis Papæ*. Videat Lector de hac re *Ioh. Rainoldum* in Colloq. cum Harto cap. 8. ſect. 3. &, in Prælect. de lib. Apoc. 179. Quibus addantur & quæ Baronius * in Annalibus habet de Iſidoro iſto Collectore, quem *Mercatorem dictum, & Hiſpalenſi longe recentiorem, circa Caroli Magni tempora vixiſſe* affirmat, *merceſque*, vti appellat, *mercatoris iſtius ab Hincmaro Rhemenſi, emunctioris naris homine, narrat ſugillata.*

r Notis in Martyr. Ro. April. 4.
ſ Ibid.
* Tom. 10. anno 865. nu. 5. 6. 7.

Opus falsò adſcriptum Sophronio Patriarchæ Hieroſolymitano.

EXtat liber qui inſcribitur *Pratum Spirituale*, excuſus ſeorſim Coloniæ anno 1583. quem videre licet To. 2. Bibl. ſanct. Pat. edit. 3. Hic citatur à [t] *Copo*, ſub nomine *Sophronij Patriarchæ Conſtantinopolitani*, pro Cruce: Et [u] alijs de cauſis. Atque quo pluris ſint teſtimonia ab illo petita: *Fuit certe Sophronius*, (inquit [x] Copus) *pietate ac doctrina ſingulari. Is inſignem quendam*

t Dial. 4. c. 6.
u Dial. 3. c. 25. & Dial. 5. c. 6.
x Dial. 3. c. 26.

dam ſumma & ſingulari quadam fide librum contexuit, (*Pratum ſpirituale* notat) *in quo multa ſunt quæ penitus euertant nouam omnem Theologiam, maxime vero eam, quæ vel vitam Monaſticam, ſanctorum honorem, ac miracula impugnat: vel ferre non poteſt, quòd homines ſacrilegi per ſanctos defunctos caſtigantur.*

Hic liber non eſt *Sophroniȷ*, ſed cuiuſdam *Abbatis* qui dicebatur *Iohannes*, vt conſtat ex cap. 77. Atque hoc agnoſcit
y Præfix Enchirid. Contron.
[y] *Coſterus* Ieſuita: Nam in *Tabula* Doctorum, *Iohannes Euiratus* (inquit) *author Prati ſpiritualis*. Quod & ex Epiſtola præfixa manifeſtum eſt, quæ præfationis loco poſita eſt: Scripta eſt enim à *Ioh. Euirato*, & inſcripta *Sophronio* cuidam, non *Hieroſolymorum Epiſcopo*, ſed *Sophiſtæ*, quem *filium* iterum atque iterum appellat. Sunt, qui *Iohannis Moſchi* nomine allegant, è quorum numero eſt
z In Theſaur. Cathol.
[z] *Coccius*: atque ſane, in Bibl. vet. Pat. hunc Titulum præ ſe fert; *Abbatis Iohannis Moſchi cognomento Euirati, Pratum ſpirituale*. Sunt, qui nullius nomine allegant, è quibus
a Lib. 2. de imagi. c. 12.
[a] *Bellarminus* eſt præcipuus. Nec multum reuerà refert cuius ſit, *cum quiſquis fuerit author, hic nonnunquam inſerit ea, quæ parum tutam fidem habent, quæ & vel relata à non fide dignis, atque interdum aſperſa mendacio, cum delectu ſecernenda ſunt ab aliȷs*, vt teſtatur
b Apparat. ſac. verbo, Sophron.
[b] Poſſeuinus. Nec Poſſeuinus modo, ſed &
c To. 5. Annal. ad an. 407. nu. 35.
[c] Baronius. Qui vnum aut alterum mendacium in vnica narratione ex *Sophronio* obſeruans, concludit in hæc verba, *Cum hæc compingat ea narratione mendacia: quæ fides in reliquis?*

Epiſtola conficta ſub nomine Leonis 2.

IN Tomis *Epiſt. Pont. Rom. inter Epiſtolas Leonis* 2. habetur vna Epiſtola, quæ dicitur miſſa *ad Conſtantinum Imperatorem*: hæc citatur à
d To. 1 l. 7. art. 21. p 659. de Hierarch. Eccleſ.
[d] *Coccio*, vt probet: Epiſcoporum Concilia à ſummo Pontifice approbata, ſummæ eſſe authoritatis.

e Annal. to. 8. ad an. 683. nu. 13. & 14.
f Apparat. ſac. verbo, Leo. 2.
g Not. in Epiſt to. 3. Conc. pag. 113.
Quæ ad Conſtantinum reddita habetur Epiſtola Leonis, arguitur in multis impoſtura eſſe, inquiunt [e] Baronius, [f] Poſſeuinus, [g] Binnius.

Ibidem

Ibidem habetur altera Epiſtola ſub nomine *Leonis* 2. *præſulibus in Hiſpania conſtitutis*, quæ citatur à [h] *Coccio*, vt probet: Romanos Pontifices inde vſque ab initio ſemper primatum agnouiſſe, defendiſſe, & in alijs Eccleſijs exercuiſſe,

h To. 1. l. 7. art. 7. p. 865.

Epiſtolæ quædam Leonis 2. *nomine circumferuntur quæ fide carent, atque adeo fuere confictæ, qualis illa quæ ſcripta eſt ad Hiſpanos*, inquit [i] Poſſeuinus. *Hanc cum tribus ſequentibus Baronius velut ſpurias reijcit*, inquit [k] Binnius, & id quidem vere: nam, *Non eſſe eas Leonis Epiſtolas, ſed potius Leonis nomine ſuppoſitas quilibet poterit facile exiſtimare*, inquit [l] Baronius.

i Loco citato.
k Loco citato.
l Annal. to. 8. ad. nu. 683. nu. 17.

Opera falsò adſcripta Bedæ.

INter opera *Bedæ*, To. 3. habetur ſub nomine *Bedæ*, *Vita Bertolfi Abbatis*, quæ citatur à [m] *Bellarmino*, vt probet, quòd Beda Honorium Ro. Pont. pro ſancto viro habuerit, etiam poſt mortem.

m Lib. 4. de Rom. Pont. c. 11.

Is, qui vitam *Bertolfi Abbatis* ſcripſit, erat (vt declarat ibidem) comes itineris *Abbati* ad *Honorium*, quum priuilegium iſtud, nequid iuris vlli Epiſcoporum eſſet in *Bobienſe Cœnobium*, à Papa peteret atque impetraret. *Honorius* verò mortem obierat annis triginta priuſquam *Beda* naſceretur, vt docet [o] huius narratio de vitæ ſuæ curſu, collata cum *annalibus* de illius obitu. Vitam igitur *S. Bertolfi Beda* non ſcripſit. Atque hoc probatur porro à *Ioh.* [p] *Rainoldo*, ex *Molano*, *Surio*, *Baronio*, qui omnes eam à *Iona* quodam ſcriptam eſſe, non à *Beda* perhibent: quibus adiungi poteſt *Poſſeuinus*. Nam *Ionas Scotus ſcripſit vitas S. Columbani, Attalæ, Euſtathij & Bertolfi Abbatum, quæ excuſæ ſunt in vitis ſanctorum Surij, manifeſto eorum errore, qui eas Bedæ To.* 3. *tanquam huius ipſius fœtum aſcripſerunt*, [q] inquit ille.

o Beda Eccle. Hiſt Angl. l. 5. c. vlt.
p Apolog. Theſium nu. 46. p. 455. &c.
q Apparat. ſac. verbo, Ionas Scotus.

Opera falsò adſcripta Ioh. Damaſceno.

INter opera *Damaſceni*, habetur *Liber de ijs qui in fide migrarunt*, qui citatur pro Purgatorio, ab [r] *Alano*, [ſ] *Pereſio*, [t] *Bellarmino*, & alijs Pontificijs. Et quidem multa præclara dicuntur tum de *opere*, tum de *Authore operis*. *Sermo ille de iuuandis Chriſti fidelibus, in Chriſto mortuis, inſignis eſt*, inquit [u] Salmeron. *Ioh. Damaſcenus vir magnæ ſanctitatis, & grauitatis erat*, inquit [x] idem.

r Lib. de defunctis c. 14.
ſ De Tradit.
t Lib. 1. de Purgat. cap. 6.
u In 1. Cor. 15. diſput. 26.
x Ibid.

Hunc librum non eſſe *Damaſceni* fatentur ipſi Pontificij. *Librum iſtum nō eſſe Damaſceni non iniuriâ videri poteſt*, inquit [y] Ioh. Lenſæus. *Opus illud quod Damaſceno tribuitur, merito creditur non eſſe illius, quia in ea oratione habetur alius error ſupra reprobatus, & contrarius doctrinæ eiuſdem Damaſceni lib. 2. de fide cap. 4. Item quia incredibile eſt Gregorium oraſſe pro Traiano Imperatore, cum ipſe lib. 34. Moralium cap. 13. doceat, non eſſe orandum pro damnatis*, inquit [z] Suarez. Quid quod etiam ipſe *Bellarminus* qui hîc citat hanc orationem ſub nomine *Damaſceni*, pro Purgatorio; alibi plane negat eſſe *Damaſceni*, & id *facile probari poſſe* [a] *affirmat*? Eſt? & non eſt? eſt Damaſceni? &, non eſt Damaſceni? Quam lubricus & inconſtans eſt Dominus Cardinalis? Doctrina quam Paulus Eccleſiæ tradidit, non fuit *etiam* [r] & *non*. At doctrina quam Cardinalis hîc tradit, eſt *etiam*, & *non*.

y De Limbo, lib. 3. c. 12.
z In 3. Part. Tho. q. 52. att. 8. diſput. 43. ſect. 3.
a Lib. 2. de Pur. cap. 8.

Inter opera *Damaſceni*, habetur *Hiſtoria de Barlaam & Ioſaphat*, quæ citatur ab [b] *Alano* pro Exequijs mortuorum, in eaque vrgenda multum inſiſtit ille, quaſi quæ ab eo dicuntur eo loci, *omnia hæreticorum ora obſtruerent*.

b Lib. ſupra citato c. 6.

Verùm non defuiſſe qui de illa *Hiſtoria* ambigebant, num *Damaſceni* eſſet, fatetur Poſſeuinus. Imò *Bellarminus* ipſe dubitat, an ſit *Hiſtoria*, vel potius *res ficta*. *Quomodo enim poterat Ioſaphat qui nec de Scriptura aliquid audiuerat, mox vt conuerſus fuerat, in ſuis tentationibus varijs Scripturæ locis memoriter recitatis ſe communire, ſi ſit Hiſtoria?* inquit Bellar. Deinde dubitat, an ſit *Damaſceni*, quum lib. 1. *de fide*

c Apparat. ſac. verbo, Damaſc.
d In Indice M. S. Scriptorum Eccleſ. cum Cenſuris.
* Lib. de ſcript. Eccl. Ad An. 731.

cap.

cap. 11. aperte doceat, *Spiritum ſanctum non eſſe ex filio: Author verò huius operis introducit Barlaam, docentem filium Regis, vt credat in ſpiritum ex Patre filioq; procedentem.* Quæ ratio adeo cogens eſt, vt eludi nullo modo poſſit, niſi abradendo ex textu verba quædam Barlaam, viz. ex filio: quod feciſſe Billium in noua editione, teſtatur euidentia facti, & Bellarminus ipſe, qui vt Billij famæ conſulat, ne plagiarius videatur, particulam *ex filio* videri additam ab aliquo, nugatur.

Idiotæ viri ſancti, de Virgine Maria Contemplatio eſt ſuppoſititia.

IN [e] Bibl. Sanctorum Patrum, edit. primæ, habetur *Tractatus* ſub nomine *Idiotæ* cuiuſdam, qui inſcribitur, *De Virgine Maria Contemplatio.* In huius Tractatus frontiſpicio, hæc Annotatio præfixa eſt: *Hanc ſuſtulerunt hæretici ex editione Germanica, ſed tibi, ô Lector, poſtliminio ex Pariſienſi editione Anno* 1538. *reſtituimus:* quod & obſeruatur à [f] Poſſeuino. Quaſi *Germani* ſubueriti eſſent, ne *Contemplatio* tam diuina, ad eorum confuſionem, mundo innoteſceret. *Hic Idiota floruit ad An.* 800. inquit [g] Coccius. *Hic vetuſtus Author paulò poſt Ann.* 800. *floruit*, inquit [h] *Bellarminus.* Et citatur ab vtroque vt probet: B. Virginem Mariam ſine peccato originali conceptam fuiſſe.

[e] To.3.edit.Pariſ. 1576.& To.3.edit. 3.

[f] Apparat.verbo, Idiota.

[g] Catal.Author præfix.To.1.

[h] De Amiſſ. grat. lib.4.c.15.

[i] Hic *Idiota*, verè fuit *idiota.* Nam opinione ſua, *B. Virgo eſt aduocata noſtra apud Filium, ſicut Filius apud Patrem. Quos iuſtitia Filij poteſt damnare, Matris miſericordia liberat. Salus noſtra in manu illius eſt.* Nec poteſt eſſe tam vetuſtus Author, ac prædicant Papiſtæ, quondoquidem tam aperte loquitur de *Virginis Mariæ* immunitate à peccato, non *Mortali* modò, ſed & *Veniali*, & *Originali.* Quod tandem aliquando *Bellarminus*, licet alia ratione motus, confitetur. Sic enim ille in lib. [k] Recognition. *Scripſi Authorem nomine Idiotam vixiſſe paulò poſt An.* 800. *à natali Domini. Id autem ſcripſi ſequutus fidem aliorum, ſed poſtea animaduerti verba S. Bernardi vſurpari, ex quo colligitur vt vixerit poſt An. Domini*

[i] Bell.loco citato. Coccius To.1.l.3. de Deipara.Art.1. p.266.

[k] Pag.94.

Domini 1153. *hoc enim Anno S. Bernardus obijt.* Hæc ille, qui tamen in poſtremo libro *de Eccleſiaſticis ſcriptoribus*, ferme ad vomitum redijt, dum *Idiotam* recenſet ad An. 902.

Turpini Hiſtoria eſt ſuppoſititia.

Turpini Hiſtoria, de rebus geſtis à *Carolo Magno*, citatur à [l] *Iacobo de Voragine*, vt probet Purgatorium.

l Legend. in Commemorat. animarum.

Libellum qui Turpino affingitur, ab homine imperito ac mendaci, ſcriptum multa arguunt, inquit [m] Poſſeuinus. *Eſt mentitus Author, fabuloſus, ſomniorum ac fabularum vanus contextor ſub nomine Turpini*, inquit [n] Baronius. *Libellus ille Turpini, vt rectè ait Maſſonus, ab homine ocioſo in gratiam iuuentutis ſcriptus videtur*, inquit idem, quem mòdo nominaui, [o] Poſſeuinus. Atque *mendacem* eſſe ex eo probat, quòd cum *Turpinus Archiep. Rhemenſis* videri vellet, mentionem faciat in 32. capite, mortis *Caroli*, quum *Turpinus* aliquot annis ante *Carolum* emortuus ſit. *Hiſtoria de Carolo Magno inſcripta Ioh. Turpino Rhemenſi Archiep. excuſa eſt Francofurti An. 66. cuius tamen Sigebertus non meminit, nec à doctis probatur*, inquit [p] Molanus.

m Apparat. ſac. verbo, Turpinus.
n Annal. To. 9. ad An. 812. nu. 18. vide ad An. 816.
o Loco citato.
q Annot. in Vſuard. Martyrolog. Ian. 28.

Liber Aimoino falsò adſcriptus.

Aimoinus vixit circa An. 840, teſte *Bellarmino* lib. de ſcript. Eccleſiaſticis, ad An. 837. Sub huius nomine extant libri quinque *de geſtis Francorum*: quorum poſtremus citatur à *Bellarmino* in *Appendice* ad lib. de ſummo Pont. cap 8. vt minuat fidem *Arnulfi Epiſcopi Aurelianenſis*, qui *Papam Antichriſtum eſſe* dixerat.

Libenter aſſentior ijs, qui librum 5. vſque ad natiuitatem Philippi Auguſti, id eſt, An. Redemptoris orbis 1165. protenſum, non eſſe Aimoini, ſed alterius cenſent, inquit Iacobus du Breul, præfat. ad Aimoinum 1603.

Aimoinus

Aimoinus, Hiſtoriam Francorum ad hæc tempora conſcripſit, viz. 844. *ipſo teſte lib.*4. *cap.*13.*& aliàs ſæpe. Certiſſimum Argumentum falsò ei aſcribi integrum librum quintum, cum contineat Hiſtorias vſque ad Annum* 1165. inquit Pontacus, Chronographiæ lib.2. ad An. 844.

Aimoinus Hiſtoriam perducit ad An. Domini 840. *Reliqua vſque ad An. Domini* 1165. *ab aliquo addita eſſe videntur,* inquit Bellarminus de ſcript. Eccleſ. ad An. 837.

Opera falsò adſcripta Anſelmo.

ANſel. in 1. Cor. 3. citatur à [q] *Bellarmino,* pro Purgatario. Anſel in 1. Cor. 11. citatur ab [r] eodem, pro Chriſti in ſacramento reali præſentia. Anſel. in 2. Cor. 5. [ſ] citatur, pro immaculata conceptione Virginis Mariæ. Et Anſel. in 2. ad Tim. 2. [t] citatur, pro libero arbitrio.

q Lib. 1. de Purg. c.6.
r De Euch. lib.2. cap.36.
ſ De Amiſſ. gratiæ l.4.c.15.
t Lib. 5. de gratia & lib. Arbit. c.26.

Hi *Commentarij* perperam adſcribuntur *Anſelmo*, vt patet cum ex ipſis *Commentarijs*, tum aduerſariorum confeſſione. In his [u] *Commentarijs* ſic legimus: *Omnes mortui ſunt in peccato, nemine prorſus excepto, dempta matre Dei.* At hæc doctrina reprobata eſt prorſus in in genuinis *Anſelmi* ſcriptis. Sic enim in [x] ijs legimus: *Licet Chriſti conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa, vnde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius, & cum originali peccato nata eſt, quia & ipſa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt.* Quare rectè hîc dicere poſſumus quod [y] *Baronius* in perſimili cauſa ſcriptum reliquit: *Procul abſit vt Hilarij eſſe dicamus, quæ aduerſus ea quæ in germanis Hilarij ſcriptis reperiuntur, pugnare noſcuntur.* Procul abſit vt Anſelmi eſſe dicamus, &c.

u 2. Cor.5.
x Lib.2.c.16. cur deus homo.
y Annal. To.8.

Spurium eſſe fatentur aduerſarij. *Heruæus Natalis ſcripſit hos Commentarios in Epiſtolas Pauli qui falsò adſcribuntur Anſelmo*, inquit [z] Poſſeuinus. Et [a] alibi. *Non Anſelmo, ſed Heruæo, qui putatur ante* 250. *annos vixiſſe, vetuſta exemplaria, & docti viri, inter quos fuit* * *Simon Fontanus vir acris iudicij, aſcribunt Commentarios in Epiſtolas Pauli.*

z Apparat. Heruæus.
a Apparat. Anſelmus Cant.
* In Epiſt. dedicat. ad Epiſc. Niuernenſ. edit. Pariſ. 1549. præfixâ.

In Paulum Apoſtolum Commentarios, in vetuſtis exemplaribus Herueo Monacho inſcriptos inuenimus, inquit[b] *Sixtus Senenſis.*

b Bibl. lib. 4. Anſelmus.

Commentaria in Epiſtolas S. Pauli in editione Pariſienſi, anni 1544. *tribuuntur Herueo, non Anſelmo: & videtur iſta inſcriptio verior, primò quia hoc opus tam prolixum & magnum ab Edmero non numeratur inter opera S. Anſelmi. 2. quia Heruei habet vetus inſcriptio, &c.* inquit Bellar. lib. de ſcript. Eccleſ. ad An. 1081.

Anſelmus in cap. 5. & 19. Matthæi, citatur à *Bellarmino*, lib. 1. de Matrimonio, cap. 16. vt probet, Matrimonium inſolubile eſſe quoad vinculum.

De Commentario in Matthæum ambigo, an ſit S. Anſelmi. Non enim credibile eſt, ab Edmero potuiſſe omitti, qui tam minute eius Opuſcula numerauit. Adhæc in editione Pariſienſi, an. 1544. *in qua dicuntur eſſe omnia opera ſancti Anſelmi, Commentarius in Matthæum non inuenitur*, inquit Bellar. de ſcript. Eccleſ. ad An. 1081.

Anſel. de excellentia B. Virginis Mariæ, citatur à Bellarmino lib. 1. de ſanct. beatit. cap. 19. pro Inuocatione ſanctorum.

Opuſculum de excellentia B. Virginis non videtur Anſelmi, non ſolùm quia eius non meminit Edmerus, ſed etiam quia non habet ſtylum, neque grauitatem Anſelmi, inquit Bellar. loco citato.

Anſelmi Epiſtola ad Coepiſcopos Angliæ, citatur à[c] *Bernardino de Buſti*, pro immaculata Virginis conceptione.

c Officium de concept. virg. Lectio 3. die 7. fol. 55. in Mariali impreſ. Pariſ. 1515.

Frater[d] *Gabriel Barelat* affirmat, *hæc verba non eſſe verè Anſelmi, ſed conficta ab aliquo volente decipere ſtolidum vulgus.*

d Ser. de ſanct. impreſ. Pariſ. 1507.

Commen-

Commentarij Oecumenio falsò adſcripti.

OEcumenius in 1. Cor. 11. citatur à [e] *Bellarmino*, pro reali præſentia: Et in 1. Cor. 3. citatur ab [f] eodem, pro Purgatorio: Et in 1. Tim. 3. 8 pro cœlibatu ſacerdotum.

e Lib. 2. de Euch. c. 36.

f Lib. 1. de Purg.

g Lib. 1. de Clericis, c. 19.

Quamuis in Sixto Senenſi, & ab alijs hactenus, Oecumenius habitus ſit Scholiorum ad Epiſtolas Pauli author, rectè tamen mihi ſcripſit Fronto Duceus, ea non eſſe Oecumenij, niſi ex parte: Neque vero authorem illius Catenæ tam antiquum fuiſſe; inquit [h] Poſſeuinus.

h Apparat. Oecumenius.

Bernardo opera falsò adſcripta.

BErnardus de Cœna Domini citatur à [i] Gregorio de Valentia, pro Tranſubſtantiatione. *Pulchrè* (inquit ille) *Diuus Bernardus, Hoſtia quam vides, &c.* Citatur etiam a [k] *Benedicto Verniero*, pro reali Chriſti in ſacramento præſentia.

i Lib. 2. de tranſubſtant. c. 3. p. 387.

k Magnum & vniuerſ. conc. de ſacroſanc. Euch. ad an. 1140.

Iohannes [l] *Garetius* eadem omnino verba citat, quæ Greg. de Valentia & Vernierus: ſed citat tanquam ex *ignoto Auctore* & ex ſermone *de Sacerdotali dignitate*, obſeruans tamen in margine, *Bernardo Abbati aſcribi*: Verùm falſò aſcribi *Bernardo Abbati*, teſtatur ille quicunque tandem fuit, qui edidit *Barnardi opera Pariſijs* 1517. Is enim *pagina* 297 præfixit ſermonibus quibuſdam, inter quos, hic *in Cœnam Domini*, vnus eſt, hanc Annotationem. *Quamuis hi qui ſequuntur ſermones boni & vtiles reperiantur, quia tamen procul dubio non à noſtro Bernardo editi fuerunt, idcirco cum ſuis nitidis operibus, ſicuti antehac fuerant, interſeri noluimus, ſed ſeorſum imprimendos vtilius duximus.* Atque [m] alibi, *Nec eius ſtylum, mira ſque ſpiritum redolere* ait, *ac propterea ne opus præclariſſimum, talium inculcatione obtenebretur, peritorum conſilio reieciſſe.* [n] *Bellarminus* ipſe, ſermonem hunc de Cœna, *longe diſtare* dicit *à ſtylo S. Bernardi.*

l Lib. de Conſenſu vniuerſ. Eccleſ. de veritate corp. Chriſti in ſacram. Tit. auctores ignoti.

m Fol. 272.

n Lib. de ſcript. Eccleſ. ad an. 1130.

Opera falsò adſcripta Thomæ Aquinati.

BEllarminus *de Tranſlatione Imperij Romani* lib. 3. cap. 1. citat librum *Tho. Aquinatis de Regimine Principum*, vt probet: Electores ante Frederici 2. tempora deſignatos.

Non eſſe S. Thomam eorum librorum authorem multa oſtendunt, [o] inquit Bellarminus, *ſed præcipue id quod habetur in lib. 3. cap. 20. de ſucceſſione Adolphi & Alberti Imperatoris: ſcribit enim auctor eorum librorum ſuo tempore id accidiſſe, vt Adolphus Rodolpho, & Albertus Adolpho ſuccederet; conſtat autem S. Thomam obyſſe an. ſalutis 1274. Adolphum autem ſucceſſiſſe Rodolpho an. 1292, & Albertum Adolpho an. 1299. Fieri igitur non poteſt vt S. Thomas eorum librorum ſit author, cum tot annis ante Adolphi & Alberti imperium de vita migrauerit.*

[o] Lib. 5. de Ro. Pont. c. 5. & de ſcript. Eccl. ad an. 1265.

Eraſmo falsò tributa nonnulla.

E raſmus in Epiſt[illegible] Neocomum citatur à [p] Bellarmino, vt probet: Mores Euangelicorum eſſe peſſimos.

Theologus quidam Dominicanus *Lutetiæ*, *Eraſmo* viuo, (quod [q] *Eraſmus* liquidò conuincit, meritoque taxat) quædam *Eraſmi* nomine ſcripſit, & excudit, ad fidem Pontificiæ doctrinæ conciliandam illius authoritate, quæ ille nunquam ſomniauit. Quanto credibilius eſt hoc factum eo mortuo? Certè, eo viuo, vel mortuo, hanc Epiſtolam confictam fuiſſe credibile eſt, cum in libro Epiſtolarum ſuarum quem excudit *Frobenius*, nulla talis reperiatur. Nam liber ille *complectitur Epiſtolas vniuerſas quotquot Eraſmus vnquam euulgauit, aut euulgatas voluit*, vt ex [r] Titulo patet.

[p] De Notis Eccle. l. 4. c. 13. & in Append. ad lib. de ſummo Pont. c. 23.

[q] Catalog. lucubrat. ſuarum ad Ioh. Abſte. to. 1.

[r] To. 3. operum Eraſmi.

Synodus

Synodus Antiochena ſpuria.

TOmo primo *Conciliorum*,[a] editionis Binnianæ, habetur *Synodus Antiochena*, cuius canones ſummatim deſcribuntur à *Binnio*. Horum [b] vnus citatur pro imaginibus à [c] *Turriano*, & [d] *Gretſero*, Ieſuitis; necnon à [e] *Baronio* Cardinale.

a Pag. 18.
b Can 8.
c Li. 1. pro Can. Apoſt. c. 25.
d Lib. 2. de Cruce c. 1.
e Annal. to. 1. ad an. 57. nu. 111.

Hanc *Synodum* ſuppoſititiam eſſe, ex eo primò conuincitur; quòd eius nec meminit *Euſebius*, nec *Socrates*, nec *Theodoretus*, nec *Ruffinus*, nec è veteribus quiſquam: quòd ante editionem *Binnianam*, non extabat in codicibus Conciliorum à *Merlino*, aut *Crab*, aut *Surio*, aut *Dominico Nicolino* editis. Nam è quo (quæſo) cœlo decidit iam tandem aliquando Synodus tam antiqua? aut quo terrarum angulo per tot centurias annorum delituit, vt non niſi quaſi nudiuſtertius hanc lucem aſpexerit?

Turrianus (fateor) [f] ait *Pamphilum Martyrem teſtari ſe in Bibliotheca Origenis reperiſſe.* Sed nunquid id vidit *Turrianus* in opere aliquo *Pamphilo* illi *Martyri* inſcripto? aut viditne id quiſquam ex popularibus *Turriani*, præter vnum *Turrianum*? Viditne *Baronius*? viditne *Binnius*? viditne *Poſſeuinus*? Audeo dicere neminem prorſus id vidiſſe, excepto ſolo *Turriano*. Nam quod habet hac de re *Baronius*, id acceptum refert *Turriano*. Quod habent *Binnius* & *Poſſeuinus*, à Baronio habent; vſque adeo vt penes *Turrianum* ſtet, cadatque tota fides horum Canonum. *Turrianus* autem quod vrget ad fidem faciendam, id omne ex *anonymo* quodam Græco codice vrget, cuius author, *ater* an *albus* fuerit, *hæreticus*, an *Orthodoxus*, neſcitur. Ex ipſo *Pamphilo*, aut aliquo, *Pamphilo* non diſſimili, ne verbum legiſſe videtur. Quod tamen ſi fortè legiſſet, nihilo citiùs perſuaſiſſet hos Canones Apoſtolicos eſſe, idque *Antiochiæ* conſtitutos. Nam annon cauetur in 7 horum, *vt Chriſtiani abſtineant à ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione?* Quis autem neſcit eum *Canonem* conſtitutum in *Concilio Hieroſolymitano* g, *Act.* 15? Improbabile verò, vt quod in *Hieroſolymitano*

f Loco ſupra citato.
g Act. Apoſt. 15. 29.

conſtitutum ſit, id in *Antiocheno* intra pauculos menſes renouatum ſit. Quod dubio procul vidit *Baronius*, qui ſicco pede hunc canonem præterijt, licet reliquos recenſuerit, [h] affirmans *non eſſe ocioſum, quinam hij Canones fuerint, à Turriano ſummatim deſcriptos intexere.* Nam quorſum aliàs hunc *Canonem* ſiluiſſet, recenſitis cæteris, niſi quòd hunc canonem, cum ſe, tum cæteros, quaſi *Soricem* ſuo indicio ſe prodere perſpexiſſet? Sed quod horum *Canonum* fidem minuit maximè, eſt falſitas vnius, nempe primi. Nam in primo Canone, *Credentes in Dominum Ieſum ab illius temporis hominibus Galilæos vocatos*, dicitur: cum tamen ex [i] Actis Apoſtolicis cognoſcimus, *Credentes, non Galilæos, ſed Diſcipulos vocatos eſſe.* Quem errorem vidit etiam *Baronius*: Quo fit, vt etiamſi profiteretur ſe ſequi *Turrianum*, in referendo tamen hoc *Canone*, ab illo diuertit. Non dicens, quemadmodum *Turrianus*: *Primus Canon, vt credentes in Dominum Ieſum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Chriſtiani deinceps vocarentur*: [k] Sed, *Primus Canon eſt, vt credentes in Dominum Ieſum quos illius temporis homines (vt habent Acta) appellabant Diſcipulos, dicerentur Chriſtiani.* In quo habet [l] *Binnium*, vt in cæteris fere omnibus, ſibi conſentientem.

h Annal. to. 2. ad an. 102, nu. 19.

i Act. Apoſt. c, 11.

k Annal. to. 2. ad an. 102. nu. 19.

l Loco ſupra citato.

Concilium Sinueſſanum eſt ſuppoſititium.

TOmo 1. *Conciliorum* [m] editionis *Binnianæ*, habetur *Concilium Sinueſſanum.* Quod Concilium citatur à [n] *Bellarmino*, partim vt probet, ſummum Pontificem abſolutè eſſe ſupra Concilium: partim vt probet, ſummum Pontificem à nemine in terris iudicari poſſe.

m Pag. 225.

n Lib. 2. de conc. c. 17. & l. 2. de Rom. Pont. c. 26.

Hoc *Concilium* videtur ſuppoſititium eſſe; nam licet conuocatum dicatur Anno 303. eius tamen nec meminit *Euſebius*, nec *Ruffinus*, nec *Hieronymus*, nec *Socrates*, nec *Theodoretus*, nec *Sozomenus*, nec *Eutropius*, nec *Damaſus*, nec *Beda*, nec quiſquam alius ſeculo tertio, quarto, aut quinto, aut ſexto, aut ſeptimo. *Nicolaus Papa* primus eius nominis, qui vixit circa annum Domini 860, primus extitit

titit qui illius meminit. Non habet [o] *Bellarminus* Nicolao antiquiorem teſtem quem producat pro *Concilio Sinueſſano*: Quod magnum indicium eſt, nullum tale Concilium per illa tempora extitiſſe.

Hoc ipſum euincunt Argumenta quæ ſequuntur, quorum primum deſumitur ex numero Epiſcoporum eò congregatorum, qui peruenit ad [p] tricenarium. Nam incredibile eſt, tot vnà potuiſſe conuenire tam ſæuis perſequutionum temporibus, cum ſub *Conſtantini* Imperio, quando res multò pacatiores erant, ad *Nicenam Synodum* adduci poterant nonniſi 318.

Secundò, Epiſcopi qui interfuerunt huic *Concilio* [q] dixerunt; *Neminem vnquam iudicauiſſe Pontificem, nec præſulem ſacerdotem ſuum, quoniam prima ſedes non iudicabitur à quoquam*: cum alieniſſimum à veriſimilitudine videtur, eos ſic dicturos fuiſſe, quandoquidam latere eos non potuit, [r] re tam recenti & celebri, *Paulum Samoſatenum*, primæ ſedis *Antiſtitem*, hæreſis ab Epiſcopis Presbyteriſque ſuis condemnatum eſſe.

Tertiò, [ſ] ante *Synodi* concluſionem, qua *Marcellinus* dicitur damnatus, *Diocletianus* aſſeritur hoc audiiſſe *cum in bello Perſarum eſſet*. Cum tamen *Diocletianus* de *Perſis* deuictis multo antè triumphauerat *Romæ*, vt [t] Hiſtoriæ teſtantur. Quæ ratio adeò cogens viſa eſt [u] *Baronio*, & [x] *Binnio*, vt nihil hîc habeant, quod regerant, niſi obſoletum illud, *Corrumpitur textus*. Pro, *cum eſſet in bello Perſarum*: legi debuit, (vt aiunt) *cum reuerſus eſſet è bello Perſarum*, Verùm nullum habent exemplum ſeu *ſcriptum* ſeu *impreſſum*, quo Lectori probent hanc textus mutationem. Vide Ioh. Raynoldum Apolog. Theſium nu. 43. pag. 407. &c.

o Lib. 2. de Rom. Pont. c. 26.

p Synod. Sinueſſ. c. de Teſtimon. aduerſ. Marcellinum.

q Concil. tom. 1. edit. Binni. Anno 1606. pag. 231.

r Euſeb. lib. 7. c. 23. & 24. Hieron. Catal. ſcript. Eccleſ. in Malchione.

ſ Cap. vlt. de confeſſ. Marcellini.

t Euſeb. Chron.

u Annal. To. 3. ad An. 303. nu. 107.

x In Notis. in Conc. Synueſſ. To. 1 Conc. p. 232.

Commen-

Concilium Romanum ſub Syluestro 1. *eſt ſuppoſititium.*

y Edit. Crab. pag. 270.

z Sum. de Eccl. lib. 3. c. 34.

a To. 1. Theſauri Catholici lib. 7. de Hierarch. Eccleſ. art. 21. p. 963.

b Baron. Annal. ad annum 325. num. 195.

IN 1. Tomo [y] *Conc.* habetur *Concilium Romanum à Syluestro* celebratum. In quo dicuntur interfuiſſe 275. Epiſcopi. Huius *Concilij* Canon 1. citatur à [z] *Turrecremata* Cardinale, vt probet: vniuerſalia Concilia confirmari ſolita à Rom. Pont. Canon 4. citatur à [a] *Coccio* vt probet: Non ſecularem, ſed Eccleſiaſticum magiſtratum, Pontifices, Epiſcopos, & Presbyteros, eſſe Iudices in cauſis Religionis & Clericorum.

Hoc *Concilium* videtur ſuppoſititium, quod colligitur ex Titulo, in quo celebratum dicitur *præſente Conſtantino Auguſto in vrbe Roma, intra thermas Domitianas.* Nam in [b] confeſſo eſt, *Conſtantinum* à *Nicæa Bizantium* profectum eſſe, ibique moram diuturniorem feciſſe, quàm vt intereſſe poſſet *Concilio* Romæ habito, intra tempus huic *Concilio* definitum.

Concilium Romanum aliud ſub Syluestro 1. *eſt ſuppoſititium.*

c Edit. Crab. p. 271.
d Baron. Annal. To. 3. ad an. 324.
e Lib. 1. de Clericis cap. 13.
f Lib. eodem c. 11.
g Lib. 2. de confirmat. cap. 8.

h Lib. 1. de Clericis cap. 16.
i Lib. eodem c. 19.
k Lib. 2. de Conc. c. 17.
l Lib. 2. de. Ro. Pont cap. 26.

TOmo 1. [c] *Concil.* habetur aliud *Conc. Romanum*, quod celebratum [d] dicitur à *Syluestro* 1. ad An. 324. cui interfuerant Epiſcopi 341. Huius *Concilij* Canon 3. citatur à [e] *Bellarmino*, vt probet: Exorciſtarum ordinem fuiſſe reuera ordinem Eccleſiaſticum: Et [f] Ordines Eccleſiaſticos fuiſſe antiquitus ſeptem. Canon 5. citatur ab eodem *Bellarmino*, vt probet: [g] Chriſma, quod eſt materia ſacramenti confirmationis, conſecrari ac benedici debere. Canon 6. citatur ab eodem, vt [h] probet: Antiquitatem Cardinalium. Canon 8. citatur ab [i] eo etiam, vt probet: Cœlibatum rectiſſime annexum ordinibus ſacris. Canon vltimus ab eo citatur, vt [k] probet: Summum Pontificem abſolutè eſſe ſupra Concilium: & [l] rurſus, vt probet, Summum Pontificem à nemine in terris iudicari poſſe.

Hoc *Concilium* eiuſdem eſt farinæ, cuius *Sinueſſanum*,

de

de quo ſuperius diximus. Nam non habet *Bellarminus* vllum *Nicolao* antiquiorem teſtem, qui huius meminit. *Nicolaus* autem [m] vixit annis quingentis ad minimum, poſt tempus, quo Concilium hoc celebratum dicitur.

Præterea, hoc *Conc.* celebratum [n] dicitur, *quum ob Conſtantinum mundatum à Lepra per Syluestrum gauderent multi nobiles.* Atqui nobilem eſſe fabulam, quod *de Lepra Conſtantini* quidam referunt, vel ex eo conſtat, quòd eius nec *Euſebius Conſtantino* probe notus & dilectus nec alius teſtis idoneus, aut *Conſtantini* æuo, aut compluribus ſeculis ſequentibus mentionem fecit, teſtibus ipſis Pontificijs, [o] *Cano*, [p] *Platina*, [q] *Alciato*, [r] *Viue*; Qui *Viues* apertè *fabulam* appellat. His adde, quòd ſtylus ipſe recentiorem olet quàm quenquam quarti à Chriſto nato ſeculi; ſiquidem Canon 12. 13. 15. & qui ſequuntur omnes, à vocibus, *Nemo enim*, inchoantur inſcitè, inſulſeque. Sed videat, qui plura volet, Ioh. Roynoldum in Apologia Theſium, nu. 43. pag. 407. &c. & *Apologiam Pauli*, p. 596.

m Nicolans viuix Anno 860. teſte Adon. Virn. breuiar. Chron. ætate 6. Sigib. in Chron. &c. Hoc Conc. habitum eſt anno 324. vt ſupra ex Baronio notauimus.
n Act. 1. cap. 1.
o Loc. com. lib. 11. cap. 5.
p In Vita Marci Papæ.
q Parerg. Iuris lib. 7. cap. 19.
r Lib. 5. de cauſis corrupt. artium.

Concilij Niceni Canones 80. *ex Arabico conuerſi ſunt ſuppoſititij.*

CAnones *Concilij Niceni* 80. ex *Arabico* conuerſi in *Latinum*, editi ſunt à *Turriano*, & *Alfonſo Piſano*, Ieſuitis. Editio *Turriani* ſeparatim extat in folio ex impreſſione Plant. anno 1578. Editio *Alfonſi Piſani* habetur in [ſ] editionibus quibuſdam *Conciliorum.* Horum Canonum 21. & 23. citantur à [t] Pontificijs, vt probent: non poſſe eſſe coniugale connubium inter ſuſceptores, & filios (vt appellant) ſpirituales. 30. citatur à [u] *Bellarmino*, vt probet: Nomina Chriſtianorum, non Gentilium, fidelium filijs imponenda cum baptizantur. 19. & 20. citantur à [y] *Stapletono*, vt probet, ad Rom. Pont. pertinere Concilia confirmare: & licere ex toto orbe appellare. 44. citatur à [z] *Copo*, pro eiuſdem Rom. Pont. primatu. Canon 69. citatur à [a] *Bellarmino*, vt probet: extremam vnctionem eſſe ſacramentum, & chriſma, quod eſt materia ſacramenti-

ſ To. 1. edit. Binnian.
t Durant. de ritibus Eccleſiæ l. 1. c. 16. nu. 17.
u Lib. 1. de bapt. cap. 26.
y Prin. fidei doctrinal. Relect. cont. 3. q. 7. p 405. & cont. 3. q. 6. p. 308.
z Dial. 1. cap. 12.
a Lib. 1. de extrema vnctione c. 4 & lib 2. de confirmat. c. 8.

ti confirmationis, prius conſecrari ac benidici debere. 65. citatur à [b] *Coccio*, in quæſtione de oratione pro defunctis.

b To. 2. Theſauri Cathol. l. 7. de pœnitentia, Art 5. p. 850.

Hos *Canones* ſpurios & adulterinos eſſe, ab aliquo *amatore beſtiæ* ſub ſepe genitos, res ipſa clamat. Nam patres *Niceni*, 20. tantùm Canones condiderunt, quos huc vſque habemus integros. S. [c] *Auguſtinus* cum 200. eoque amplius Epiſcopis *Africanis* non agnouerunt plures. [d] *Cæcilianus* Epiſcopus *Carthaginenſis*, qui interfuit *Concilio Niceno*, è *Concilio* plures Canones non retulit. S. [e] *Cyrillus* Epiſcopus *Alexandrinus*, & [f] Atticus Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, aiunt 20. fuiſſe, non plures, non pauciores. Idem conſtat ex *Ruffino*, & [g] *Iſidoro*, & *Theodoreto*, etiam teſte ipſo *Baronio*. Nam *Theodoretus* 20. *tantùm Canones in magna Synodo ſtatutos affirmat*, inquit [h] Baronius.

c Conc. Carthag. 6. & Aphricanum.
d Conc. Carthag. 6. can. 9.
e Conc. Aphricanum c. 102. & c. 103.
f Lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 6.
g In Princip. conc. de Synodis Princip.
h Annal. To. 3. ad An. 325. nu. 156.

Acta Concilij Niceni primi ſunt ſuppoſititia.

ACTa *Concilij Niceni* 1. habentur To. 1. *Conciliorum* ex editione *Dominici Nicolini*, & *Seueriani Binnij*. Hæc citantur pro multis fidei Papiſticæ Articulis. [i] *Coccius* citat Act. Conc. Nic. lib. 2. vt probet: Chriſti animam ad inferos deſcendiſſe, vt ſanctorum animas inde liberaret. 2. [k] citat, vt probet, Librum Baruk eſſe Canonicum. 3. [l] vt probet, baptiſmum Iohannis non habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti. 4. [m] citat Acta Conc. Nic. lib. 3. cap. De diuina menſa, &c. vt probet Realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, ad quem finem eadem Acta citantur à [n] *Bellarmino*: citat etiam idem [o] *Bellarminus*, & [p] *Gregorius de Valentia* eadem Acta, vt minuant fidem *Socratis* & *Sozomeni*, qui referunt celebrem illum confeſſorem *Paphnutium* in *Concilio Niceno* ſurrexiſſe & contradixiſſe legi quam laturi erant Patres de continentia ſacerdotum. Citat denique eadem Acta [q] *Lindanus Epiſcopus Ruremundenſis*, vt probet: *Homouſion* in Concilio *Niceno* fuiſſe magis traditione defenſum, quàm Scriptura ſacra.

i To. 1. lib. 2. de Chriſto ſaluatore, Art. 4. p. 163.
k To. eod lib. 6. de ſcriptor. Eccleſ. Art. 11. p. 646.
l To. 2. lib. 5. de baptiſmo, Art. 5. p. 506.
m To. eod. lib. 6. de Euch. Art. 1. p. 607.
n Lib. 2. de Euchar. c. 10.
o Lib. 1 de Clericis, c. 20.
p Lib. de Cælibatu. c. 6. p. 869.
q Panopl. lib. 2. c. 6. fol. 54.

Hæc *Acta*, ocioſorum hominum ſunt *Acta*, non *Concilij Niceni*. Nam in 2. libro vbi tractantur ea quæ acta ſunt à

Patribus

Patribus contra *Arianos*, habetur copioſa diſputatio cum Philoſopho *Ariano*, inter alia illum locum vrgente [*Dominus creauit me in initio viarum ſuarum*] In qua dicuntur patres promiſiſſe ſe demonſtrationem manifeſtam exhibituros, eamque ex *Scriptura* pronunciaturos. Producunt autem duo teſtimonia, alterum ex libro *Prophetæ Moſis*, cui nomen *Analipſis Moſis*: alterum ex libro *Sermonum myſticorum Moſis*. Quorum prior, Apocryphus eſt, [r] *Athanaſio* teſte, & ipſis etiam Pontificijs, qui non dignantur vllum ei tribuere locum in excuſis *Biblijs*, non cum *Eſdræ*. 3. & 4. Poſterior verò confictus ſub nomine *Moſis*, agnoſcente [ſ] *Epiphanio*: quemadmodum probat in prælectionibus [t] *Ioh. Raynoldus* Quos libros, ſacræ Scripturæ loco, *Nicenos* Patres citaturos, in tam grandi cauſa, vix, imò ne vix quidem, eſt probabile.

r In Synopſi.

ſ To.3.hær.39.

t Lect. 6.

Baronius Cardinalis hæc *Acta* reijcit. Nam *fuiſſe quidem Acta Nicena accuratiſſime ſcripta, S. Athanaſius author eſt in lib. de Synodis*, [u] inquit Baronius: *verùm iniuria temporis, & Arianorum conatibus, paſſa eſſe naufragia certum eſt. Scimus nonnullos qui longe poſt Conc. Nic. vixere, profiteri Nic. Acta reperiri. Dominus Franciſcus Turrianus aſſeuerare non dubitat eadem hodie reperiri Alexandriæ, apud illius ſedis qui illic moratur Epiſcopum: credidit ipſe alijs iſtæc referentibus. Alios audiui affirmantes eadem Acta apud Arabes aſſeruari.* Sed vt libere dicam, *ſomnia puto hæc omnia. Nam illud ſcimus, omne ſeculum quod ab eo tempore ad noſtram vſque ætatem interlapſum eſt, cupidiſſimũ fuiſſe tam egregiæ atque omnium nobiliſſimæ antiquitatis, nec tamen hominum quenquam potitum.*— Hactenus ille.

u To.3.ad an.325. nu.62.& 63.

Cuius teſtimonium eo magis eſt obſeruandum, quòd [x] *Lindanus* in hæc verba proruperit: *Si quis moroſior iſtis Niceni Concilij Actis, minus quàm par eſt habeat fidei, quòd adhuc orbi incognita, indubitatam non videntur habere authoritatem, is ſane mihi imperitus rerum æſtimator haud immerito videatur, quaſi recondita hactenus veritas minus inueniat apud æquos bonos rerum arbitros ponderis, quàm aurum recens foſſum habeat valoris, atque annoſum & obtritum.* Nam *Baronius* vel ea ratione commotus, quòd *Acta adhuc orbi incognita* ſunt, reijcienda prorſus putat, vtvt *Lindanus Imperitos* cenſet qui ſic ſentiunt

x Loco ſupra citato, fol.55.

Canon 4. & 7. Conc. Sardicenſis ſunt ſuppoſititij.

IN tomo. 1. *Conc.* habentur *Canones* 21. *ſub nomine Concilij Sardicenſis*, quod celebratum [a] dicitur ad An. 347. Huius Conc. *Canon* 4. & 7. citantur à [b] *Bellarmino*, vt probet: Ex quauis parte orbis Chriſtianos ad Romanum Pontificem legitime poſſe appellare.

a Baron. Annal. to. 3. ad an. 347.
b Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 21.

Hos *Canones* eſſe ſuppoſititios colligitur à Patribus *Africanis*. Qui cum à tribus Pontificibus Romanis, *Soſimo, Bonifacio, & Cœleſtino*, eiuſmodi *Canonibus* quaſi à *Concilio Niceno* editis premerentur: poſt longam diutinamque rei conſultationem [c] ſignificarunt per literas *Cœleſtino*, ſe tale aliquid nec potuiſſe *in verioribus Conc. Nic. exemplaribus reperire: nec in aliqua Patrum Synodo.* Quî enim fieri potuit vt hij *Canones*, ſi id temporis extitiſſent, tot Patres laterent, cum *Concilium* illud *Sardicenſe* habebatur non ita multo ante *Conc. Africanum*: & in eo interfuiſſe ex *Africanis* paulo minus 40. Epiſcopi [d] dicuntur, qui vt veriſimile, domum (vt mos eſt) reportarunt *Canones?* Sane, *Cuſanus Cardinalis*, hac ratione motus, (verba faciens de altero horum Canone) ingenue [e] profitetur: *Satis poſſe dubitari an Sardicenſis Concilij conſtitutio exiſtat.*

c Conc. Africanum c. 105.
d Athanaſ. in Apol. 2.
e De Concord. Cathol. l. 2. c. 25.

Extrema pars Epiſtolæ Concilij Sardicenſis eſt ſuppoſititia.

IN Tomo 1. *Conc.* ad finem *Concilij Sardicenſis*, habetur *Epiſtola Concilij Sardicenſis ad omnes Epiſcopos*, quæ extat etiam apud *Theodoretum* lib. 2. Hiſt. cap. 8. Hæc *Epiſtola* citatur à [f] *Bellarmino* vt probet: librum Sapientiæ eſſe Canonicam Scripturam.

f Lib. 1. de verbo Dei. c. 13.

Pars illa *Epiſtolæ*, ex qua deſumitur *Bellarmini* probatio, continet *tractationem ſeu Regulam fidei à Synodo* definitam: verùm illam partem *Epiſtolæ* eſſe ſuppoſititiam fatentur *Baronius* & *Binnius*.

Epiſtola

Epiſtola Synodalis Concilij Sardicenſis apud Theodoretum aucta reperitur appendice, nempe tractatione ſeu regula fidei Catholicæ, quam eandem etiam Sozomenus deceptus veram eſſe putauit, lib. 3. cap. 11. cum nullam prorſus editam eſſe Catholicæ fidei regulam, nec priorem illam Nicenam vel vno verbo aut apice actam, aut quouis prætextu explanatam locupletiſſimus teſtis ſit Athanaſius, inquit [g] Baronius.

g Annal. to. 3. ad an. 347. nu. 38.

Epiſtola Synodica quæ recitatur à Theodoreto, appendice aliqua formulam fidei continente, aucta reperitur: quam ſubreptitiam eſſe, & ab aliquo ſuperadditam, duplici ratione euidentiſſime probatur, inquit [h] Binnius.

h To. 1. Conc. p. 446.

Decreta 9. Conc. Conſtantinopolitani 6. ſunt ſuppoſititia.

TOmo 2. *Conciliorum*, cum editionis * *Petri Crab*, tum* *Laurentij Surij*, habentur *decreta* ſeu *Canones nouem*, ſub nomine *Concilij Conſtantinopolitani ſexti*, nouem capitulis comprehenſa. Horum 7. citatur à [a] *Bellarmino*, pro inuocatione Sanctorum, &, vt probet, confirmationem eſſe ſacramentum.

* To. 1. p. 415.
* To. 2. p. 1034.
a Lib. 1 de ſanct. beat c. 19. & l. 2. de Confirmat. c. 4.

Sexta Synodus nullos edidit Canones, inquit [b] Anton. Auguſtinus Epiſcopus Tarraconenſis. *Hæc ipſa nouem Capitā reperi, Theodulfi eſſe Epiſcopi Aurelianenſis, qui Ludouici Pij Imperatoris temporibus vixit, & patris eius Caroli Magni*, inquit [c] idem.

b De emendat. Gratian. dial. 15. l. prioris.
c Ibid.

Hij nouem ſequentes Canones falsò adſcribuntur Sextæ Synodo, inquit [d] Laurentius Surius.

d Candido Lectori pag. ſupra citata.

In Conc. excuſis Coloniæ feruntur nouem Canones adſcripti Sextæ Synodo, verùm viſum eſt vt nothos & adulterinos reijcere, inquit [e] Charanza.

e Summa Conc. in præfat. in Conc. 6. Conſtantinopo.

Decreta Concilij Florentini ſuper vnione Iacobinorum & Armeniorum ſunt ſuppoſititia.

IN *ſumma Conciliorum per Charanzam*, habentur *decreta quædam ſuper vnione Iacobinorum & Armeniorum.* Quorum vnum citatur à [a] *Cano*, [b] *Alphonſo de Caſtro*, [c] *Andradio*, [d] *Iohan. Harlemio*, à [e] *Iulio Rugerio*, & à [f] *Ieſuitis* noſtratibus in Epitome Controuerſiarum, quo probent: Libros Tobith, Iudith, &c. eſſe Canonicos.

a Loc. Com. lib. 2. c. 9.
b Cont. hær. lib. 1. c. 2.
c Defenſ. fid. Trid. l. 3.
d In Catal. lib. Can.
e Lib. de Can. & Apoc. ſcript. cap. 26.
f Proœmio de verbo Dei, q. 2.

Hæc *Decreta* non fuiſſe conſtituta à Concilio Florentino, ſed ab aliquo falſario ſub Concilij nomine ſuppoſita, teſtantur omnia Conciliorum Exemplaria. Nam ſi omnia perlegantur, nuſquam reperietur in Concilio Florentino Canon, quo *Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus, & duo Machabæorum libri*, recenſentur inter Canonicas Scripturas. Nulla mentio catalogi ſacrarum ſcripturarum in Concilio *Florentino*, vel apud *Petrum Crab*, vel *Laurentium Surium*, vel *Dominicum Nicolinum*, vel *Seuerianum Binnium*, in ſuis *Conciliorum* Tomis reperitur. In *Charanzæ* Conciliorum *ſumma* habetur hic *Catalogus*, non alibi. Vetus autem eſt dictum: *Si rubrica contradicat nigro, nigro potius ſtandum quam Rubricæ*: & ſatis eſt euidens, *Charanzæ ſummam* quaſi *Rubricam* eſſe; *Conciliorum Tomos*, *nigri* inſtar: Ex quo ſequitur *Conciliorum exemplaribus* potius quàm *Charanzæ ſummæ* ſtandum eſſe. Sed de hoc videat lector plura apud Ioh. Rainoldum, Lect. 41.

Inſtructio Armeniorum Concilio Florentino aſſcripta, eſt ſuppoſititia.

IN 3. Tomo *Conciliorum* habetur *Inſtructio quæ Armenis dicitur data.* Hæc ſæpe citatur à Bellarmino ſub nomine *Concilij Florentini*, quaſi Florentinum *Concilium* eius fuiſſet Author. Nam *Concilium Florentinum Græcis & Lati-*

nis conſentientibus inſtructionem Armenis dedit, inquit *Bellarminus* lib. 1. de Matrimonio. Et g alibi; *Inſtructio Armenis data eſt, toto approbante Concilio, paulo ante eius diſſolutionem.* Loca, in quibus *Bellarminus* hanc *inſtructionem* ſub nomine *Concilÿ Florentini* citat, hæc ſunt, viz. lib. 4. de Euch. cap. 10. & 16. lib. 1.3. de Pœnitentia, cap. 5. lib. 1. de Matrimo. cap. 16. lib. 2. de Confirmat. cap. 4. & 8. & 11. lib. de Extrema vnctione cap. 4. & lib. de Bapt. cap. 7. & lib. 3. de Euch. cap. 21.

g Lib. 2. de effect. ſacram. c. 25.

Hæc *Inſtructio* falsò adſcribitur *Concilio Florentino*, cum ſit ipſius *Eugenÿ* 4. *Schiſmatici Papæ.* Quod ex temporum ſupputatione ſatis conſtat. Nam data dicitur hæc *Inſtructio* decimo Kalend. Decemb. Anno 1439. Cum tamen ipſum *Concilium* diſſolutum fuerit *menſe Iulio eiuſdem anni*, id eſt, per quatuor totos menſes ante hanc datam. Æquè enim poteſt homo, parens dici eius filij, qui 14. menſibus à morte ſua naſcitur; atque hoc *Concilium* exiſtimari Author eius *Decreti*, quod per quatuor integros menſes poſt *Concilium* finitum datum dicitur. Sed de hoc etiam videat Lector Ioh. Rainoldum lib. de Diuortio contra Bellarminum, cap. 3.

FINIS.

BR
67
.C666
1623
c.1

Bib Fict

Errata.

Page 2. line 23. lege *ſed*. lin. 28. l. *pacati*. pag. 3. lin. 2. l. *Gelaſius*. pag. 9. litera k. in marg. poſt *edit*. adde. 3. pag. 11. lin. 14. l. *aſſerantur*. pag. 15. lin. 18. l. *Eſpencæus*. pag. 18. lin. 17. l. *aliis*. lin. 19. l. *ancilla* pag. 22. lin. 10. l. *ha*. pag. 17. litera u. in marg. l. *hanc*. pag. 25. lin. 26. l. *Cathedra*, or *Canthara*. ib. lin. 31. l. *introeuntium*. pag. 35. lin. 35. l. *iudicantem*. pag. 36. litera z. in marg. l. *magnum & vniuerſale*. pag. 37. litera i. in marg. l. *l. 4. c. 6.* ib. litera p. in marg. poſt p. dele 1. & poſt, *c. 19.* dele 2. pag. 38. lin. 7. l. *Iuone*. pag. 41. lin. vlt. ad literam *b*. deeſt in marg. h. *victor ad Aphros*. pag. 46. li. u. in marg. le. 85. ib. litera *b*. fol. 89. pag. 52. lin. 20. l. *Epheſino*. pag. 53. lin. 15. l. *pſeudepigrapha*. litera c. in marg. l. *Apparat*. pag. 59. litera d. in marg. l. *Bibl. vet.* pag. 68. lin. 25. l. *pſeudepigraphus*. pag. 84. lin. 8. l. *dedicati*. pag. 81. litera b. in marg. l. *hanc*. pag. 51. & litera u. in marg. l. *Dorman*. pag. 87. lin. 4. l. *cap. 36.* ib. litera h. in marg. l. *Col.* 1035. pag. 89. litera t in marg. l. *Coccio*. pag. 95. litera g. in marg. poſt 48. dele *an*. pag. 97. l. *Reuclino*. pag. 119. lin. 8. l. *de*. ib. l. *ſer*. 52. pag. 120. lin. 4. poſt *opinio*, dele .) pag. 125. lin. 21. poſt Bellarmino, adde, *pro adoratione reliquiarum*. pag. 135. lin. 19. l. *Petrus*. ib. litera p. in marg. l. *prouocat*. pag. 134. litera n. in marg. l. 1. *Ioh*. 1. 7.

12918